This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


MLÉKEK.
AKADEMIA

TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY: IRÓK.

TIZENKETTEDIK KÖTET.

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XII.

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XII.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORI

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKE

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY : ÍRÓK.

TIZENKETTEDIK KÖTET.

PEST, 1863.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

BRUTUS JÁNOS MIHÁLY

MAGYAR KIRÁLYI TÖRTÉNETIRÓ

MAGYAR HISTÓRIÁJA

1490—1552.

A M. KIR. EGYETEMI KÖNYVTÁR EREDETI KÉZIRATÁBÓL

A SZERZŐ ÉLETÉVEL

KÖZLI

TOLDY FERENCZ,

M. AKAD. R. TAG. S A TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNY ELŐADÓJA.

ELSŐ KÖTET.

II. ULÁSZLÓ KIRÁLY ORSZÁGLATA.

HASONMÁSSAL.

PEST, 1863.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

DB932
M64
v.12

. . . in eo maximus mihi mei laboris fructus constabit, si *quod maxime spectandum est, fidem meam probari* rebus narrandis iis, quibus cognitae et perspectae sunt; rationem scribendi qua sum usus, viris iisdem bonis et non imperitis, quos spero me aequos habituros, haud penitus improbari intelligam.

BRVTVS in Praef. Florent. Hist.

Pest 1868. Emich Gusztáv Magyar Akademiai könyvnyomdászánál.

BRUTUS ÉLETE ÉS MUNKÁI.

BEVEZETÉSÜL.

I. Hazai történetünk e nevezetes egyik kútforrását, — mely Báthori István lengyel király pártfogása alatt készűlt, melynek kiadására közel három száz év előtt már ajánlkoztak a bázeli nyomdák [1]), s melyre nézve, annyi jeles tudós és történetbarát beteljesületlen óhajtása után, csak nem rég gróf Kemény József ekép kiáltott fel: „Tehát a nyomdászat mestersége történetünk e drága kincse számára még mind ne legyen feltalálva?“ — íme szerencsém van a Magyar Tudom. Akademia Történelmi Bizottmánya költségein, az eredeti kéziratból, valahára kibocsáthatni.

II. Tudósaink, s különösen *Pray György*, továbbá a hálás emlékezetre méltó *Windisch Károly*, s az imént említett buzgó gróf *Kemény* becses életrajzi dolgozatokat adtak Brutusról; de *egész* életéről s *minden* munkáiról nem tudósítanak sem ők, sem az olasz irodalomtörténészek, de Bayle sem, ki első adott teljesb képet a XVI. század e jeles írójáról. Pedig nem elég — hogy még egyszer Kemény szavaival éljek — tudnunk, hogy Brutus magyar történetet írt, nem elég őt idézni vagy idézve látni: *öt magát*

[1]) „.. est in omnium ore, ut iam a typographis Basiliensibus a me Historia Vngarica postuletur“ *Brutus*, Békesi Gáspárhoz, Cracov. XVIII. Kal. Feb. 1578.

is közelebbről kell, mint minden történetírót, kit kútfőül kivánunk használni, ismernünk, még pedig nem csak mint írót, hanem úgy is mint gondolkodó és cselekvő férfiút, hogy becsét megítélhessük [2]). Megkísérlem tehát történetírónk élete teljes képét adnom, figyelmezve ugyan előzőimre is [3]), de mindenütt közvetlenül a szinte egyetlen kútfőből, Brutus saját leveleiből, merítve.

---

[2]) L. *Kurz:* Magazin für Gesch. Siebenbürgens. Kronst. 1844. I. 50 l.

[3]) Brutus életét írták :

1. *Bayle Péter*: Dictionnaire Hist. et Critique. Rotterd. 1697, nálam Maizeaux kiad. Bázel 1741. I. k. Art. Brutus.

2. *Mazzuchelli*: Gli Scrittori d' Italia. Brescia 1753—63. Vol. II. P. IV. Art. Bruto.

3. *Tiraboschi*: Storia della Letteratura Italiana. Modena 1771—82, nálam Venez. 1795—6. To. VII. P. III. 899—901. l.

4. *Windisch*: Lebensbeschreibung des Joh. Mich. Brutus. (K. k. Anzeigen, 1775. 44. 45. sz.) — Újra lenyomtatva két csekély változt. Neues Ung. Magazin I. 3. St. — Lefordítva*) Hrabovszky Gy. által Tud. Gyüjt. 1825. VII. k.

5. *Gr. Kemény József*: Ein Bruchstück über J. M. Brutus, u. über den Werth seiner Ungrisch-Siebenbürgischen Geschichte. 1844. (Kurz: Magazin f. Gesch., Literatur u. alle Denk u. Merkwürdigkeiten Siebenbürgens. Kronst. I. r.).

Értekeztek, emlékeztek, róla többen. Az újak közöl első *Apostolo Zeno*, Fontanini „Biblioteca dell' Eloquenza Italiana" munkájához írt bő jegyzéseiben (Velence 1753); ná-

---

*) „Nagyobb részint Windisch *és* egy nevetlen hazafi után" mond Hr., ki tehát azt sem tudta hogy a két cikk *egy;* s fordítva úgy, mint nálunk szoktak, péld.: „Brutus ward in *Venedig* geboren. Die Florentinische Geschichte, welche *er* in acht *Büchern* herausgegeben, mag diejenigen verführt haben, die ihn für einen *Florentiner* halten": „Brutus született *Venetiában*. A Florentziai Történetek is, melyek nyolcz *kötetben* jöttek ki, *oda* (tehát Velencébe?) valónak tartják őtet, de minden helyes ok nélkül" (és még is „született Venetiában" !).

III. Született Brutus János Mihály 1517-ben[4]) Velencében[5]), régi tisztes családból[6]). Páduában tanult, hol leginkább Bonamico Lázár előadásait és

---

lunk, érdemleg első, *Pray*, 1767-ben Annálisai IV. köt. előszavában s a IV. *s* V. köt. több helyein, s ismét 1780: Index Rar. Libr. Bibl. Univ. I. 200 sz. ll. Rövideden *Bod*, *Katona*, *Engel*; könyvészetileg Gesner, Jöcher, Vogt, Denis, Brunet, Ebert, Arwood, Chmel, Grässe stb. — Használtam mindnyájokat a 2. szám kivételével, melyet Pesten nem bírunk.

[4]) *Mazzuchelli* szerint (*Tiraboschi* és *Chmel*nél) 1515 *körül*; *Zeno* szerint 1523. körül; *Windisch* szerint 1525: ki 1690-ben öt hatvanöt évesnek állítja, de hibásan, mert az általa idézett hely, melyben Brutus magát ennyinek mondja, „XIIXC"-ben, azaz 1582-ben, nem 1590-ben, költ: „iam ipse usu experior, *iam ad LXV. annum provectus*, beatae vitae initium in vitae exitu esse." (Ad Cratonem, berlini kiad. I. 355. l.). Ezzel egyezőleg írja Crátónak egy más, kelet nélküli, de kétségtelenül 1577-ben írt levelében (mely évbe esik t. i. Crátó azon betegsége, melyről a levélben emlékezet van (berl. 340. l.): „Sinistro quidem meo fato accidit, ut, ubi minus velim, vincat omnem meam diligentiam et sedulitatem fortuna: *quacum iam LX. annum* ita luctor, ut" stb. Tehát csak *Bayle* id. h. adja korát helyesen.

[5]) „Venetias nunc mitto — írja Milesius Sándornak — vel quod *mihi ea patria est*, vel quod, cum multa de illa dicantur, satis tamen multa de illa dici pro illius magnitudine non possint" (berl. 574. l.); Theopulusnak pedig, ki felszólította hogy hazája történetét írná meg, azt válaszolja: „Ne haec nos cura magnopere angat, quot *patria nostra* habet, qui has illi partes possunt egregie praestare" (berl. 1068. l.), s itt Bembo Pétert, Navagero Andrást s több *velencei* történetírókat említ.

[6]) Maga fejezi így ki magátTheopulushoz írt levelében „Nam quod illa (patria) careo *hoc tempore* (a levél kelet nélküli), *neque ulla illius culpa hoc*, neque dedecore ullo meo accidit, sed *fortunae iniuria*. Eius enim mihi iniquitate ereptus est inter meos locus, *quem maiores mei per CCC annos retinu-*

társaságát kereste fel[7]); s kénytelen levén hazájától, nem tudni mi okból, távol lenni[8]), majdnem teljes életét külföldön töltötte. Bejárta Olaszt[9]), Franczia, Német, Spanyol és Angolországokat[9]), sok udvarokban húzamosan múlatott, néha bajok közt, többször kellemesen, mindig hasznosan[10]). Angliában, úgy látszik, korán volt, Pallavicini Miklóssal, aligha nem mint ennek Mentora[11]). Antverpben 1555 találom őt tudományos foglalkodásban[12]); 1559 Milánó-

---

erunt honestissimum" (berl. 1067, 8. l.). *Zeno* szerint is id. h. nacque... di famiglia antica, ed onesta nell' ordine de' cittadini, mely családból való azon Pietro Bruto cattarói püspök is, ki 1488. magát jeles hebraistaként tüntette ki.

[7]) Interfui ipse orationi (Bonamici de laudibus Historiae) *adolescens, cum nunquam ab optimi senis, et sanctissimi latere discederem*" írja Silvius Vonicusnak (berl. 596. l.).

[8]) Többi közt Nápolyban: „Equidem memoria teneo — írja Gonzaga Vespasián hgnek Massából, sept. (1560) — cum adolescens admodum me Neapolim contulissem eius urbis visendae causa.." (berl. 1002. l.).

[9]) „Equidem, írja már Krakóból Dudith Andrásnak, haud videar mihi plus aequo tribuere si id dicam quod res est, me *Italiam* lustrasse, Galliam, Germaniam, Hispaniam, Angliam, regiones fere omnes, unde sumi documenta certa ad vitam recte et cum laude agendam possint." (berl. 432. l.).

[10]) ... usu rerum tanto, quantum esse in eo homine aequum est, *qui magnam Europae partem aulas fere Regum omnium maximorum per summum otium lustrarit.* Itaque si quae mihi incommoda tot terras obeunti obtigerunt, fit quidem fructu, quem ex his capio, maximo quidem atque uberrimo, eorum etiam ut mihi sit iucunda recordatio" (berl. 1064. l.).

[11]) „Memini enim te, admodum adolescentem, *cum una in Anglia essemus* superioribus annis.. (a levél kelet nélküli, berl. 1109. l.).

[12]) Itt adta ki t. i. akkor két munkáját, melyekről fent a szövegben.

ban Gonzaga Vespasián herczegnél, ki Nápolyország eredete megirására szólította fel, s ahonnan Helvetián, Német, Francziaországon át Belgiumba, s (tán innen hajón) Spanyolországba ment, hol az egész őszt s a tél nagy részét súlyos betegségben töltötte[13]), melyben fő vigasztalása Theupulus, a velencei követ, barátsága, és társalkodása volt[14]). 1560. februárban Luisinus Ferencz szeretet-teljes levele már Párisban kereste fel[15]), honnan Brutus Lyonba ment[16]), hol, ha nagyon nem csalódom, egész 1571-ig meg volt telepedve, sokféle tudós munkában fáradozva. Azonban tett innen is néha hosszasabb kirándulásokat: így már 1561. martiusb. megfordúlt Luccában[17]),

---

[13]) „Namque superiore anno — írja a herczegnek — cum *Mediolani* aliquandiu commoratus, unde *per Rhetorum et Lepontiorum Alpes* eram iter *in Galliam Belgicam* facturus" stb.; (berl. 1004. l.) és ismét: „Etenim superiorem annum totum lustranda *Germania, Gallia, Hispania* consumpsi, cum omne autumni tempus, ac magnam partem hyemis periculoso et gravi morbo conflictatus in Hispania traduxissem" (1006.l.).

[14]) „Quibus autem ego malis conflictatus sim in Hispania, et alii permulti sciunt, et tu minime ignoras. Cum enim amplissima legatione ad Philippum Regem (tehát 1555-ön innen) a Republica legatus fungerere, ita multus eram tecum" stb. (berl. 1065. l.).

[15]) Toledóból 1560. febr. utána indítva Párizsba (berl. 1144 sk. ll.)

[16]) Ott adván ki Faciust, az ajánló levél már „Lugduni XVII. Kal. Apr. M. D. LX" költ. Ugyanaz több itt írt leveleiből is kitetszik.

[17]) Itt költ 1561. Kal. Mart. levele Lambinus Déneshez (berl. 1137 sk. ll.). Gryphius is, kinél Brutus 1560 Fazio nápolyi történetét adta ki, azt jegyzi meg e könyv végén, hogy Brutus nyomtatás közben, fontos dolog miatt, Olaszországba útazott.

1563/4 hosszasban múlatott Velencében, hol Horátiusát és caesári scholionait nyomatta[18]; 1571 elején Párizsban, hol első meghivását vette Forgách Ferencnek Erdélybe[19]; míg ez év octóberében Lyont, nem tudom mily üldözések miatt, ott hagyván, Bázelben lakott. Ekkor jöttek folyamatba az erdélyi alkvások, melyek részletes elbeszéléséhez térünk.

IV. Mielőtt azonban Brutust hazánkba kísérnők, addigi írói pályájával kell megismerkednünk. Első dolgozatai *költöiek* voltak. T. i. a „Jeles költők versei" közt „kik toscánai nyelven írtak" Brutusnak tizenegy sonettje áll (kiadva 1547-ben[20]). Legközelebbi művecskéje, melyről tudomásom van, szinte olaszúl íratott, s a nőnevelést illeti; Grässe azt a XVI. század katholikus nevelészete kevés darabjai közt említi fel. Címe: *La institutione di una fanciulla nata nobilmente*, s Antverpben 1555. jelent meg[21]).

---

[18]) Manutius Pálnál t. i.; és hol először találkozott Forgách Ferenczczel, s vett meghivást Magyarországba, haugyan 1572 elején írta hozzá azon levelet (berl. 221 sk. ll.), melyben így szól: Ita enim *octo iam ab hinc annis*, me *primo congressu* coepisti facilitate illa et comitate tua incredibili," és Kovacsóczi Farkashoz (szinte kelet nélküli, de 1571-ki, levelében): „eadem vero mihi video proponi, quae *octo iam ab hinc annis, cum Venetiis agerem*" (u. o. 225.).

[19]) Mint levelei mutatják. Kovacsócziét „pridie Id. Apr." Párizsban vette, s felelt ugyanonnan „Id. Apr." (berl. 224. v. ö. a 221. l.); innen ment Lyonba (221. l.), hol octóberig maradt (222. l.).

[20]) L. Rime di diversi nobili uomini et eccellenti poeti nella lingua Toscana. Libro secondo. In Vinegia, 1547, újra 1548. V. ö. Biblioteca dell' Eloquenza Italiana di Mons. *Gi. Fontanini*, Zeno kiad. II. 62. l.

[21]) L. *Graesse* Lehrb. d. Lit. Gesch. III. I. 1056. l. — Ezt még azon évben követte egy franczia fordítás par Jean Ballere,

Jul. Caesárt[28]) adta ki saját jegyzéseivel, mind kettőt Manutius Pálnál. — 1570-ben, ismét Gryphiusnál Lyonban, következtek: *M. T. Ciceronis Orationum* a I. M. Bruto emendatorum volumina III, quibus accesserunt breves Animadversiones ex doctissimorum hominum commentariis[29]), melyekkel *Cicerónak egy teljes*

---

reti et Aldi Manutii, *additis Scholiis Io. M. Bruti* ad LL. Odarum et Epod. Venet. apud P. Manutium 1556-ra teszi.

[28]) *Bayle* az id. h. és *Harles* a Notitia Lit. Rom.; megjegyezvén amaz az utrechti lapok után, hogy azok a Jungerman-féle 1606-ki frankfurti kiadásba is bementek. — Forgách Ferenczhez 1572-ben írt egyik levelében (berl. 220. l.) mondja: „Habeo in manibus *Caesaris Commentarios*, multis a me animadversionibus *emendatos*, quibus *iustum volumen* accedet, in quo, certo ordine, politissimi scriptoris voces phrasesque omnes, tum, quod permagni faciendum est, rerum omnium descriptiones in locos communes redactae habentur; ut si cui sit scribenda historia, et lauta supellex, et luculenta, ex tanti scriptoris monumentis, ad ea ornanda, atque illustranda, quae velit, suppeditentur. *Eum librum Basileae excusum*, animus est inscribere Transylvaniae Principi, si minus ex re ipsa, at ex voluntate atque animi studio stb. Vajon kijött-e ez a J. Caesar? — *Gesner* 1580-ki kiadása még nem ismeri: Bruti „*Analysin Caesaris* et Historica quaedam brevi edenda speramus„ úgymond, hozzá vetvén: „Claruit Viennae 1573“, mi oda látszik mutatni, hogy megjegyzése is 1573-ra szól, s így lényegben egyezik a Brutus levelének id. helyével. De hát a Bázelben 1572 már „kinyomtatott könyv“ kijött-e? alább meglátjuk.

[29]) *Gesner* Bibl. szerint; *Bayle* az utrechti lapok után megjegyzi: qu'il fit imprimer, in douze, les *Oeuvres* de Ciceron avec des notes, még pedig 1571. — *Arwood* id. h. 63. l 1570-re egy Lambin-féle kiadást említ, szinte 3 kötetben. — Maga Brutus e recensiójáról a következőket írja Lambinusnak: „In Ciceronis Orationes priores Hotomani commentarios, Sigonii in tres de lege agraria, qui falso alieno nomine

TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY: IRÓK.

TIZENKETTEDIK KÖTET.

fordította azontúl minden gondját és idejét. Különben is egy kellemetlen összeütközése Lambinussal elvehette tőle a folytatás kedvét. Ez t. i. plagiátussal vádolta őt, mely vádra Brutus érzékenyen és nemesen felelt barátjának: közös forrásból közösen merítettek, u. mond; hol őt használta, idézte is. A válasz főbb részét, mert szerzőnk egyenességét és emberségét szépen jellemzi, jegyzésben adom[33]). „Brutus ékesen írt,

---

[33]) „Redditae mihi tuae literae sunt XI. Kal. Sextil. quae me varie affecerunt: qua parte enim de munere tuo agis, incredibilem ex iis voluptatem cepi: namque ita existimes velim, tanti apud me tuum munus esse, ut a rege maius nullum, luculentius ve sperare potuerim. Quid autem simile? a rege aut honore, aut commodo augeri: donari abs te immortalitate possum. Quo fit, ut feram iniquiore animo, te hominem mihi amicissimum, importuna levissimi hominis interpellatione, pene ab instituto amandi mei avocari: quisquis enim is est, qui me in his, quae scripta edidi, sur ripu isse ab ullo affirmet, quae transferrem in mea; is neque plane me novit, et facit ipse, ut se se prodat, tacente etiam me: ut enim qui aqua indigent, ubi facultas sit, e fonte sumere, quam e rivo malunt; egentes, divitum adire, quam infimorum domus, ita mi Lambine, ut bene sis a literis, et ab ingenio paratus cum mihi iidem fontes pateant, e quibus hausisti, (nondum enim exaruerunt) aeque pateant eorum penetralia, quorum beata copia mihi liceat, nullius cum iniuria, ditari, stulte faciam, si de tuo surripiam, non minus quam tu, si inducas animum surripere de meo. Inter sumere vero, et surripere, quantulum videtur interesse? Sumit qui a quo mutuatur, indicat; qui non dissimulat, cui debet; qui laudat postremo, quem auctorem habet: surripit, qui avertit in rem suam; qui tacet; qui abutitur errore hominum impudentia tegenda; qui ex alterius industria fructum quaerit; qui ipse eget, cui deest unde hauriat; qui minus est ingenio, usu, natura literis munitus. Ita in altero certa est ratio bene merendi (hinc enim eius, a quo sumitur, provehitur laus) plectendus alius est, qui famam, et nomen, vitae fructum unum maxime homini libero expetendum

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XII.

tuis: nam tu nobis quasi temporum imaginem non Italica quidem lingua, sed Latina expressisti. Latinae enim linguae gloria non Italiae limitibus, ut Hetruscae, sed terrarum orbis finibus terminatur. Historias a seniore Cosimo exordiris, iamque ad Leonis X. Pontificatum perpetuo eas ordine deduxisti: ac Cosimi primum ancipites, variique casus, invidia, quam inimici ei homines conflarant, exilium, reditus in patriam honestissimus incredibilem quandam habent admirationem: Petri vero senioris virtus, quae in eo, licet adversa semper valetudine conflictaretur, tamen elucebat, cuius animum non explere iucundissimae lectionis voluptate possit. Consequutae sunt postea turbulentissimae rerum tempestates, cum Respublica bellis vexaretur, quod reges ferre Laurentii amplitudinem et splendorem non poterant. Ille vero, ut patriae rationibus consuleret, summis vitam periculis exponere, atque opes suas profundere non dubitavit. Leo demum, Laurentii filius, cuius virtutes laudibus in caelum fers, diis hominibusque approbantibus Pontifex Max. creatur. Et quamvis reliqua cum his contexere, quae patrum nostrorum memoria sunt gesta, constituisti, hoc mihi tamen temporis spatium summam attulit, mi Brute, delectationem" stb. [34]). Tiraboschi itélete szerint Brutus Florenczi Története egyike a XVI. század legszebb emlékeinek, s kevés latin történetíró, volt pedig elég, hasonlítható hozzá. Panaszkodik hogy nem adhatta meg munkájának a vég tökélyt [35]); s azért, Zeno szerint, azt újra és sokkal bővebben kidolgozva szándékozott

[34]) Berl. kiad. 1144—6. ll.

[35]) *Tiraboschi* az id. h. 900. l.

várva, de hiába várva fordítója
olasz fordítása kéziratban maradt [36]).
mind az átdolgozástól, mind a bevég-
nok I. Cosmus, s utóbb annak gaz fia
nagyherczegek dühössége nem tartóztotta
z első kiadás is a legritkább könyvek közé
miután azt a herczegek csakhamar felsze-
ahol lehetett, mint oly könyvet, mely *Tirab.*
nt „a Medici névre nem nagy dicsőséget árasz-
S valójában, Brutus elég világosan bizonyítja
gát ellenségökül, s munkájának csakugyan egyet-
n, de nem csekély, foltja a Mediciek hírét elho-
mályosítani, s tetteiket vétkes színben tüntetni fel.
Világosan s hatalmasan kél ki előszavában Jovius
ellen, ki hizelkedve a Medicieknek, gyalázta az
ezekkel ellenkező florenczi nemeseket [37]). E gyű-
lölség a Mediciek ellen, mely nem lakhatott Brutus-
nak, mint idegennek, szivében, s mely csak a saját
haza szabadsága szeretetének következése lehet, hihe-

---

[36]) *Zeno* az id. h.: „il Bruto era in procinto di far ristamparc i suddetti primi otto libri *con molto miglioramento, e con accrescimento di altrettanti.*“ — De megjelent, ugyan Lyonban, s 1566-ban Brutus Előszavának olasz fordítása: *Le Difese de' Fiorentini contra le false calunnie del Giovio* (o volgarizzamento di Federigo Alberti della prefazione latina di Giammichel Bruto alla sua Istoria Fiorentina); mely elöszó, *Zeno* szerint az id. h. „nem annyira a florenczieк védelmét, mint VII. Kelemen pápa vádlását tartalmazza Jovius (hizelgései) ellenében.“ Csak 1836 és 1841 jött ki valahára olaszúl is a classicai mű, Florenczben: új fordítás szerint-e, nem tudom.

[37]) Többi közt (Praef. B iv, a): „Quid quod Aloysium Guicciardinum *incertae hominem fidei appellat*, quod avidus l bertatis haberetur? Magnum hoc crimen Iovio videtur, *ho diuturna servitute ad omne assentandi artificium accommod*

tuis: nam tu nobis quasi temporum imaginem non Italica quidem lingua, sed Latina expressisti. Latinae enim linguae gloria non Italiae limitibus, ut Hetruscae, sed terrarum orbis finibus terminatur. Historias a seniore Cosimo exordiris, iamque ad Leonis X. Pontificatum perpetuo eas ordine deduxisti: ac Cosimi primum ancipites, variique casus, invidia, quam inimici ei homines conflarant, exilium, reditus in patriam honestissimus incredibilem quandam habent admirationem: Petri vero senioris virtus, quae in eo, licet adversa semper valetudine conflictaretur, tamen elucebat, cuius animum non explere iucundissimae lectionis voluptate possit. Consequutae sunt postea turbulentissimae rerum tempestates, cum Respublica bellis vexaretur, quod reges ferre Laurentii amplitudinem et splendorem non poterant. Ille vero, ut patriae rationibus consuleret, summis vitam periculis exponere, atque opes suas profundere non dubitavit. Leo demum, Laurentii filius, cuius virtutes laudibus in caelum fers, diis hominibusque approbantibus Pontifex Max. creatur. Et quamvis reliqua cum his contexere, quae patrum nostrorum memoria sunt gesta, constituisti, hoc mihi tamen temporis spatium summam attulit, mi Brute, delectationem" stb. [34]). Tiraboschi itélete szerint Brutus Florenczi Története egyike a XVI. század legszebb emlékeinek, s kevés latin történetíró, volt pedig elég, hasonlítható hozzá. Panaszkodik hogy nem adhatta meg munkájának a vég tökélyt [35]); s azért, Zeno szerint, azt újra és sokkal bővebben kidolgozva szándékozott

[34]) Berl. kiad. 1144—6. ll.

[35]) *Tiraboschi* az id. h. 900. l.

kiadni — mire várva, de hiába várva fordítója Alberti, ennek olasz fordítása kéziratban maradt [36]). Aligha Brutust mind az átdolgozástól, mind a bevégzéstől a zsarnok I. Cosmus, s utóbb annak gaz fia I. Ferencz nagyherczegek dühössége nem tartóztotta vissza. Ez első kiadás is a legritkább könyvek közé tartozik, miután azt a herczegek csakhamar felszedették, ahol lehetett, mint oly könyvet, mely *Tirab.* szerint „a Medici névre nem nagy dicsőséget árasztott. S valójában, Brutus elég világosan bizonyítja magát ellenségeiktől, s munkájának csakugyan egyetlen, de nem csekély, foltja a Mediciek hírét elhomályosítani, s tetteiket vétkes színben tüntetni fel. Világosan s hatalmasan kél ki előszavában Jovius ellen, ki hizelkedve a Medicieknek, gyalázta az ezekkel ellenkező florenczi nemeseket [37]). E gyülölség a Mediciek ellen, mely nem lakhatott Brutusnak, mint idegennek, szivében, s mely csak a saját haza szabadsága szeretetének következése lehet, hihe-

---

[36]) *Zeno* az id. h.: „il Bruto era in procinto di far ristampare i suddetti primi otto libri *con molto miglioramento, e con accrescimento di altrettanti.*“ — De megjelent, ugyan Lyonban, s 1566-ban Brutus Előszavának olasz fordítása: *Le Difese de' Fiorentini contra le false calunnie del Giovio* (o volgarizzamento di Federigo Alberti della prefazione latina di Giammichel Bruto alla sua Istoria Fiorentina); mely előszó, *Zeno* szerint az id. h. „nem annyira a florenczieknek védelmét, mint VII. Kelemen pápa vádlását tartalmazza Jovius (hizelgései) ellenében.“ Csak 1836 és 1841 jött ki valahára olaszúl is a classicai mű, Florenczben: új fordítás szerint-e, nem tudom.

[37]) Többi közt (Praef. B iv, a): „Quid quod Aloysium Guicciardinum *incertae hominem fidei appellat*, quod avidus libertatis haberetur? Magnum hoc crimen Iovio videtur, *homini diuturna servitute ad omne assentandi artificium accommodato*!“

tőleg a Lyonban száműzve lakott sok florenciektől szállhatott belé, kikkel ott társalkodott, mint azt már Foscarini (Letter. Venez.) vette észre." Ma már a nagy embereik dicsőségét, de hazájok szabadságát is szerető florenciek, sőt minden független történetész *) máskép fog itélni, s a respublicában született Brutus szabadságszeretete és *álláspontja* előtt tisztelettel meghajolni. „Florentia -- így kezdi nemes művét — quae urbs post eversionem Romani Imperii, in primis Italiae nobilissima semper ac florentissima habita est: *cum diu suis usa legibus et institutis* rerum in Hetruria potita esset: *nostra aetate coacta unius imperio parere, libertatem, quam ingentibus studiis et gravissimis contentionibus perpetuo adversus paucorum potentiam retinuisset, ac dignitatem simul et ius imperii amisit. Quam quidem rerum commutationem, cum insignes calamitates in Republ. ac bella gravissima consecuta essent: ea quemadmodum gesta administrataque sint, tum causas, initia, progressionesque rerum (id quod scriptores eorum temporum tradere neglexerunt, et plurimi faciendum est) repetito altius principio explicare instituam.*" [38]). Ez az ő programmja; egy respublica történetei megi-

*) Ide tartozik *Cantu* itélete Brutus Historiájáról (nálam: Histoire Univ. To. XIV. 366. l.): „Afin de ne pas être tenté de se vendre, il s' habitua à une vie frugale ; et sous l'inspiration des exilés (?) il entreprit de venger les Florentins des calomnies adulatrices de Paul Jove, en dévoilant par quels moyens iniques les Médicis étaient parvenus à éteindre la liberté dans leur patrie. Comme il avait vu plusieurs contrées, *il put s'élever à des considérations plus étendues que les pédants stipendiés*, dont il corrige les adulations par le sentiment de haine dont il est animé."

[38]) Libri I. initium.

rójának egyedűl helyes programmja. A kivitelben hűségre s részrehajlatlanságra törekedett. Történetírói hivatása érzetében írta ez ismert sorokat: „Ac si quis unquam alius extitit, cui fuerit scriptoris fides desideranda, una est Civitas Florentinorum hoc tempore, quae id maxime requirat. Ita autem ea tradita literis leguntur, *quae* maiores eorum gesserunt, ut quae absunt a nostra memoria quam longissime, in his nemo fere habeat quae reprehendat: ubi propius ad nostra tempora accedat, unius familiae Medicum perpetuas laudes, confictas in civitatem gravissimas criminationes, maledicta, convicia, mendacia impudentissima altero quoque verbo deprehendat. Neque vero ego is sum, qui cum Florentinam Historiam scribere instituerim, censeam mihi, ut colligam certorum hominum gratiam, quicquam de eorum existimatione detrahendum, qui in amplissima familia et nobilissima aliquando cum laude floruerunt. Nam et de Cosmo Medice, et de Laurentio, summis illis quidem hominibus et clarissimis, ita omnia cum fide profiteor me tradidisse, ut iis scribendis, quae illi aut praeclare gesserunt, aut aliqua cum hominum offensione, non diligentiae laudem modo, sed gravitatis et constantiae etiam (si id modo a me dici mea modestia patiatur) relaturum me non desperem“ [39]) E hivatás, és annak nehéz volta komoly érzetében írja: „Video me in lubricum plane locum incidisse, qui de summis hominibus non libere solum sententiam ferre, sed detrahere etiam de eorum dignitate atque existimatione mea oratione audeam. Sed tamen *in re tanta, et quae magno est hominibus ad vitam recte agendam ad-*

[39]) Praef. A 6.

iumento, quaerenda tandem causa erat, cur homines excellentissimis ingeniis, et philosophiae atque eloquentiae studiis clari, cum illi essent sua scripta hominum memoriae mandaturi, cui se maxime prospicere videri vellent, per illi brevis temporis voluptatem atque incertam adeo dubiamque spem immortalitati anteferrent. Ac scio equidem plerisque videri, minime hoc pertinere ad summam felicitatem, et quae sit hominum de nobis post multa secula sententia futura, haud nobis esse magnopere laborandum. *Sed cum iis nobis res est qui cum famae et nomini student maxime, tum ut hoc ipsum apud posteros consequantur, dies noctesque constantissime adversus voluptates omnes pugnando, maximis vitae laboribus et gravissimis perfunguntur.* Quod autem multo est gravius, neque hoc illi ignorant, ut quanta maxima in homine esse potest, eloquentiam rebus narrandis et copiam adhibeant, *hac una cura neglecta suae fidei* hominibus probandae, nullam se quidem, aut perexiguam gratiam apud posteros, inituros. Enimvero in eo homine, qui rem tantam sibi suscipiat agendam huius vitae communis causa, nihil est temeritate ac levitate turpius: plurimum certe vel iis ipsis videtur obesse, quibus consulere debet maxime scribendo[40]." A történetírás művészetében Machiavellinek nyújtja Brutus a pálmát: a hűségét, a nyomozó és okfejtő szorgalomét a maga részére veszi igénybe. Tinghihez írt utóiratában: *Vinco fide, industria* certe, diligentia, *studio explicandis rebus*, quod minime mihi sumerem, nisi res ipsa loqueretur[41]. Mert lelkismeretes gonddal

---

[40]) U. o. A 5.

[41]) L. Flor. Hist. gg verso.

élt addig előtte nem használt kútfőkkel, miket készakarva nem nevez meg, kétség kivűl hogy a közlőkre bajt ne vonjon[42]). — Sokat beszélltettem írónkat magát, s még nem vagyok meg, mert *történetírói lelkismeretét* mindenek felett nekünk van érdekünkben ismerni, mienk levén legnevezetesb munkája, s mert vádakat olvasunk, melyeknek megvilágitásánál ezekre is vissza fog kelleni emlékeznünk. — „Magna quaedam res est — írja 1560. Theupulus Pálnak — historiam scribere: qua quidem ego in re, ita sum per multos annos versatus, ut me longa iam exercitatio doceat, quam prudenter ea sit, et cunctanter attingenda.... Non ingenio confido magis, cuiuhaud me poenitet tamen, quam diligentia et studio, usu quidem rerum tanto, quantum esse in eo homine aequum est, qui magnam Europae partem, aulas fere Regum omnium maximorum per summum otium lustrarit[43])." Ki előtt az *igazság*, alphája s omegája a históriának, s ki fáradalma jutalmául *halhatatlanság* után törekszik: a felett a részlehajlás vádjával tartózkodóbbak legyünk. — Újabb kiadásai a Florenczi Históriának Graevius 'Burmann által folytatott nagy

---

[42]) „Dicerem quae adiumenta mihi ad scribendum et a quibus suppeditata essent, si hoc esse necessarium existimarem. Illud tantum vere affirmare possum, neque Florentiae nato homini *aut magis recondita, aut vetustiora* eruere, magno etiam adhibito studio, licuisse, qui se totum huic generi scribendi tradidisset" (gg 2.). Mellesleg legyen mondva, hogy e helyből is: „még született florenczi sem", mit Denis észrevett már, kitünik hogy Brutus nem florenczi; s csodálatos mikép vonhatta ki belőle gr. Kemény az ellenkezőt, ki pedig a helyet Denisből irta ki (Garell. Bibl. 402. l.).

[43]) Berl. 1064. l.

Thesaurusában[44]), és külön Velencében 1764-ben, jelentek meg. Egyébiránt mese, hogy e munka miatt kellett Brutusnak Olaszországot kerülnie. Ő csak Velencéből exulált; s különböző időkben, mint láttuk, volt Nápolyban, Florenczben húzamosan, Milánóban, s lakott Angliában, Belgiumban, Lyonban, Spanyolországban, midőn végre kiadta Flor. Történetét; s azon innen Massában, Luccában, sőt ismét, és húzamosabban, Velencében is. Az új nagyherczegek tőre és mérge kihatott tartományuk határain, de tilalmok nem. Egy író beszélli ezt a másik után, kútfőt egy sem idéz. — Második történeti munkája Brutusnak: *De Instauratione Italiae*, nincs befejezve. Alkalmat reá Gonzaga Vespasián herczeg adott, ki, nála levén Brutus 1559-ben, s a beszéd a két Sicilia eredetére térvén, őt annak megirására felszólította[45]). Brutus vállalkozott: „ita recepi me rem totam explicaturum, ut quando intelligerem, unum a te modo quaeri, *non quam copiose id et ornate, sed quam vere et constanter praestem*;“ de kiterjesztve, úgy látszik, a tervet Olaszország valamennyi államaira, ahonnan a czím. A következett évben a „két Sicilia eredete“ már készen állott, készen a szerző anyavárosáé, Velenczéé; tán több is, mert megtudván a tervet olasz barátai, kiki, a

---

[44]) Thesaurus Antiqu. et Hist. Ital. VIII. k. I. r. 1723. — Gr. Kemény (Magazin, 45. l. jegyz.) megfoghatatlanúl félre értve Chmel világos szavait Faciusnak egy bécsi codexéről (Die Handschriften stb. I. 729.). kérdi: „vajon a Flor. Történet egy korábbi kiadásáról van-e itt szó?“ holott Facius fenn említett (IV. 20. jegyz.) Brutusféle kiadását érti Chmel, mely 1560 jött ki.

[45]) L. 1560-ki levelét a herczeghez (berl. 1004—6.).

maga külön hazája érdekében, sürgette azt[46]). De csak a nevezett két töredéket, vagy helyesben részt, bírjuk u. m. 1. *Ex priore Libro Ioannis Mich. Bruti de Instauratione Italiae (De origine Venetiae Vrbis)*, melylyel a velenczei követnek Tiepolo Pálnak kedveskedett[47]); és 2. *Ex Libro secundo Io. M. Bruti de In, stauratione Italiae*, Sicilia eredetét, melyet Gonzágának küldött át[48]).

VI. Már midőn Brutus 1563 és 64-ben Velenczében múlatott, hol caesári scholionait és Horátiusát nyomatá, vette pozsonyi prépost és váradi választot, püspök Forgách Ferencz meghivását. A tudománykedvelő püspök, úgy látszik, már ekkor szándékozott kora történeteit megírni, s Brutus tudós társalkodásán kivűl classicai tolla segedelmét is igénybe ki-

---

[46]) „Sunt autem haec a me omnia desumpta ex libro secundo de Instauratione Italiae, quem ego, *a multis desideratum*. brevi, Deo immortali propitio, sum in lucem editurus." U. o. 1006. l.

[47]) Kiadva már Levelei krakai gyüjteményében 1582-ben, a 235—9. lev.; utána a berl. 621—631. ll.; s újra, a kísérő levéllel együtt, és teljesben ugyancsak a berlini gyüjt 1072—81. ll.—Kemény megrója e kétszeri kiadásért a berlini szerkesztőt; de ez által a levélnek egy pár érdekes helye tartatott meg, melyet Brutus, életében, közzé tenni átallott. Egy kifakadását ide írom, mert ebből látszik, hogy a velenczeiek öt mint hazájához hütelent rágalmazták volt: „Nam qui mihi hanc pietatis laudem (a honszeretetét) praereptam volunt: ea sunt homines indignitate, ut non solum propterea quod sibi sint noti, eorum suppressa omnia habere velim, sed ne etiam noti aliis meo testimonio sint (ita enim sunt perditi, ut praeclarum ducant, quaerere nomen etiam ex infamia) magnopere laborem."

[48]) Berl. 1007—1062. ll.

vánta venni[49]). Forgách feltételei fényesek voltak[50]), de Brutus vagy nem bízott egy magán úr állandóságába, vagy nem határozhatta el magát a szép franczia városnak, melyben akkor lakott, Lyonnak, Pozsonnyal felcserélésére. Az alkudozásnak nem volt eredménye. Évek múltak; a philologiai fáradozások tán nem hajtottak annyi hasznot, hogy a magyar meghivás végre is kivánatosb színben ne tűnt volna fel; s ím, midőn Brutus 1571 aprilisben épen Párisban múlata, levele érkezett Kovacsóczinak, mely a nyolcz évelőtti meghivást, a régi feltételek mellett, megújította[51]). A meghivó állása az alatt lényegesen megválto-

---

[49]) „Me unum abs te delectum e multis — írja Forgách *Ferencznek* (nem Simonnak, mint azt Bayle tolla tévedésből ejté) — qui cum praeclari muneris consortem sperares tibi laborem leviorem futurum, quo tibi esset magno perfungendum, et consiliorum communicatione, et eorum studiorum societate, sine quibus scribendi munus de rebus Pannonicis, praesertim quae tantae essent, nemo recte obire posset . . (berl. 221.).

[50]) „Ita enim octo iam abhinc annis, me primo congressu cepisti facilitate illa, et comitate tua incredibili, ut nisi in te uno colendo atque observando cum iis contendam, quorum est tibi maxime probata benevolentia et fides, non tibi deesse magis, quam mihi videri possim": írja Forgáchnak (1571. Berl. 222); Kovacsóczinak pedig ezen évi aprílben: „Eadem vero mihi video proponi, quae octo iam ab hinc annis, cum Venetiis agerem (225. l.). A feltételek fényesek lehettek, mert nyolcz év *után* is teljesen megnyúgodott azokban Brutus.

[51]) „De quibus — folytatja Br. imént idézett sorait — nihil mutari, addi, minui placet: in uno, ut mihi prospiciatur, non ipse magis, quam mearum rerum ratio requirit, ut quae pecunia tum stipendii annui nomine, tum in itineris sumptum mihi curanda Venetiis esset, Lutetiae repraesentetur." U. o.

zott volt. Forgách Ferencz, egy idegen betoloncz miatt a győri püspöki széktől elejtve látván magát, II. János hűségére tért, s ez által cancellárrá emeltetett. Ekkor iratta Brutusnak azt a levelet, melyet ez, april 12. vevén, rögtön igenelve megválaszolt, az utipénzt, s első évi fizetést, Erdélyben nem kapható dolgok vásárlására, Párizsba kérte küldetni; könyvtárát s minden egyebét azonnal elszállítván, maga is csakhamar útnak indulandó. Míg ezek így; Erdélyben nagy fordulat állt vala be. II. János martius 14. meghalván, s Báthori István választatván fejdelemmé, a fennhatalmakkal (a két császárral) való alkvások, az investitió, a székelyek támadása, a Békesi zavargásai, a kormány új szervezése közt múlt az idő, s Brutus nem vett semmi újabb hírt. Ő azonban Lyonba ment dolgait rendbe szedni, ott octóberig hiába várakozván útnak indúlt, s decemberben Bécsbe, innen Semptére gróf Salm Gyulához szállt, hogy onnan, a téli útazás nehézségei daczára, mihelyt úti társasága akad, Erdélybe menjen. Egy hónapon túl, s foganat nélkül, lesvén egy jó alkalmat, Forgáchot hollétéről tudósította, s Bécsbe kérte maga után küldetni a költséget[52]), honnan azonban, válasz

[52]) „Moratus sum postea — t. i. Kovacsóczi levelének vétele után—írja Forgách Ferencznek (Semptérőlfebr. elején) — *Lugduni* ad XVII. Kal. Oct., quo die *mihi fuit illinc discedendum certis de causis*, quas nunc minime necesse habeo commemorare.... Veni *Viennam* ad IIX. Kal. Dec., quae mihi urbs, quod tu abesses, magno carere sui ornamento est visa. Acceptus tamen et humaniter et prolixe a Cratone, Caesaris medico primario, et de me optime merito, mansi Viennae circiter X. diem, unde *Symptam* (Sempte) me contuli, ad amplissimum virum Iulium Com. Salmensem, apud quem iam XXXV. diem ago. Inde erat animus, etiamsi durissimo

nélkül maradván, martiusban 1572 Bázelbe ment, ott várandó be a történendőket. Ott vön nem sokára Crátótól hírt, hogy a cancellár embere Bécsben kereste őt, hol számára száz arany forint vala uti pénzül utalványozva [53]). Leverte ugyan őt, hogy levél nem jött Forgáchtól: mindazonáltal készült a legközelebbi (septemberi) frankfurti vásárkor újra megindúlni [54]), ahova a pénzt is küldetni kéré; kéré másodszor, az útvonalt is kijelelve (Ulm, Bécs, Pozsony), s most már ide várva levelet, költséget. De sem egy, sem más nem érkezett. Maradása sem volt. Úgy látszik adósságok nyomták, sőt tán személyes szabadsága is veszedelemben forgott [55]). E kétségében új tervet szőtt. Visszaemlékezett Dudith Andrásra, kit egykor, még mint fiatal férfit, Polus bibornoknál látott,

---

anni tempore, ubi nactus itineris comites essem, me recta ad te, vix desiderium tui ferens. Sed difficile iter, impeditum, viae non stratae solum, sed obrutae nivibus; hic solitudo mera, ut nulla spes esset comitatus; tum Viennensis mora, si illuc redirem, futura magni sumptus, alia ad te animo properanti impedimento fuere. Quibus difficultatibus, tanquam adversis fortunae fluctibus, per huius viri liberalitatem et munificentiam emersus, constitui cras bene mane Viennam redire. Illic ita tuas literas constitui exspectare, ut nulla sit futura conditio, quae me ab uno desiderio visendi et complectendi tui avellat. Scribes igitur, sed primo quoque tempore: ferre enim diutius sumptum vix possem. Existimo quidem ad exitum usque mensis Febr. me Viennae futurum" stb. (berl. 222, 3. ll.).

[53]) Berl. 218. l. [54]) U. o. 218, 19. ll.

[55]) „Cum ex inimicorum manibus, sceleratorum hominum evasissem, magno vitae periculo defunctus, ut mihi esset coelum, terra, maria omnia clausa: ad te unum mihi, tanquam certo vitae naufragio perfuncto, statui perfugiendum" írja Dudithnak (berl. 374.).

kinek magas szellemét már akkor mindenek csodálták, s ki vele, úgy látszik, már nagylelkűségét is éreztette [55]). Ez, elébb pécsi püspök, most a lengyelek közt boldog házi viszonyok közt élő főúr, úgy tünék fel előtte mint már egyetlen révpart. Prágába siet, hogy onnan Lengyelországba. De ím Lengyelország, Zsigmond halálával királyválasztási mozgalmaktól forrván [57]), amiért idegenek beutazása nem volt eléggé bátorságos; s döghalál is uralkodván [58]), barátai tanácsára felhagyott szándékával, s Bécsbe ment. Bécshez közel az utazó társaság haramják által megtámadtatván, többen társai közől megölettek; Brutus, amint látszik, szerencsésen elmenekűlt „a latrok mészárszékéből", s társai vérétől ázva jutott be a városba, hol Miksa császár híres orvosa Crátó János által

---

[56]) .. *grata* recordatione ea animo voluendo, quae me tibi devinxissent .. (373. l.).

[57]) „*Habebantur tum comitia Cracoviae de novo rege creando;* ut, undique itineribus insessis (ut ferebatur, ne gliscente in dies ambitu, novi motus exorirentur) nemini facile aditus in regnum pateret" (u. o. 374. l.) : E hely, nem szólhatván az 1548-ki királyválasztásról : ekkor Dudith még nem levén Lengyelországban; nem az 1574/6-kiról : ekkor Brutus már Báthorinál volt Erdélyben; nem az 1587-kiről, mert a levél, mely e dologról emlékezik, 1577 költ : tehát egyedül az 1572/3-ki mozgalmakról szólhatván, midőn különösen a cseh rendek, alkalmatlanúl is, szorgalmazták Miksa elválasztatását : bizonyítja hogy Brutus szóban forgó útja 1572/3-ba teendő; s végleg megerősíti ezt a levél más helye : „*In Daciam veni anno insequenti*" (374. l.), azaz 1573/4-ben.

[58]) „Accedebat ingens *pestis* metus" 374. l. — Ez is erősíti az általam felvett évet. *Linzbauer*nél olvassuk (in Codice Medic. Hung. To. I. 197. l.): „Anno 1572 pestis per universam *Poloniam*". — De ezt is: „Pestis in *Hungaria*" : új ok, hogy Forgáchot sem kereste fel, s haza ment.

ápoltatván, szövődött a két férfiu közt azon bensőbb barátság, mely köztök holtig tartott[59]). Már ekkor ajánlotta őt be a császárnak új barátja: de nem tudom mely viszonyai tartóztaták Brutust, itt állást fognia[60]). Segítve mégis a császár által, Bázelbe tért, családjához[62]). Frankfurtban szomorú híreket vevén az övéiről, miket közelebbről nem határoz meg leveleiben, fáradt volta daczára annyira sietett, hogy egy nap kilencz német mérföldet lovagolna. Otthon csak szomorúságra talált okot; t. i. leveleiből sejdíthetni, hogy családja szükséget szenvedett. Schvendi Lázárt, ki most jószágaira visszavonúlva élt Bázel szomszédságában, volt felkeresendő, hogy vele jövőjéről értekezzék [62]). Tán

[59]) Recens semper mihi eius diei memoria ob oculos obversabitur, cum me, *ex latronum laniena superstitem, et adhuc aspersum caesorum sanguine*, hominem vix tibi cognitum fama, non secus tibi fovendum suscepisti, ac si in eo non mea, sed tua salus ageretur" írja Crátónak (berl. 336. l.). E helyhez hasonlónak *látszik* az, melyet az 55. jegyzet hoz; még is a kettő nem azonegy dologra vonatkozik. Amaz a Dudithhoz tett utat megelőzte, ez követte. Amaz másnemű veszedelemről szól, melyből t. i. egy *nagylelkű* pártfogó ránthatta ki.

[60]) „Insinuasti in Caesaris gratiam: quanti hoc mihi? *egisti de conditione:* nihil mihi, rebus etiam meis laetis, magis exoptandum. Nam quo minus transigeretur, *non Caesaris voluntas*, non tua, *sed temporum meorum ratio impedimento fuit.* (u. o. 336, 7. l.).

[61]) „Caetera omitto: Cratonis officia in me..., immortale in me Maximiliani Caes. beneficium, reditum ad meos" (U. o. 374.).

[62]) Megérkezése után „domi quidem — írja Crátónak — ut sunt humana, quae neque ego, nec tu velles: certe quae mei adventus longiorem moram non ferrent. Cogito ad Suendium cras, summum perendie: quocum ubi fuero locutus: *quid de meis rationibus, et de omni vitae meae statu constituam*, continuo ad te pluribus" (252. l.). Amely jó dolg

őáltala volt most már a császár valamely hivatal végett megnyerendő? Ilyesmire látszik mutatni, hogy, hihetőleg Crátó intésére, I. Ferdinánd történetét készűlt megírni. De ehez sem foghatott: „ quae a vulgo scriptoribus suppeditantur, non probantur: reconditiora, unde sumam, non habeo.“ Talán még egy más, egy *házi kereszt* is keserítette el életét[62]). Egy okkal több a távozásra, főleg, ha ez, annak hátrahagyásával eshetett meg. S úgy lett. Megérkezett t. i. *Báthori István fejedelem nevében* meghivatása Forgách által, melyre Brutus, Lyonban 1573 június 1., a teljes boldogság érzetétől elmelegedve felel: Nunc vero est, maxime Princeps, cum mihi mea vita, quam insigni fortunae iniuria, casus adversi multi ad hunc diem iactarunt, spe omni, atque exspectatione debet esse

---

volt, úgy mond, nála, rövid volt: quae mihi .. tunc orta lux, erat usurae brevis futura. *Hic enim, quo me cunque verto, varia malorum facies: Tenebrae domi, foris tristis solitudo; ut cum multa sint quae angant, nihil sit quod moerorem levet*“ (253. l.) Siet Schvendihez „cum *alias ob causas*, quae te non fugiunt, tum ...“ (260. l.).

[63]) „Ipse efficit unus scribendo, ne me vitae pigeat, et molestae mihi quod abs te tam longe absum, et invisae quod nihil habeat, quare non eam odisse debeam, *iis proximus, a quibus longissime velim abesse.* Quid quod a me magnitudinem animi exigitis, *ad Socratis normam*? stb. (268. l. A levél Basileae, IV. Id. Maias. M.D. LXXIII.).

[62]) „*De rebus Dacicis mihi iam integrum non est consulere*: quod ut etiam sit, quantum ad id tu momenti addis, qui non obscure mihi auctor sis, ut incertis et dubiis praeferam certa? *Conditio est cum propter alia mihi honorifica, tum quod mihi haud est impedimento, quo minus eadem opera, salua mea religione et fide*, utrumque efficiam, quod tibi est curae“. (280. l.).

carior mea. Ita enim me expetis, tantus princeps, ut etiam si tui tam praeclari de me iudicii causam nullam in me agnoscam, qui mihi magis ex meo sensu, quam ex cuiusquam iudicio cognitus sim, et fructu tamen singulari fruar, quod tibi dignus sim visus, de quo ita statueres, et meae modestiae fructu simul non sentiam privari. Neque enim *quod dignus tuo tanto munere, sim habitus, sentio de me magnificentius*: sed totum id tuae singulari beneficentiae, *amicorum studio, per quos mihi tantum apud te licuit assequi, adscribo.* Ac quanquam est perhonorifica conditio, quae est mihi tuo nomine oblata, non me tamen illa magis movet, quam certa abs te mihi iniecta spes fore, ut indies meae apud te industriae fructus uberiores referam: in quo quidem facile intellexi, ingens tuae munificentiae exstare in studiosos homines optimarum artium, in quorum me numero haberi audisti, certe nunquam indignum visum, qui haberer, si voluntas quaedam praeclara semper laudanda est, ubi etiam minus pares consequantur vires. *Quod nisi ego omnibus vitae commodis atque ornamentis anteponam, nihil causae subesse existimem, cur non plane ferreus omnem videar humanitatis sensum exuisse...*" S végül: „Certe, ne quando te poeniteat de me ita sensisse, ut vir amplissimus Forgacius tibi sua praedicatione persuadere conatus est, neve eum aliquando de mea fide sponsorem appelles, operam dabo"[65]). Sept.-ben már út-

[65]) Berl. 84—6. l. Mese, mit *Windisch* (Neues Ung. Mag I. 277), és ennek nyomán, szinte minden alap nélkül, *Kemény* i (Mag. I. 47.) ír, hogy t. i. Brutus már elébb megfordúlt Bécsbe Báthori István házában, midőn ez, mint II. János követe cs. udvarnál múlatott. Báthori ugyanis először 1563 volt il minőségben Bécsben — Brutus ekkor Velencében. Másodszo

közben, Frankfurtban, találjuk. Crátó helyteleníté Erdélybe menetelét, értesítve őt, hogy a császárnál számára igen tisztességes évdíjt munkált ki. Brutus nyájas, de kitérő választ adott[66]), s 1574 február 7-kén Kolosvárra érkezett[67]).

VII. Brutus nem győzi magasztalni a kegyes fogadtatást, melyben Kolosvárt a fejdelem által részesíttetett. „Excepti a Principe et liberaliter et prolixe, neque solum, quod desponsum erat, persolutum, sed mea spes etiam atque exspectatio superata, cum esset summa. Nihil Forgacio in me, nihil Principe humanius, liberalius, effusius“[68]). A Kolosvárt állott fejdelmi törvényszék befejeztével[69]) febr. vége felé indúlt Brutus is az udvarral Gyula-Fejérvárra, hol számára egy külön lakház volt kirendelve[70]). Évdíji 800 ezüst tallér. Megbizatása nem a fejdelem tör-

---

1565-ben, sőt letartóztatva, tisztességes őrizet alatt, Miksa cs. által, 1567-ig: semmi nyoma, hogy Brutus ekkor Bécsben megfordúlt volna, valamint annak sem, hogy Báthori őt személyesen azelőtt ismerte volna.

[66]) ... me subaccusare videbatis, tanquam negligerem tua, et improbare meum consilium qui in Daciam cogitarem, tam longe abs te. *Impetrasse enim a Caesare mihi perhonorificum stipendium, cui placere, ut caetera abessent,* Principi optimo et sapientissimo, mihi instar opimi et luculenti stipendii esset habendum ... *Sed de his coram,* atque ita quidem, ut, salua existimatione mea, et fide, nihil sim de rebus meis constituturus, quod non idem tibi intelligam probari“. (283. l.).

[67]) U. o. 286. l.

[68]) L. levelét Zwingerhez Bázelbe, Berl. 511. l.

[69]) U. ott febr. 20.: Claudiopoli ... ubi nunc Princeps forum agit, conventu provinciae indicto ... ob ingentem concursum hominum, qui undique confluunt stb. 512. l.

[70]) „Ad hunc diem — írja febr. 21. Crátónak — qui est a meo adventu XIV. fuimus Claudiopoli, propediem ituri

ténetét, hanem Magyarország összes historiája megirását kivánta, még pedig a legrégibb időktől a jelenkorig[71]). Brutus mindenek előtt készületekhez látott[72]). De csakhamar elbetegesedett annyira, hogy ez által még levelek irásában is gátoltaték. Testi ereje fogyott, lelke le volt verve. „Volentem destituunt vires — irja Crátónak Fejérvárról, már april 1. — imbecillitas est tanta, quantum consequi adeo contumacem morbi vim verisimile videtur. Vna est spes qua sustentor: non illa quidem in medicorum industria posita, sed in Eius unius ope, quem nemo unquam frustra rebus suis malis imploravit.“ Éjjelei álma vissza kezdett ugyan térni, de éles (tán köszvényes) fájdalmai nem enyhültek; bú, és félelem fogta el a baj következményeitől: „appendices enim esse dicuntur calculi dolores, aqua inter cutem, resolutio nervorum, comitialis morbus, tabes pestilentiales aliae...“ Hálával említi a fejdelmi orvosnak, Blandratának (mert a B. betű alatt kétség ki-

---

Albam Iuliam, ubi est Principis regia, atque illius mandato destinata mihi certa domus.“ 286. l.

[71]) „Impositum munus scribendi *superiorum Pannoniae regum res gestas*; ut persequar ea, quae tum a Bonfinio, tum ab aliis, ad nostram memoriam usque sunt literis consignata:“ irja Crátónak 294. l.; Báthorinak pedig, már mint királynak, 1579-ben: „est illud ipsum pridem abs te mihi mandatum munus, *res Pannonicas* scribendi: cuius, pro summa tua in patriam pietate, ita es sedulus exactor, *ut eorum, quae ipse geris, quamvis illa immortalitate digna, non a scriptore abs te quaesito praemio*, ne parum solida gloria, iis, qui te minus norint, frui videare, sed a quovis potius literis prodi velis cuius fidem nulla sollicitet praemii spes, quo minus libero iudicio utatur in scribendo“ 69. l.

[72]) L. berl. 294.

vűl ez lappang), gondjait, ki neki, az új helyzetében tájékozatlan férfinak, a gyakorlati életben is baráti segedelmet nyújtott, s midőn az elbetegűlt Forgách, kigyógyulását nem sokára maga is szelidebb ég alatt kereste, honnan többé vissza sem jött, róla megszűnt gondoskodni[73]), Blandrata volt az, ki Forgách helyét pótolta a fejdelemnél is az új ember érdekében[74]): még is, ily helyzetben, Brutus az egészségének kedvezni nem látszó tartomány elhagyásáról gondolkodott. ismét Crátó barátságát vette igénybe, nem homályosan a császárnál kilátásba tett állásra célozva[75]). Azonban, úgy látszik, Blandrata mestersége kiépítette őt, vagy legalább tetemes enyhülést szerzett neki; mert ím, Brutus nem csak maradt, hanem idővel magát igen jól is érezte helyzetében. „Mea hic omnia belle: — írja ugyanannak 1575. febr. 14. — bellissime dicere non audeo, quoniam te careo.“ T. i. „*nihil est absenti promissum*

---

[73]) Forgáchra értendő, mint ugyan nekem látszik, a Levelek következő helye: „Caetera, quae mea causa egit (Blandrata t. i.) cum me, novum hominem, et cui erant omnia nova, haerentem, et circumspectantem omnia, *is, quem minime omnium aequum erat, deseruisset*, non patiuntur praesentia mala, quae me vexant, pluribus commemorare.“ 289. l.

[74]) „Nam — folytatja az iménti id. helyen — quod Princeps me liberaliter complexus, et amanter, nullum in me genus liberalitatis beneficentiaeque praetermiserit, *eius unius* in me summa indulgentia sum assecutus.“

[75]) Ismét u. ott: „Quae quanquam ita sint, *video hinc mihi tamen avolandum, atque id quidem medici consili, non iudicio solum meo.* Quo vero ego hincpotius, quam ad eos, apud quos mihi facta primum spes vitae, salutis praesidium, receptus, atque arx tutissima patefacta est? Itaque... eripe me his... malis“ stb.

quin mihi et uberius, et cumulatius mea spe persolutum sit, nihil quod sit proprium optimi Principis et sanctissimi, quin ab illius liberalitate me exspectare amici illius interiores velint."[76]) És csakugyan Brutus most a külföldön maradt adósságait is kezdte törleszteni[77]); kedve is felüdült. 1575. aug. 25. a fejdelemhez intézett levelében[78]) nem csak frisebb szellem lengedez, hanem új munkát is tervez. T. i. Báthori, vágytársa Békesi támadását Szentpálnál júliusban szerencsésen levervén, s így az elég hosszú zavargásoknak, a kis haza szerencséjére véget, vetvén, Brutus e háború történetét szándékozott megírni: „Operam dabo, ut stylo eam causam suscipiam tuendam, quam alii defenderunt armis, tu invicta manu, consilio, atque animi robore incredibili ab inimicorum subita conspiratione vindicasti. Id est futurum, si quam primum de tota gesta re conscriptum commentarium mihi iubeas tradi, unde mihi liceat integram historiam, uberiorem certe, et, si modo mea modestia id dici a me patiatur; ornatiorem luculentioremque contexere. Quae mea in hac tota re ratio sit, si licebit agere coram... paucis ostendam"[79]): mit egyébiránt e helyt csak előleges tudomásúl veszünk.

IX. Ez év vége felé indúlt meg Lengyelországban, Henrik királynak Franczia országba visszatértével, a királyválasztó mozgalom. A lengyel rendek Báthori követeivel megegyenesedvén, 1576 januárban őt királyukká meghívták, s már május 1. fejére tették a Piasztok koronáját. Udvarával együtt Brutus is Krakóba kísérte az új királyt, ki mellett, annak egész halá-

[76]) U. o. 293,4. l. [77]) 292. l. [78]) 81—3. l. [79]) 83. l.

laig (Báthori † dec. 13. 1586.) maradván, itt élte le az ötvenkilenczedik évébe lépett és sokat hányatott férfiu életének ránk nézve annyira gyümölcsöző tizenegy évét. Az ellátás, melyet a most már „királyi történetíró“ [80]) itt nyert, méltó volt egy tudományszerető nagy királyhoz. Évdíja már 1577-ben, s 1582 újra, bőkezűleg neveltetett; lakása a kir. várban kényelmes és díszes, minden egyebe kivánsága szerint. [81]) Gyönyörködött az egészségnek kedvező fekvésben, a kedves kilátásban is, mely az alatta elterjedő városra és tár környezetre nyílt, de egyszersmind a helyzet magányosságában, mely az alkalmatlan látogatók gyakori háborgatásaitól megóvta [82]). Öröme a munkásság, melynek, mint maga mondja, nem ösztön, hanem fék kellett [83]), s a fő emberek kegyei: Mischovski érsek, a Zborovskiak, Svetickiek, Buzinskiak, Poniatovskiak vele leveleket váltottak, némelyek magok tevén az első lépést; főleg azonban a

---

[80]) „Regis Poloniae Historicus“ (berl. 498).

[81]) „Quaeris, quo in loco res meae? Auctum stipendium regia munificentia; Cracoviae, in regia, domus attributa, et ea tum ad usum, tum ad elegantiam praecipua; alia, ut volumus“. (berl. 334. l.). — 1582. júl. ismét Crátónak: „De aucto stipendio quod gratularis, agnosco tuam in me benevolentiam stb (o. 345.).

[82]) „Decreta mihi domus in Cracoviensi arce, saluberrimo loco, et unde est despectus in subiectam urbem, et longe lateque patentes campos: ut ad usum voluptas accedat, quae ex loci amoenitate est summa, faxit Deus ut solida, diuturnaque sit: solitudo certe ea est, ut cum mihi sit necessaria maxime, ne quis parum opportunus interpellator, me sua frequentia a scribendo avocet, sit eadem suavissima.“ (u. o. 328, 9).

[83]) U. o. 519. l.

nemes Crátó barátsága s a magyar urak jóvolta szépítette életét, kik közől nem csak magas állásuk, hanem míveltségök, érdemeik és iránta való hajlandóságukért Békesi Gáspár, Berzeviczy Márton, Gyulai Pál, és — korának egyik dicsősége — Dudith András, kiemelendők, s végre, ki minden tekintetben első helyt említendő, a király, változhatatlan s mindig egyforma részvéte-, gyöngédségei s kegyelmével a legnemesb formákban: úgy, hogy helyzetét irígylésre méltónak érezte [84]). De e szép élet sem volt árnyékok nélkül: voltak rágalmazói [85]), meg-megtérő testi fájdalmai, melyek kor és munka által nevelve, érzékeny lelkét gyakran újabb, nagyobb bajok félelmével ostromolták [86]), amiért mértékletesen élt, s egészséges korában is úgy, mintha beteg volna [87]); sőt voltak nehéz gondjai is a pénztár tiszteinek fukarsága miatt, kik oly pontatlanúl szolgáltattá k ki fizetését, hogy volt eset, midőn szinte kölcsönre szorúlt [88]), ő, ki oly gondos volt távol országokban hagyott régi adósságai folytonos letisztázásában! Legnehezebben végre az udvari sereg amaz értetlen irígykedése il-

---

[84]) U. o. 527. l. [85]) U. o. 312. l.

[86]) 245. 299. — .. quantumvis me graves curae a me aberrare cogant, quarum semper plenissima cohors in animi mei arcem invadit .. barátjai levelei felderítik, u. m. (479. l.).

[87]) 302. l.

[88]) „Res meae sunt arcto loco — írja 1578. máj. Gyulai Pálnak, kinek e végett közbenjárásaért folyamodik — vix mihi annui quadrantis tertia parte persoluta, ut nisi mihi in Regis benignitate aliquid perfugii positum sit, brevi sit futurum, ut magno meo incommodo sit mihi foenerato sumendum et quidem conditione teterrima: *quis enim a ulico* homini terruncium foeneretur? stb. (520. l.).

lette meg, mely az írót úgy tekintve mint a napszámost, nem azt kérdezé: mit, hanem mennyit ír, s ilyeket a király előtt is emlegete, bár siker nélkül. Valóban, jobb ebben a te országodban — írja egyszer Dudithnak — a toll helyett ásót és kapát forgatni, mintsem engedni azon ösztönnek, mely a mű szeretete által felgyúladt lelkemet írásra ragadja. *Íme bűmnak oka*! stb [89]). Nem csoda tehát, ha az *udvart* gyülölte oly mértékben, melyben királyát szerette [90]).

X. Meg-megakasztották Brutust a magy. történet megirásában több hivatalos, más lélekderítő, de kútfőnyomozó *uta:ásai* is. 1577 augustustól novemberig a király táborában volt, Poroszországban, szemtanuja a hadjáratnak, melynek czélja a pártütö Danczkát meghódoltatni. Nem olvashatni mosoly nélkül érzékeny panaszát a felett, hogy ő, az éltes férfiú — ekkor töltötte be hatvanadik életévét —, ki gyermeksége óta a béke műveinek élt, most hivatalból vala kénytelen csatákat, tüzeket és vérengzéseket színről színre látni, a győző és meggyőzött katonák borzasztó zaját, s a sátorokig elható ellenséges ágyugolyók közt a sebesültek jajgatásait hallani! stb. [91]). Jelen volt a követek elfogadásán Marienburgban, s mindenütt, hol a király megállapodott, tanuja tetteinek, intézkedéseinek. Más ízben a király Varsóba hívta, hol országgyülés tartatott: Brutus, nehogy kiragadtassék csendes munkásságából, szabatkozott Berzeviczyhez írt levelében: ajánlkozva még is, ha a király netán azoknak felolvasását kivánná, mik elmenetele olta ké-

---

[89]) 382. l. [90]) 329, 30. ll.
[91]) 330. l.

szűltek[92]). 1581 is híre volt, hogy a király magával viszi a tartományokba[93]): t. i. Báthori akkor Grodnóba, Vilnába, Pleszkov alá ment, az orosz ellen intézett hadi működései mellett a béke dolgáról is értekezve. Tán nem tévedek, ha felteszem, hogy diplomaticai harczában a király Brutussal is kivánt élni: aminthogy ezt csakugyan útra készűlni látjuk is[94]), s egész nyáron át, tán ottani elfoglaltatásai miatt, tőle levelet nem találok, aug. 1-jeig, mely nap már Krakóban intézi a királyhoz azon szép *vigasztaló levelet* öcscse, Kristóf erdélyi fejdelem, halála felett, mely Brutus munkái közt a szebbek egyike[95]). Magán utazásai közől a boroszlóiak 1577-ben[96]) és 1582-ben[97]), hol főleg Dudith, Crátó, Rehdinger barátsága élesztette őt, s a bécsiek 1579[98]) és 1582-

---

[92]) Berl. 244, 5. ll.

[93]) Sveticki írja apríl 16.: Te hac aestate Rex in provinciam abducturus secum est." 559. l.

[94]) Csakugyan azzal menti magát Sveticki előtt Brutus, hogy e levelére még most nem felel, mert ezt épen az utolsó percben vette: „Proficiscenti enim in regiam, ut Regi valedicerem, et conscenderem currum, tunc mihi sunt literae redditae" (561. l.), s így válaszával adósa marad, míg visszatér: „patiare me tantisper in tuo aere esse, quod Cracoviam reverso liceat maiore cum otio . . . respondere" (u. o.).

[95]) Levelei berl. kiad. 87—120. ll.

[96]) U. o. 432. l., ha e levél csakugyan 1577 költ.

[97]) U. o. 346. 494. ll.

[98]) Hogy ama kelet nélküli levél u. o. a 208—10. lapokon ez évben iratott, s így az 1578—9-ki télen Brutust Bécsben kell keresnünk, a levél azon helye mutatja, mely az utrechti unióra vonatkozva (ez januárban 1579 köttetett) az antwerpi kálvinisták megtámadtatását a katholikusok által újságként beszélli el, s hozzá teszi: „Sedatum tamen tumultum

ben[99]) említendők: ezek is azok is, részben, magyar históriája érdekében lehettek: ott naponként Dudithcsal [100]), itt Zsámbokival értekezhetvén. „Levat animi moerorem — (hogy Bécsben kelletinél tovább volt kénytelen időzni t. i. „adhuc me Viennae hyemis saevitia tenet") — *Sambuci consuetudo*, cum dotissimi hominis, tum vetere amicitia et studiorum similitudine mihi coniunctissimi (mindkettő philolog és történetész volt), qui *cum de Vngarorum rebus fere quotidie*; et quidem ut in magna spe sim fore, ut neque me, neque regem adeo meae huius poeniteat morae." Létesült-e 1580 (nov. v. decemb.) Berzeviczyhez intézett levelében kifejezett kívánsága Magyarországba mehetni, és Forgách Simonnal, s más a jelenkor dolgaiban részt vett férfiakkal értekezhetni? amit sürgetett, bár a király gyöngéden féltette őt[101]), nem tudom. Megismerkedve így Brutus

---

aiunt per interpositum Matthiae principis auctoritatem, *quae adhuc sancta illis populis habetur: quam diu sit futura, non libet divinare.*" Egy évvel az előtt a protestánsok Antwerpben még nem predikáltak; s a Mátyás főhg népszerűsége ekkor élte utolsó perceit.

[99]) T. i. 1582. júl. 23. Crátóhoz írja, hogy ennek májusi levele őt nem találván többé Krakóban, Bécsbe küldték utána (u. o. 342. l.).

[100]) Mint látni fogjuk, írott értesítésekkel is segítette: u. o. 323. l.

[101]) „Ac video quidem Regem sollicitum de mea salute (egészségéről), ne quid mihi durius accidat vereri: cuius in me indulgentiam ita agnosco, ut non tamen absistendum a tam praeclaro incepto censeam" 240. l. — Hogy e kelet nélküli levél 1580 novemb. költ, mutatja hivatkozása a királyhoz „proxime" intézett levelére; mely nov. 1. 1580. kelt (u. o. 75. s köv. ll.).

állapotjaival Krakóban, most már életének fő emlékéhez térek: magyar történelméhez.

X. Mondottam, sőt Brutus saját szavaival kimutattam, hogy a feladat, melyet Báthori még Erdélyben elibe tűzött, egy teljes magyar história" volt. Úgy látszik, a fejdelem-király oly míveltségű, oly tudományú, oly itéletű férfiú volt, kit Bonfini nem elégített ki, ki ezt egy új, s több kritikával dolgozott történelem által akarta mellőzve, helyettezve, látni. Mégis, nincs nyoma, hogy Brutus ilyenhez fogott. Lehet, hogy körültekintve a tért, átlátta, miszerint egy új feldolgozás, új anyag hiánya miatt, csak az ismertnek kritikai átdolgozata lehetne, melylyel talán sem felséges megbízója áldozataihoz mért munkát nem adhatand, sem a köz várakozást ki nem fogta elégíthetni. Bonfini folytatása, vagy inkább az *új történelem*, mely Hunyadi Mátyás halála után kezdődik igazán, mely kidolgozva még nem volt, s melynek annyi közelkorú, s részben már egykorú tanúja élt; mely időre egyeseknél nem kevés előkészület, sőt egyediratok is léteztek, a levéltárakban pedig, főleg a fejdelemében, annyi feldolgozatlan okmány vala együtt: e kor kellett hogy különösen vonzza őt: itt teremteni lehetett, ebben nagy tanulságok fekvének, amiért e kor történetének gyakorlati, politikai, irányt adhata, hogy az a köz élet iskolája lehessen: *quae magno sit hominibus ad vitam recte agendam adiumento*, mint maga fejezi ki magát [102]). Kétségkivül a király tudtával történt, hogy a régi történetet abban hagyta, vagy

[102]) L. feljebb a XIX. lapon.

hogy az, mint akkor kevesbbé sürgetős, elhalasztatott. Sőt nekem úgy látszik, hogy nem is ott kezdte dolgozását, ahonnan az, amit tőle ma bírunk, kiindúl, hanem a mohácsi veszedelem utáni idővel. Ha nem csalódom: azon Ferdinándot illető töredékek, melyeket a Ferdinánd Történetét sürgető Crátóval már 1577 közlött, a készülő félben levő VIII. könyvből voltak véve, s tán leginkább azért közölve, hogy Crátótól annál biztosabban nyerjen adatokat azon korra, melyre tőle leginkább várhatott. „De Ferdinando quod mones, — írja hozzá az említett évi június 16. — in eo sum totus: tu adiuva ultro eius causae faventem: efficiam ut non desideres grati animi officium, ubi, id quod te scio esse facturum, aequo animo, me esse memorem meae fidei patiare, quae est mihi rerum omnium summa. Me vobis studere mea sponte, et cupiditate incensum a vobis incitari, unus, *atque alter locus ostendet, quos his literis inclusos ad te mitto.* Interea tu erue mihi, *quae post Ludovici interitum, qua de interregno, qua de comitiis, de aliis, in Pannonia sunt gesta;* sed ita quidem, ut quae non meae solum, sed tuae religioni consentanea sint: imprimis, *quando Scepusius victus a Ferdinandi ducibus; a quibus, quoties, quibus in locis victus sit.* Ne multa: quicquid habes, *quod pro veritatis causa sit, cui pariter uterque nostrum favet, in medium affer.*“ [103]) Ne lássunk e sorokban egyebet, mint valamely elogiummal biztatást oly fejdelemről, ki nem volt erények nélkül: de ezt is *becses adatok árán*, melyek szerzőnknek, magyar történetéhez fogtak

[103]) Berl. 315. l.

szolgálni. Mert eme munka, elégséges anyag hiánya miatt, még, most lassan haladhatott, különben nem fogta panaszolni (ez év decemberében) hogy megszólják a király előtt, miszerint *keveset ír* : „neque enim quid scribam quaeritur, sed *quantum scribam*“ [104]). Esdekelve kéri Békesi Gáspárt, eszközölné ki a királynál, hogy Zsigmond lengyel és János magyar királyok egymáshoz írt leveleik, mik ú. m. a király levéltárában vannak, vele közöltessenek, miután Dudithtól *sokat* kapott ugyan, de János királyt illetőleg semmit [105]): *sokat*, még pedig, mint látszik, 1577-ki paszkovi nála-létekor, számos titkos irományokat, melyek segedelmével főleg, reménylette *megkezdett munkáját* szerencsésen megalkothatni [106]). Nem két-

[104]) U. o. 381. l.

[105]) „Audio — írja 1578. febr. 12. — in Regis tabulario, praeter caetera antiquitatis monumenta, tabulas publicas, leges, edicta regum, literas ad reges scriptas asservari : ex quibus si mihi potestas fiat legendi, *quae ad Sigismundum a Ioanne Rege, ad Ioannem a Sigismundo sunt scriptae, per ea tempora, quibus ille de regno cum Ferdinando Rege dimicavit*, incredibile dictu est, quantum scribenti Pannonicas res inde adiumenti sit accessurum. Adiuvanda omnino est mea industria : *Namque in his, quae typis excusa leguntur, quae ad rem faciat, ne litera* quidem. Vnus mihi vir, idem amplissimus, et cupidus imprimis patriae illustrandae, multa Andreas Dudithius subministravit; sed *ut de his, quae ad Ioannem Regem pertinent, sit mirum silentium*.... Summa totius rei, ut mihi a Rege impetres literas ad regii tabularii praefectum, quibus mihi permittat cum regias illas literas inspicere, tum si qua alia sunt earum rerum, de quibus scribimus, certiora monumenta“ stb. 205, 6. l.

[106]) „Quid? quod elicuit suavitate sua Musas in hunc secessum? Bibliothecam habet refertissimam : libros optimos;

lem, hogy a kir. levéltárba is bebocsáttatott; s ím folyt a munka, hévvel, mohósággal, sokszor az elfáradásig [107]), amiben most már teljes boldogságát lelte fel [108]). Így lön, hogy 1580. február 7. már némi diadalérzettel írhatta Berzeviczy Márton cancellárnak: „Ita vero tibi persuadeas velim, quicquid sit in me ingenii, usus, eruditionis, si modo est in me ulla, totum id rebus iis scribendis, quas in manibus habeo, plane esse exhaustum; ut quod aut mihi, aut amicis praeterea impendam, nihil pene iam reliquum sit. Quod Rex meam sedulitatem probet, est id vero mihi quam gratissimum, tum re ipsa, tum eximio illius de me iudicio, atque adeo tuo, cui ille plurimum tribuit: nihil enim mihi certius est, quam per vos amicos meos complexos apud Regem meam

---

de reconditioribus rebus scripta multa: quae ita parata ex longo usu rerum maximarum mihi reseravit, ut nunc modo sperare incipiam, inchoatum a me opus haud infelicibus auspiciis, ut me iuvat sperare, me absoluturum." U. o. 323. l.

[107]) „Vnum hoc scio — így szól a gyönyörű hely Gyulai Pálhoz (1578) — nullum me agere feriatum diem: inter arma agere, oppugnare urbes, expugnare, classicum canere, versari in acie, dicere sententiam in regum consilio, bella indicere, foedera ferire, sed alia, atque vos ratione: quae tamen ita animum fatigat, ut sint mihi induciae petendae, ne oneri victus succumbam." U. o. 525. l.

[108]) Dicerem — ugyanahoz 1578. febr. 18. — quam mihi iucundum hoc Cracoviense otium esset, quam non inrideam vobis, beatis hominibus, aulae istum splendorem, salutationes regum, potentium deductiones in regiam; sed non faciam, ut sim multus, id quod mihi facere necesse esset, si de his ad te plura, et volens omittam ea scribere, *quae vos cogunt, mihi hunc meum secessum invidere...*" U. o. 527. l.

causam, cui non semper datur facultas legendi mea, mihi licuisse consequi, quod in vita erat mihi maxime optandum, ut de mea industria, tam honorifice et sentiret, et pronunciaret. Quod reliquum est, dabo ipse operam, sedulitatem, atque industriam pertinaci studio tuendo, ut neque vos Regem, quod mihi apud illum faveritis, fefellisse videamini; neque eum ipsum poeniteat sui iudicii, quod de me animum induxerit bene sperare[109]). Nekem ugyan úgy látszik, hogy *most már kevés volt hátra az egész munkából.* Mert a legújabb rész, melynek elkészültéről tudósítja a cancellárt „1550-től Lippa elvételéig" (1551) terjedt; s ezt másoltatta már, hogy megküldhesse[110]): „Ardeo enim cupiditate meum vobis studium probandi, *id quod spero brevi fore, si vita suppeditabit: quae mihi* uno hoc nomine gratior erit, ubi *eum fructum,* quem spero, *Regi, et per eum Vngaris*

---

[109]) U. e. 227. l.

[110]) „Iam rem perduxi *ab anno quinquagesimo exorsus, ad Lippae usque expugnationem*" u. o. 228.; s ismét: „Scripsi, ut dicebam, ad Lippae usque oppugnationem; quod mihi opus tantum occupat (exacte enim et diligenter sum dimensus) quantum est Caesar materiae, a primo ad tertium usque commentarium belli Gallici, complexus. Multum inquis? imo tum videbitur multum, ubi leges non quantum scripserim solum, sed quid, et quemadmodum id adeo scripserim. Librarius est totus in describendo, sed ut non putem, per totum hunc mensem, absoluturum." u. o. 230. — Az 1550 és 51-ki történetek Brutus XIII-d. könyvében foglaltattak, mely azonban csonkán jutván reánk, csak a nyírbátori szerződésig megyen. E rész, midőn ép volt, kiterjedésre kétség kivül felért J. Caesar III első könyvével a galliai háborúról.

liceat legere“ [111]). S míg ezeket tisztázták, sőt a másoló már a Temesvár veszedelméig (1552) haladt [112]), készűlt Brutus „a király kivánságára, *összevonni azokat, miket a II. János halálaig történt dolgokról írt*, hogy, ha a király holmit kevesbbé helyesen találna előadva, e részt azok itélete alá bocsáthassa, kik azon történetek tanúi voltak“ [113]). Még világosabban szól azon évi jún. 4. Gyulai Pálhoz írt levelében, melyben a másolhatni kért leveleket emlegetve: „non dubito — mond — quin Rex in iis, quae conducere *ad operis absolutionem* putet, sit mihi morem gesturus, ubi ex tua oratione cognoscat, quid sit *brevi* de eo, *quasi iam imposita coronide*, speraudum [114]).“ Így csak akkor szólunk, midőn a vég czélhoz közel vagyunk. De mind ez *első dolgozás* volt. Hátra tehát a megbíráltatás, ennek nyomán az igazítgatás, az utolsó kéz simítása. A kézirat 1580. júniusban

[111]) U. o. 230. l.

[112]) „Iam quae scripsi hybernis mensibus, sunt *ad Themesvariensem usque deditionem* ita *descripta* accurate, ut legi, et facile, et commode possint, ubi a librarii erratis erunt perpurgata, quae, ut solet, nonnulla occurrunt, in interpunctionibus praesertim, quae legeutem morantur, et perturbant sensum eorum quae leguntur.“ U. o. 535. I. — Brutus pesti codexében a XIV. könyvből *Eger ostroma* is megvan, mely Temesváré után következett.

[113]) „Interea dabo operam, id quod Regem video velle, ut *ea in compendium redigam, quae scripsi ad Ioannis Secundi usque interitum*: ut si quid Rex minus recte relatum legat (quid enim certius, quam natum hominem errare?) eorum iudicio emendandum subiiciatur, qui iis gerendis interfuerunt, quorum verisimile est multos adhuc superstites esse.“ 234. (e kelet nélkülilevél kevéssel az előbbi (226—232. l.) után íratott mely költ febr. 7. 1580. [4]) U. o. 532 l.

ban Berzeviczy kezeiben volt. Érintve ehez írt levelében Brutus több vitás pontot, s hogy azok iránt, igen is, fog még Berzeviczy tanácsa szerint Forgách Simonnal is értekezni, folytatja: „Sed fuit tamen prius TOTVM QVASI CORPVS HISTORIAE conficiendum, homini praesertim natu grandi (hatvanhárom éves levén már), et qui memor humanae conditionis, *non sit immemor suae fidei* (itt igérete értetik, a munkát elkészíteni), *cuius dandam operam mihi video, ut certa monumenta post mortem extent.* Itaque nullo negotio mutari, ubi opus erit, addi, tolli multa poterunt, quae scribentem, quanquam sedulum, hominem tamen, interdum fallant necesse est“[115]. S *ezért*, az előadottak biztosabb megállapítása végett, kivánkozék — folytatja — Magyarországba, hogy ott a kortársakkal, s köztök Forgáchchal, tanácskozhassék; s bár a király félti az ő (Brutus) egészségét: „ut non tamen absistendum a tam praeclaro incepto censeam.“ E végre a királytól ismételve ajánló levelek kieszközlését kér a magyar fő emberekhez[116]. Döntő helyek ezek, kétségtelenül bizonyítók, hogy 1580-ban Brutus Történelme, egész 1571-ig, azaz Báthori fejdelemsége kezdeteig, első kidolgozásban készen állt; *akkor még tizenkét könyvre osztva;* melyeket át volt dolgozandó, s azután Báthori történeteit megirandó. T. i. szinte akkor, nov. 1. 1580. írja a királynak: „Dabitur aliquando facultas, Deo bene iuvante, defuncto tanto labore (*a vég átdolgozás után* t. i.) de Tuis laudibus solutiore animo agendi, quae non solum liberum ho-

[115]) U. o. 239. l. [116]) U. o. 240. 241. 535. ll.

minem ab occupationibus aliis, sed vacuum etiam, si fieri possit, cura sui, propter argumenti maiestatem, atque amplitudinem requirunt. Non enim despero fore, IAM XII IVSTIS LIBRIS PANNONICARVM RERVM CONFECTIS, quos meae sedulitatis et vigiliarum testes posteritas leget, ut non mihi aliquando liceat, quod mihi unum in optatis maximum est, *rebus abs Te gestis admovere manus*[117]). A következett (1580—1-ki) télen tehát a II. János halálaig történtek átdolgozásával foglalkodott: „Ea nunc scribo — írja Berzeviczynek — *quae propius ad illius* (Regis) *tempora accedunt:* quae eo spero legenti futura gratiora, quo plura sunt, quorum ipse possit esse memor;" s mert a király Brutusnak Varsóba jövetelét akarta, ez, hogy Báthori tudhassa miben fáradoz, magát felmentetni kérvén, a kész munkából mutatványokat is küldött: „ne forte Rex, quae sint ea requirat, quae per totum hoc tempus scripsi, in unam aut alteram paginam redacta, ad te mitto, ut legenda Regi.. tradas"[118]). 1581 és 82-ben folyt már az átdolgozás és tisztáztatás. „Temporis ...potiorem partem mihi eripit Vngarica Historia, quam Rex, a capite descriptam, non poscit (parum enim mihi videor dicere) sed flagitat, atque id quidem tacendo: quae illius modestia stimulos mihi mea sponte concitato addit." Ezeket írja Crátó barátjának 1582 július 23.; és: „Venio ad alteras tuas.. in quibus.. agis.. de Historia Vngarica: *quam qui ad te scripserunt absolutam*, haud plane scire videntur, quam sit arduum opus historiam scribere." T. i. *el* volt az

[117]) U. o. 80. l. [118]) U. o. 245. l.

végezve, de *bevégzettnek* nem tartotta szerzője mind addig, míg volt rajta igazítható, igazított pedig folyvást, mint azt a fennmaradt, már tisztázott, codexek bizonyítják. S hogy e folytonos munkát győzze..: „ne succumbam labori, quem ferre, nisi incolumi valetudine, haud facile est, victu tenuissimo utor, et quasi qui adversa valetudine laborat, ex medici praescripto, vix fieri posse arbitratus, ut quis diu vivat sanus, nisi idem quasi aeger vivat“ [119]). Ily önmegtagadás, lelkismeretes gond és állandó szorgalom gyümölcse azon mű, melyet nem a díj, a jutalom — ezt szintúgy várhatott Miksa császártól, hol az részére már ki volt nyerve [120]); — hanem a tárgynak és saját dicsőségének szeretete vitetett vele véghez [121]); s úgy vitetett véghez, hogy ne a köznek, a sokaságnak, hanem a kevés választottaknak tessék [122]).

---

[119]) U. o. 344, 345. l. [120]) L. a 66. jegyzést.

[121]) „Ita vero agitur *et de gentis vestrae gloria* — írja Gyulai Pálnak — *et de Regis* adeo, ut *de mea non minus agatur* : cuius si negem me blanda quasi titillatione moveri, vix me esse hominem putes, qui unum naturae opus maximum, et in spem certam coelestis vitae, atque immortalitatis natus, est gloriae avidissimus.“ U. o. 532. l. S másutt kéri Gyulait, ajánló levelek szerzése által legyen segedelmére azon dolgokban „in quibus de summa illius (Regis) re, hoc est, de domestica laude et gloria agitur“ 535. l.

[122]) „Alii fortasse sit satis *vulgo placere*: equidem, *nisi vobis placeam*, quibus cum quam paucissimis datum est recte iudicare de hominum ingeniis: ne tota quidem literatorum natio sua suffragatione efficiat, ut me, quod illis placeam, plus pilo amem“ írja Crátónak 345. l. (Ejeles férfiúról l. Horányit a Forgách Ferencz Commentáriusai előtt az *f* ív első lapján, munkáit Jöchernél a Crato czikkb.).

XI. Azon idő alatt, míg nagy munkája készült, mellesleg Brutus még néhány kisebbet írt, históriai, philosophiai tartalommal, részint levél-alakban. Ilyekül kiemelendők: *1. Ad Stephanum Transylvaniae Principem de Regno a Polonis delato Gratulatio*, 1576[123]), kétség kivül egyike a legtartalmasb és ékesebb ily szónoki müveknek. „Quicquid fuit in me ingenii — írja róla maga Dudithnak —, quicquid artis, quicquid nervorum et virium, in hoc unum argumentum effudi“[124]). *2. Commentarius de tumultu Gedanensi*, 1578. Brutus, mint láttuk, jelen volt maga a király danczkai expeditiójában; emlékiratát Crátónak küldte meg; elvesztét, mint szemtanuét, még pedig a Báthori köréből, s egy Brutusét, a lengyel történelem méltán fájlalhatja. 3. Kiadta 1579-ben Krakóban: *A. Dudithii Commentarium de Cometis*, cum Praefatione I. M. Bruti (azon túl többször). 4. A *Zborovski ház történetét*, Corbineliushoz írt levélben [125]).

---

[123]) Munkái krakai kiadásában, és Berl. 19—65. l.

[124]) Berl. 383. l.

[125]) Krakai kiad. és Berl. 450—64. ll.— „Inchoatum opus ad vos misi — írja Zborovski András kir. udvarnagynak — non ignarus multa deesse, quae huic ipsi perpoliendo necessaria requirebantur... Vnum vero ubi hoc agerem, speravi fore, ut laus quidem vestra tota haberetur, quam quidem non verba splendida, sed res a vobis in luce hominum gestae fortiter, iuste, et sapienter, vobis peperissent; sed ut simul ex vestra laude aliquid in me redundaret. Quod quidem speravi futurum, si darem operam, ut non illae a malo artifice proditae literis viderentur: ut enim cognitio rerum maximarum sit prima iis, qui illa tenentur; nemo tamen non malit, illas de diserto interprete cognoscere, quam de impolito et rudi.“ U. o. 163—4. ll.

5. Kiadta: *Christophori Longolii Epistolarum Libri IIII.* Tullianae videlicet eloquentiae ad unguem expressa imago. Doctorum item aliquot Epistolarum ad eundem Longolium Liber. Bartholomaei item Riccii de Imitatione Libri tres, a Ioanne M. Bruto emendati. Bázel 1580.[126]). 6. *Ad Stephanum Regem. Consolatur lugentem fratris mortem, Transylvaniae Principis*, 1581. Egy senecai mű.[127]). Termékeny volt reá nézve az 1582. év philosophiai munkálatokban: a hat évi folytonos és fárasztó históriai dolgozások után, s azok simítása mellett, a munka változtatása neki egy volt a pihenéssel. Ilyen volt 7. a király kívánságára[128]) általa írott e könyv: *De Historiae Laudibus*, sive de certa via et ratione qua sunt rerum scriptores legendi; melyben a történetírásról nézeteit, és saját magyar történelméről sok érdekest mondván el, annak utóbbi részét, mintegy előszó helyett, Magyar Históriája elibe tűztem. 8. *Praeceptorum Coniugalium Liber Unus* ad V. C. Franciscum Veselinum. Egyike a legnemesb és szebb erkölcsi értekezéseknek, classicai formában, írva a czímen megnevezett lengyel főúr házassága alkalmával. Crátó barátjának 1582. júl. 23. így ír felőle: „Nam ne ignores integrum fere mensem cum alia scripsi, quae vacuum animum requirerent ab omni

---

[126]) Egyike a legritkább könyveknek. (Pesti egyetemi könyvtár).

[127]) Báthori Kristóf erdélyi fejdelem halála után. Krakai kiadásban, és Berl. 87—120. l.

[128]) „Scripsi, ut mihi imperasti, de historiae laudibus." Az ajánló levél elején, berl. 639. l. Kiadva először az Epist. krakai kiadásában 1583., ismét a berliniben 637—778. l.

alia cura, tum de Praeceptis Coniugalibus commentarium: in quo etiam si plurimum me poterat Plutarchus iuvare, indulsi ingenio tamen, conatus, quasi in solitudine agerem, et ubi nulla legendi facultas aut copia librorum esset, ingenii periculum facere. Et vero Plutarchi non magnus usus, in eodem quidem argumento versanti, sed quod alia tempora, diversi religionis ritus, sacra varium efficiant" [129]). Nem legkisebb érdemei közé tartozik Brutusnak, még pedig hazai történelmünket tekintve, hogy 1582 *Callimachus Fülöp három könyvét I. Ulászló királynak történeteiről*, egy krakói (úgy látszik az eredeti) codexből kiadta. Így szól maga erről Zborovski András lengyel királyi udvarnagyhoz intézett Előszavában: „Placuit tuo nomini inscriptam Philippi Callimachi Historiam in lucem emittere, cuius *exemplar manuscriptum* mihi vir illustrissimus P. Sborovius Palatinus Cracoviensis frater tuus dono dedit, paucis ante mortem diebus." S tovább: „Perdiu iacuit politissimus scriptor hac temporum iniuria, *quasi in oblivionis tenebris*: cuius scripta, si cum multis conferantur ... facile appareat, *quantam iacturam politiores literae fecerint, quae tam diu huius scriptoris luce caruerunt*.... A kiadás többi okaihoz járult: impositum mihi munus a Rege sapientissimo scribendi Pannonicas res, quarum iam iustum volumen confecimus, ut in eodem argumento versatus, in quo plurimum Callimachus praestitit, et quidem in eadem regia, in qua ipse maxime auctoritate et gratia floruit, videar, quasi vicarius tam prae-

[129]) U. o. 369. l.

clari operis, hoc fidei et constantiae meae officium haud negligere potuisse"[150]). Feltünő az, hogy Brutus a munka elébbi kiadásait nem ismerte, holott az nem csak 1519 jelent már meg, hanem ez első kiadás után 1556, sőt újra 1578-ban is, és így négy évvel is őelőtte. Azonban ezek szövege az első kiadó saját vallomása szerint egy rossz másolaton alapszik, mely nem csak máskép van felosztva mint a krakói codex szövege, hanem számos, conjecturális, javításokat is tett szükségessé. Azért Brutus szövegét ismételték kevéssel utána Bongars, s a múlt században Schwandtner [151]). Ugyan ekkor forgatta Brutus elméjében *Julius Caesar Commentáriusai* (de Bello Civ.) új kiadásának közzétételét. „*Quibus emendandis* — írja ez évben a királynak — et alii hoc tempore multum, et *nonnihil ipsi contulimus*, id quid brevi nova Basiliensis editio, nominis Tui auspiciis consecrata edocebit"[152]). Láttuk feljebb (IV. fej.), hogy Gryphius Caesárját saját scholionaival még 1564-ben, velenczei tartózkodása idejében, Manutiusnál kiadta volt; mely ugyanott 1566 és Strassburgban 1569 ismételtetett, s oly fontos, hogy azzal Caesár irodal-

---

[130]) L. Phil. Callimachi de Rebus Gestis a Vladislao Polonorum atque Hungarorum Rege Libri Tres. Cracov. 1582. in Praef.

[131]) Az editio princeps kiadója Scheufler Zsigmond azt mondja előszavában: „in Callimachi Historiam.. incidi.. detersis, quoad fieri potuit, *labeculis, quibus ab inepto et ignaro scriba toto pene corpore aspersus fuerat.*" Utána adta Oporinus bázeli gyüjteménye (Chalcondylas, 1556) és Lonicerus a Chron. Turc. II. köt. 1578.

[132]) L. De Hist. Laudibus, berl. kiad. 745. l.

mában korszakot alkotott („aetas Gryphio-Brutina"). Láttuk (28. jegyz.), hogy 1572-ben azt újra kidolgozott szöveggel kinyomatta bázeli tartózkodása alatt, s hogy már akkor szándéka volt azt egy tetemes commentárral bővítve, s Báthori Istvánnak ajánlva, kiadni. Íme, most újra fel kivánta venni a fonalat, melyet, kétség kivűl bekövetkezett viszontagságos évei, s Erdélybe jötte óta minden idejének a magyar történelemre lelkismeretes ráfordítása ejtetett el vele. Azonban most sem készűlt el, mint látszik, ama iusti voluminis commentár, s így a bázeli nyomtatványok soha világot nem láttak, minek okát, a következő évekről hiányzó adatok miatt, adni képes nem vagyok.

XII. Gyakrabban buzdíthatták barátai Brutust, kikkel levelezett, hogy *leveleit*, melyek nem csak egy szép lélek művészileg szép és nemes kifejezése voltak, hanem tartalmi becsöknél fogva, ha egyebet nem ír vala is, a XVI. század legjelesb humanistái közé emelik, összegyűjtve kiadja. Elhatározta tehát magát e munkára [133]), s bár a historia áldolgozása nappalait éjjeleit igénybe vette [134]), szorgalmasan

---

[133]) Azon évi oct. 28. írja neki már Melissus, nürnbergi humanista: „Monavius... de volumine Epistolarum tuarum Cracoviae propediem edendo me certiorem facit." 497. l.

[134]) „De epistolarum mearum editione, video *quid amici mei velint*, atque adeo etiam, si causam cur velint, nullam video: quibus quo minus morem geram, facit opus quod habeo in manibus ita meis viribus maius, ut cum in eo sim dies noctesque totus, non aetati, non valetudini parcam, vix illi, quantum rei magnitudo postulet, mihi videar suppeditare. — Spero tamen rem me ulterius non dilaturum" Nov. 5. 1581. Berl. 490. l. Zamoscius János főcancellár és fővezérhez inté-

simítgatta, sőt maga tisztázgatta azokat [135]) úgy, hogy július 23. 1582 már közel járna a befejezéshez [136]). Azonban még septemberben bajlakodott velök a betíszedők folytonos sürgetése daczára [137]). A szerkesztés sorát, sok tekintetben jellemzőleg, így közli Crátóval: „*Primum* mihi *librum epistolae ad Regem* occupabunt: quae sunt fere gratulationes omnes. Est vero huic habendus honor, non solum quod in eo mihi sint omnia: sed quod in eo ipso, non amori, sed iudicio servio: ut in quavis fortuna dignum eo ho-

---

zett ajánló levelében pedig: „Non nominabo eos, qui nonum iam abhinc annum hoc unum a me postulant stb. — **Azokat** ú. m. összetépte, quae de meis privatis rebus ad amicos scriptae, quibus, cum saepius quicquid venit in buccam, visae sunt parum dignae, quae in manus hominum prodirent." (Bár ne így, úgy e fáradalmas életrajz teljesb és pontosabb leendett.) Quanquam et ex iis ipsis nonnullas haud plane indignas censuimus hominum luce, uno hoc nomine... quod in his speraremus fore, *ut grati animi monumenta* multa atque insignia in optime de nobis meritos homines apud posteros exstarent." U. o. 16. l.

[135]) „Est opus in manibus, quod accuratius limandum perpoliendumque suscepi, ut si qua sint in sententiis obscuriora, ea aut mutata, aut aucta clariora redderem. Itaque iam a principio librariorum vigilantiae diffisus, sum ipse describere aggressus, magno cum labore, ut omittam iacturam temporis, cuius potiorem partem mihi eripit Vngarica Historia." 344. l.

[136]) „Do tamen enixe operam, ut exemplar (epistolarum) paratum ad futuras nundinas Viennam ad Aubrium mittam, qui ad socerum (kiéhez?) afferat: Nam cum superioribus diebus Viennae essem, serio mecum ea de re egit, cum hoc addidisset, *epistolas a multis posci.*" 344. l.

[137]) Berl. 354. l.

nore censeam, qui summis regibus potest haberi maximus.... *Alter* complectitur, quae variae quidem argumento, *morales omnes*, videbantur eodem in libro collocandae: tametsi operam dedimus, ut haec laus *ne in aliis quidem desideraretur*, praeclaram quandam esse rem existimantes, cum quis scribit, tanquam aliud agentem, docendo adhortandoque adeo iuvare. *Tertius* destinatur *ad te* scriptis, quam video in iustum volumen crescere; multo plenius futurum, ni multas desiderem, quarum apud me exempla non exstant. Spero tibi pro summa tua aequitate hoc meum iudicium probari. Non enim volui videri in epistolarum collocatione, atque ordine, cuiusquam dignitatis, aut fortunae novisse discrimen; quod iudicium superbi nimium, et plus aequo sibi fidentis, a me procul mea modestia reiicit. *Vt casus tulit, ita sunt ordine digestae*: certe, quod potui praestare, enixe a me data opera est, ut nemo in eorum numero esset, quibus hic honos haberetur, cuius virtus non eum locum, in quo positus esset, honestaret, sive primus esset, sive esset postremus. Nullus enim est non honestus sapienti: cuius proprium est, non loco ornari, sed loco ipsum esse ornamento: ut saepe imum gradum honestissimum videamus, quo se sapiens demisit: turpem summum, in quo constituit fortuna hominem infimo dignum" [135]). A *negyedik könyv* Dudith Andráshoz, az *ötödik* végre Gyulai Pálhoz irottakat, s mind a két könyvhez vetve még számos másokat foglal magában. Megjelentek azok végre egy kötetben a 7. és 8. alatt felhozott munkákkal ily czím alatt:

---

[135]) U. o. 367, 68. l.

Epistolarum Libri V. Cracov. 1583.; és újra, a tudós világ sürgető kivánságára, kibővítve két alább nevezendő röpiratával s egy csomó részint régibb (az ő Epistolae Claror. Viror.czímű könyvében megjelent), részint kiadatlan leveleivel, a brandenburgi választó fejdelem nevelője Cramer által 1697-ben [139]): s e gyűjtemény volt fő forrása jelen életrajzunknak.

XIII. Ezen 1583. évvel elhagynak bennünket Brutus levelei; mert azon kettő, melyet 1585 Crátóhoz intézett, s melyek Cramer imént említett kiadásában állanak, reánk nézve nem tanulságosak. Lehet hogy koronként még javítgatott Magyar Historiáján, de az korántsem foglalta el minden idejét. Láttuk mennyit tett e tíz év alatt (1574—83): lehet-e, hogy azon három évet, a király halálaig (1586 végeig) tétlenül töltötte? Szabad legyen tehát hinnünk, hogy amit 1580 nov. 1. írt vala: Dabitur aliquando facultas defuncto tanto labore, de Tuis laudibus soluti-

---

[139]) „Ses écrits, devenus fort rares, *étaient souhaitez si ardemment des connaisseurs, qu'on apprit avec une extrême joie* dans la république des lettres, que Mr. Cramer avoit entrepris d'en procurer une nouvelle edition. La première partie de ce dessein est déjà executée, et l'on fait espérer les autres en peu de tems" írja *Bayle*, id. h. Az idomtalan vastagságú, mert 1155 lapú, kötet czíme: *Joh. Mich. Bruti Opera Varia. Selecta*, nimirum Epistolarum L. V., de Historiae Laudibus.. Liber, Praeceptorum Coniugalium Liber. Epistolis et Orationibus compluribus editione Cracoviensi auctiora. Berl. sumptibus Rüdigeri 1697 (nem 1698 mint Bayle s némely könyvészek állítják.) Historiai munkái (ezeket tehette Bayle az id. h. kilátásba) nem adattak ki újra Cramer által; de igen Florenczi Historiája, mint láttuk, a XVIII. században többször megjelent.

ore animo agendi! nem volt színlelt óhajtás, üres szó, főleg, miután, úgy látszik, a király, be levén fejezve, melyet kivánt, a magyar történet; *most már*, (mert kezdetben nem kivánta,) Brutust, saját ajánlkozásaira is, s miután őt gyakori együttlétel után nem csak kegyeivel, hanem bizodalmával is szerette, *a magáéval bízta meg.* Ez időre, 1583-ra, teszem tehát Brutus kelet nélküli levelét, melyben e hely áll: „Agnoscent vero Te, Stephane Rex, posteri, non ex mea oratione, sed ex rebus abs Te gestis, dignum quidem, cui contingeret rerum scriptor, qui ita excelleret copia atque ubertate orationis, ut Tu omnibus artibus excellis, quae Te ad maiestatem regii nominis evexerunt: verum, quod audeo de me spondere, teste non indigebis: cuius quo magis oratio simplex, et nullis oratoriis pigmentis ornata, coloratáque est, eo magis faciet fidem, *expressa a me verissima Tuae virtutis lineamenta*, quae nativo suo colore ac sanguine, non adventitio *et accersito spectantes teneat.* Itaque intelligo quam mecum honorifice egeris, qui me hominem quidem perstudiosum Tui, sed cum multis tamen, quibus est fama cognita Tua sapientia, iustitia, magnitudo animi, *unum inter multos delegeris, cuius scriptis res Tuas gestas commendares.... Quae cum ita se habeant, quod hunc mihi honorem habueris*, mihi ut debeo, plurimum gratulor; immortales tibi gratias habeo“ [140]). Hiszem tehát, hogy e mű megkezdetett, bár erről sem hírem nincs, sem maradványát nem bírjuk. Valóban méltó volna Solikowski Commentáriusait Rerum Polonicarum, melyek 1572-

[140]) Berl. 11, 12. l.

tól 90-ig terjednek, itészetileg átnézni, vajon nem ment-e azokba oly rész be, mely a Brutus tollára mutatna? Brutus hálaérzése, megbizatása, megszokott fáradhatatlan munkássága mellett *minden* egyéb munkának ez időből hiányzása azt hitetheti el velünk, hogy e három év is gyümölcstelen nem maradt [141]).

XIV. A király 1586 dec. 13. meghalván, Brutus hivatása Krakóban megszűnt. Azonban ha István király történetirója a királyi várból, mint hihető, kiköltözött is, a várost, és Lengyelországot, nem hagyta még el; sőt a bekövetkezett zavaros interregnumot a fővárosban töltötte. Az agg férfiú t. i. saját jövőjéről aggódva, úgy látszik, a leendő utódban vetette meg reménye horgonyát. A három trónkereső, Ernő, Miksa főherczegek és Zsigmond svéd herczeg, közől, az elsőhöz vonzotta — a főherczeg néhai atyjának Miksa cs. és királynak emlékezetén kivül, ki őt egykor kész volt udvarába fogadni, midőn a respublicai erkölcsü s még ép erejü férfi az erdélyi udvarral inkább rokonszenvezve ezt elibe tette — tán Ernő egyéniségének ismerete; s ím, tudósunk a politikai

[141]) Egyike jobb embereinek Zamoyski János főcancellár, a király sógora (ennek kishugát bírván), s lengyel hadvezéreinek tán legjelesbike, volt, kinek 1582-ben Levelei kiadását ajánlván, ajánló levelében irja: „Quod si mihi hunc honorem habueris, ut me non indignum censeas, cuius stylo res Tuae gestae posteris prodantur, id quod Te audio non nolle, efficiam diligentia et studio, ut hanc ipsam gravis et religiosi scriptoris fidelem sedulamque operam non desideres.“ U. o. 13. l. Brutus tehát kész volt Zamoyski hadjáratainak történetét a királyé mellett is felvállalni; s igy hatvanöt éves kora daczára elég jó erőben lehetett hogy feltehessük, miszerint kora által sem gátoltatott a király történetéhez fogni.

mozgalmakba vegyűlve, Ernő mellett szólalt fel egy röpiratban: „Ad amplissimum atque illustrissimum Polonorum et Lithvanorum Senatum, universosque regni Polonici Ordines, *de Ernesti Archiducis Austriae*, augustae maiestatis Principis, et de universae familiae Austriacae *laudibus Oratio*“; sőt nem sokára, a svéd herczeg ellen egy újabb irattal lépe fel: „*Io Mich. Bruti in Orationem Lucae Chvalkowski de Sveci Principis laudibus Censura.*“ Tudjuk, az 1587 augustusban összeállt királyválasztó országgyűlés többsége Zsigmondot emelte a trónra. Brutus állása Krakóban most tarthatatlan lett, annál is inkább, mert ez avatkozásai által legjobb embereivel is ellentétbe jött: Zamoyskival, ki Zsigmond —, a Zborovskiakkal, kik Miksa mellett álltak; s főleg az austriai és magyar részről folytatott, bár rövid, de szerencsétlen, háború miatt [142]). Ez alatt történhetett hogy, midőn Erdély a jezsuiták kizárását az országból kivánván, Géczi, Gálfi, és Kovacsóczi Báthori Zsigmondnál Leleszi János jezs. gyóntatója elbocsátását sürgetnék: Brutust ajánlák az ifju fejdelem mellé tanítóúl, de foganat nélkül. Engel forrását, ki e dolgot beszélli [143]), nem bírtam kipuhatolni; hihe-

[142]) Mint hatottak a krakai zavarok, a dolog eldőlése előtt még, Brutus kedélyére, kitünik saját nyilatkozatából a fenn idézett „Censurá“ban: „Qui (barátja Clarius, kivel séta közben találkozott) cum me subtristem vidisset, et, ut solet, percunctatus esset, satin' saluae, et accidisset ne aliquid, quod minus vellem, *(credo ut haberem*, quo aberraret animus a curis gravissimis, quibus turbulento hoc interregni tempore conficiebatur) legendam Orationem obtulit“ stb. 937, 8. l.

[143]) Gesch. d.Ungr. Reichs IV. 241. Innen ment ez adat át Schlosser Világtörténelmébe is (Weltg. f. d.d. Volk, XIII. 336. l.)

tőségét azonban nincs okunk kétségbe vonnunk, Kovacsóczit, Brutus különös becsülőjét és levelezőjét is a javaslók közt találván. S elhagyta a már behonosúlt Brutus Lengyelországot Sanclementi Vilmos védelme alatt, ki II. Fülöp spanyol király követe Rudolf cs. és m. király udvarában, a királyválasztási mozgalmak idején, Krakóban múlatott vala [144]).

XV. Hová vitte legyen magával Sanclementi Brutust s ennek övéit 1587-ben, nem tudom; de hihető, hogy Prágába, ahol a követ, Rudolf udvarában, tartózkodott; s ahol, mint valamennyi írókkal együtt nekem is látszik, azonnal, s hihetőleg *Ernő főherczeg szorgalmazására*, neveztetett ki *magyar királyi történetíróvá*, a pozsonyi m. kir. kamarától húzandó évdíjjal láttatván el [145]). Ez óta Pozsonyban la-

---

[144]) „Ita enim, *e Polonia discedens, me habuisti in Tuo comitatu, meosque omnes, cum per illum comitiorum aestum, quo nihil vehementius unquam et turbulentius exarsit, hominem interficere iocus et ludus esset*; ut quibus officiis statueres tibi complectendum, cuius in Te insignia merita exstarent, a me homine extero, et *vix Tibi cognito* haud patereris desiderari." S e miatti hálából ajánlja neki két krakai röpiratát, Prágában, 1590. január 1. költ levelében. U. o. 898. l. — Hibás tehát *Pray*, midőn (Annal. IV. 7. l.) állítja, hogy Brutus Sanclementi által lett Miksa cs. előtt ismeretes — ki, t.i., akkor, midőn a spanyol követ Brutussal megismerkedett, már nem élt.

[145]) Az Opera Varia Selecta berlini kiadásában olvassuk: „I. M. Bruti Sacrae Caesareae Maiestatis Historici" (893. l.); Ernő főhg: „quia is Suae Maiestatis Historiographum egit"; a pozsonyi kamara így: „Suae Maiest. Caes. et Regiae Domini nostri Clementissimi Historiographus." Egyedül helyes címe: *Magyar kir. történetíró*; mert a magyar történelem megírásával volt megbízva, s évdíját a magyar kincstártól vonta, mint a szövegben látható királyi levél tanusítja.

kott[146]), már Krakóban befejezett történelmét v. újra dolgozva, vagy tán a legújabb időt (1571 óta) írva. Derék fizetést kapott[147]), de pontatlanúl úgy, hogy, sok utánjárásai daczára, örök fennakadásokkal küzdött. Ezért írja a király 1591 június 1. a helytartónak, Fejérkövy István püspöknek: „Vt res Hungaricas Ioannes Michael Brutus Historiographus noster, accuratius scriberet et commodius, ex istius regni nostri aerario stipendium ipsi soluendum decrevimus. *Postquam vero difficultatem ipsum experiri maiorem, quam speraverit, intelligimus*, ita ut ultro citroque proficiscendo, nihil praeter temporis iacturam et vacuos loculos reportet, quorum utrumque per se grave, propter senium ipsi gravius fit, omnino benignitatis esse nostrae, qua ipsum Brutum ob insignem doctrinam, et anteactae vitae merita complectimur, existimamus, id auctoritate nostra in primis efficere, *ne tam praeclarae scriptionis stilum egestas remoretur, neve ea cura curas similes, quae quocunque potius solatio leniendae essent, augeat.* Clementer itaque Tibi iniungimus, ut una cum aerarii nostri quaestoribus eas rationes, quantae cunque angustiae, et poscentium diversorum necessitates sint, ineas, *ne stipendio ille suo diutius frustretur*, sed ut, *quae ad hoc usque illi tempus debentur*, integre persoluantur, *utque in posterum ille ita tractetur*, ne, *quod reliquum habet vitae et historiae*, quo minus ala-

---

[146]) Mint Ernő főhg alább előadandó leveléből kitetszik, melyben Brutus halála után a pozsonyi kamarának meghagyja, hogy „res et scripta omnia dicti Bruti *ibidem existentia* conscribi .. curetis."

[147]) 1591. júl. 1-ig neki a m. kamara 1650 fttal tartozott. E 3 év s pár havi díjból tehát (1488—91) egy évre 500 ft. esik.

criter absoluatur, *squalor moerorque occupent.* Habes benignae mentis nostrae sensum, quem te ita executurum confidimus, *ut singulare*, quod optamus, *hinc ipse Brutus solatium percipiat*" [148]). És a tudománykedvelő, s Brutusról e levél tanusága szerint megható gyöngédséggel gondoskodó Rudolf rendelete teljesíttetett [149]). De a mi históriai nemzetünk nagylelkű magyar financzemberei Magyarország történetíróját újra sanyarogni hagyák. Nem sokáig. Brutus vége közel volt.

XVI. Tudnillik 1591. decemberben hírt veszen Brutus, hogy Báthori Zsigmond fejdelem a Báthori István király ingóival birtokába jutott Históriát sajtó alá adatni készül. A most Rudolf király díján élő aggastyán megrémül a híren, mert az nem úgy lehetett írva, ahogyan mostani urának tetszhetett; s így az idő előtti kiadás megelőzése végett, a kemény tél daczára, december 16. útnak indúlt. Az iszonyú utazás egy hónapon túl tartott; s ő 1592. január 26-kán lehetett csak szemben, Gyula-Fejérváratt, Zsigmond fejdelemmel. Ez, mint a következés mutatja, felfüggeszté a kiadatást; de Brutus az út fáradalmaitól megtörve, betegeskedik, február vég-előtti napján ágyba dől, s május 16., élete hetvenötödik évében meghal [150]). Ernő főherczeg június 15. már

---

[148]) Kollár után (Anal. Bibl. Aug.) Praynál az Annal. IV. 8. lapján.

[149]) Különben, fél évvel utóbb, nem gyült volna annyira meg a hátralék.

[150]) Brutus halálának éve és körülményei soká nem voltak tudva. „Je ne sai point ce que devint J. M. Brutus depuis l'an 1590, ni oú, ni quand il mourut" írja Bayle az id. h.

értesülve volt az eseményről, mert e nap a következő rendeletet bocsátotta a pozsonyi kamarához: „Io-

— „Circa il 1594 chiuse i suoi giorni in Transilvania, ove, non so per qual occasione, si era di nuovo recato" mond Tirab. id. h. 900. l., s ezt Mazzuchelli után. — Pray 1767 még kételkedett mind ez évről, mind Erdélyben történt haláláról; míg Windisch világosságra hozta Ernő főhg levelét. Ez óta is csak annyi tudatott hogy Br. 1592. jún. 15. *előtt* halt meg. Az előadásomat támogató levél illető helye így hangzik: „Princeps Transylvaniae (Báthori Zsigmond) Res Vngaricas XX libris a Bruto comprehensas edere iam parabat. Auctor fama attonitus, nihil cunctatus, ut editionem impediret praeproperam, sibique minus apud Caesarem honorificam futuram, ipsa fere bruma, 16. nimirum mensis Decembris die, anno 1591. sese in viam coniecit. Pervenit Albam Iuliam ad Principem Transylvaniae 29. Ianuarii; aegrotare coepit penultimo Februarii; moritur, ut dixi, 16. Maii." Folytatja: „Mortis causa adfertur ab aliis alia. Sunt qui dicant, ab inimico quodam suo, Transylvano nobili et locupleto, fustigationem (Itali bastonadam vocant) et pene lumbifragium esse passum, quod uxori priori in Germania adhuc superstiti, aliam, gente Transylvanam, inimici sui, quem modo memoravi, matrem superinducere ausus fuisset. Sed haec post scientur certius." Menynyi lehessen igaz e *mondából*, nem tudom. *Ekkor*, tehát 75 éves korában, s oly törődött voltában, s ily rövid erdélyi tartózkodása alatt, házasodott volna-e meg Brutus? Alig képzelhető. Elébb-e? Midőn először érkezett Erdélybe? Vagy Krakóban laktakor? Szinte hihetetlen előttem, mert feleséges voltának ez időből, krakai leveleiben, semmi legkisebb nyoma. Örökösei gyanánt is csak leánya Octávia s ennek férje Peverelli említtetnek; lehetett volna-e feleségét, ha van, egyszerűen ignorálni? s ha emez gazdag volt, mikép szorúlhatott úgy meg Brutus, fizetése késése miatt, mint Rudolf király érinti levelében? Oly kérdések, melyek, további adatok hía miatt aligha nem maradnak örök homályban. Azt azonban bizonyítani látszik e monda, mit a *házi keresztről* a VI. fej. és 63. jegyzetben (feljebb XXIX. l.) gyanítottam.

annem Michaelem Brutum vitam cum morte commutasse intelligimus. Quia itaque is, dum in vivis fuit, Suae Maiestatis Historiographum egit, et forte scripta quaedam in rebus per eundem ibi derelictis extare possint, quae ad absoluendam plane eam, quam contexere coepisse dicitur, Historiam pertinebunt: ideo benigne vobis mandamus, res, et scripta omnia dicti Bruti ibidem existentia conscribi, et inventarium superinde factum ad nos transmitti curetis, rebus et scriptis illis interim in arresto positis. Dat. Viennae XV. mensis Iunii, anno D. 1592."[151]). Pray azt jegyzi meg, hogy az Ernő főhg által zár alá rendelt irományok aligha Pozsonyban megtaláltattak, miután „azon levelekben, melyek ez ügyben ezen túl is írattak, azoknak említése nem találtatik.[152])." Kár, hogy Pray ezen a Brutus munkái ügyében írt „későbbi leveleket" nem közli: azokból aligha egyet-mást nem tanulhatánk. Én szerencsés vagyok, valamint Brutus halála körülményeit, sőt napját, első közölhetém a tudós világgal, úgy munkája sorsáról is első adhatnom nevezetes felvilágosítást. Ugyanis Blotius Húgó akkori cs. udv. könyvtárnok, Zsámboki és Brutus barátja, egy, Bécsben 1592. aug. 3. költ, s a helmstaedti egyetemi könyvtárban őrzött, eddig kiadatlan, levele, melyet *Vogel E. G.* úr, a drezdai királyi könyvtár titoknoka, szíves közlékenységének köszönök, mind ezekről hitelesen értesít.

XVII. T. i. az „Annales Academiae Iuliae" I. kötete második félévében, a 151—3. lapokon ezek

[151]) Windischnél, Magaz. 283. l.

[152]) Pray Index Rar. Libr. I. 201. l.

olvashatók : „Post haec attulit idem (scil. Praeses) in medium, legitque epistolam Hugonis Blotii, in bibliotheca publica repertam, MS., qua de *Libris Rerum Vngaricarum viginti ab Io. Mich. Bruto scriptis* exponitur: quamque hoc libentius cum lectore nostro communicamus, quod illorum Bruti librorum ac fatorum mentio facta non est in Bibliotheca Historica Hamburgensi Centur. VI. art. 24, ubi Historia Florentina Bruti proponitur. *Epistola.* „Hac cura nondum defunctus, ecce ad aliam vocor a Principe: haereditatem recognoscendam viri longe doctissimi, Io. Mich. Bruti, Rom. Imp. Historiographi, nuper in Transylvania mortui. *Reliquit namque Viennae* bibliothecam satis instructam, et in hac *Libros Rerum Hung. viginti*, nondum tamen typis divulgatos. Quare Archidux (Ernestus) mihi eam demandavit curam, ut *quas res, et qua fide narret*, videam, atque cognita ad se referam, Imperatori porro perscribenda. Stilus hominis est elegans, purus, homineque docto dignus. Corrigam igitur amanuensium forte errata, dictionis splendorem certe non attingam. *De fide Principem admonebo.* Cum Brutus in Polonia Regi Battorio 800 thaleris annuis allectus, esset carissimus, familiarissimusque, cum una in aula viveret, cum una iter fecerit, cum expeditionibus bellicis una interesset, tanta potentissimi principis humanitate delinitus, multa in Polonorum et Vngarorum gratiam scripsit, nomini Austriaco et Germanico parum honorifica, quae tamen post correxisset, aut mitigasset saltem, nisi morte fuisset praeventus.“ — S most beszélli Brutus halálát, mint azt az imént közöltük, s a 150. jegyzetben szó szerint adtuk.

XVIII. Visszatérek még a „*húsz könyvhez*“: itt a

pozsonyi dolgokat folytatom. A kamara még nem tudott semmit a Bécsben feltalált kéziratokról; hanem Ernő főherczeghez, ki időközben a Brutus leánya s ennek családja folyamodására, az elhúnytnak tartozott újabb hátralékok kifizetését rendelte el, oct. 13. így írt fel: „De restantia salarii Egregii Ioan. Michaelis quondam Bruti, Suae M. Caes. et Regiae, Domini nostri Clementissimi, Historiographi, filiae eius, Octaviae Peverellae exsoluenda, quae sit benigna Serenitatis Vestrae voluntas, ex Eiusdem clementi mandato, 28. nuper transacti mensis Sept. die edito, humillime cognovimus. Cui quidem Camera haec, *ubi proventus uberiores redierint*, obsequenter sese accommodare studebit. Modo enim impendentibus aliis longe maioribus (*et magis necessariis erogationibus*) *nihil ei dari potest.* Posita autem est ratio de restantia ista, quae in quantam summam evadat, hisce adiectus extractus docebit. Nobis sane videretur humillime; *si restantia ista eius haeredibus exsoluenda est* (!), *producenda quoque per eosdem scripta eius*, ad quae ex officio stipendium percepit. Cum enim vivens adhuc mille sexingentos quinquaginta florenos, den. 69 salarii nomine perceperit: *non immerito taxari posset, tantam pecuniam ab ipso levatam, nullo, quod quidem nobis constaret, demonstrato fructu laborum suorum....*“ [153]). A császár kifizettette a hátralékot, „tametsi Camera *non sine ratione* tergiversaretur!„ jegyzi meg a történetíró Pray!! — Azalatt a cs. könyvtárnoknak megvizsgálás végett kiadott *teljes húsz könyv nyom*

[153]) Windisch id. h. 285. l. ki a kamara egész levelét közli. Utána Pray a most id. h., a négy, általam zárjel közé vett, szóval pótolva. (Honnan?).

nélkül eltünt. Most Zsigmond fejdelem példánya volt még kinyerendő. A prágai udvar követsége — mely 1598-ban Gyulafejérváratt megfordúlt, midőn a fejdelem Erdélyt Szilériával felcserélte — kétség kivül utasítással volt ellátva, Brutus munkája gyulafejérvári példányának elhozása végett, s mint Istvánfi Miklós, a követség egyik tagja, írta a királynak, a cancellár, Jósika „Librum Historiarum Bruti maxima cum difficultate, nec nisi coactus per D. Pezium reddidit"; Historiája XXXI. könyvében pedig írja Istvánfi: „Historias vero Rerum Vngaricarum, cura et studio, auspiciisque et impensa Stephani Poloniae Regis a Ioanne Michaele Bruto docte eleganterque scriptos, quae auctore Albae fatis concedente, apud Sigismundum remanserant, omnium qui viderant firma asseveratione dignissimas, quae in lucem ederentur, ad Caesarem pertulit" (Pecz t. i. [154]). De ki fogja hinni, hogy ez a királyi példány lett legyen?

XIX. Ideje, hogy Brutus *Magyar Historiájának hitelességét* tárgyaljuk. A kérdés két ágra oszlik: mondhatta-e az igazat; akarta-e azt elmondani? Az elsőre kútforrásai ismeretéből felelhetünk. Használta a nyomatott írók közől *Jovíust*, hol követve őt, hol eltérve tőle, sőt czáfolva előadását[155])

[154]) Nálam Colon. Agripp. 1724. 444. l.

[155]) „Indicta comitia Tordam, non Cibinium, ut Iovius tradit" Berl. 70. l. — „Secutus manuscriptos commentarios, non Iovium nihil horum accurate scribentem." — „Non in eo Iovium tantum, sed Vngarum auctorem secutus." — „Ita rem sum a Iovio mutuatus, ut indicarim, quae acciperem ab Vngaris, qui in multis ab illo dissentiunt." U. o. 71. l. — „Ita scripsi, multis a Iovio sumptis, ut res eadem, scribendi alia ratio, et ex meo more atque instituto, doceat, quale

Centoriust [156]), *Wernherrt*, különösen Buda leírásában [157]); a kéziratiak közől *Gyulafejérvári Tamás deáknak* ma már elveszett Ephemeriseit [158]),

---

meum iudicium de toto hoc genere fuerit" stb. u. o. 72. — Különben a munka folytában számtalanszor.

[156]) Különösen a Martinuzzi történeteire: „Iam rem perduxi ab anno quinquagesimo exorsus ad Lippae usque expugnationem; rebus scribendis usus, praeter Forgatii scripta, Ascanii Centorii Itali hominis Commentariis, qui eorum temporum res gestas, *exceptas sive a Castaldio, sive* ab alio, *qui ab eo hauserit* certe maxime earum rerum perito literis mandavit" 228. l. — Centoriónak, történelmünk részére még nem eléggé kibányászott, egykorú, kútfőszerű, különben igen ritka munkája: „Commentarj delle guerre di Transilvania" Velenczében jött ki, 1565-ben.

[157]) Insequens annus res continet ad Budam gestas... quibus narrandis, dedi operam, ut Budae descriptionem, quantum consequi ingenio et studio potui, ob oculos ad vivum repraesentarem, non in eo Iovium tantum, sed Vngarum auctorem secutus, qui librum edidit de admirandis Vngariae aquis" u. o. 71. l.

[158]) „Dedit mihi Thomas Literatus Ephemeridem rerum per ea tempora gestarum, quae mihi ad haec ipsa certo ordine et tempore digerenda magno fuit adiumento." — „Quae omnia ex Thomae Ephemeride scripsimus." — „...non Iovium, sed Thomam auctorem sum secutus, *cui et Vngaro, et earum rerum imprimis perito*.. fidem malui habere. U. o. 71, 72, 73. — „De principum defectione non temere scripsi, sed secutus Thomae Literati Commentarios, qui satis diserte" U. o. 235. — Tán ezeket érti másutt: „sum secutus manuscriptos commentarios". 71. l. A munkában őt *Thomas Albensis*-nek nevezi. Ez a Báthoriak kedves embere volt, kiről rja Brutus (l. alább de Hist. laud.): „Atque in Dacia quidem, cum alii ex Saxonum gente, tum Thomas Literatus, Vngarus genere, me plurimum adiuvit: quem Tu (a király) hominem gentis Bathoreae clientem, *propter eius singularem probitatem et fidem*,

Forgách Ferencz Commentáriusait [159]), *Laski Jeromos* követségi tudósításait [160]), s Báthori levéltárából *levelezéseket*, név szerint a Zsigmond és János királyokét [161]), úgy Dudithtól is számos *titkos iratokat* [162]). Szorgalmazá (magyar és szász) kortanúk szóbeli közléseiket, s hivatkozik is azokra: kik közől *Zsámbokin* [163]) és *Crátón* [164]) kivűl gr. *Salm Gyula* [165])

---

tum tuae pietatis, tum illius officii memor, tantus Rex, *patrem soles appellare*" 760. l.

[159]) „Omnium maxime Francisci Forgatii monumenta nostram industriam, haud illam quidem per se languentem, sed haerentem in multis tamen, quod nato homini nonnunquam accidere necesse est, plurimum sublevarunt" De Hist. laud. 760. l. — Forgách csak azóta jelent meg Horányi által (Pest 1788), s most újra hitelesben az akademiai Monumenták XVI. kötetében.

[160]) „Laski legationem ad Solimanum, *quae scripta eius manu* ad haec explicanda magno mihi usui fuit" 71. l. — Kiadva most már Gévay Antal által „Urkunden u. Actenstücke" okmánytára III. kötetében, Bécs 1843.

[161]) L. a 105. jegyzést. — Hogy a kivántakat kinyerte, mutatja munkája, úgy egy passusa a 761. l.: „Dicerem quo ipse studio, praeter tot tantaque adiumenta, essem usus, *scriptis literis, annalibus, commentariis* conquirendis, si id a me dici mea modestia pateretur."

[162]) L. a 106. jegyzést.

[163]) L. a X. fejez. XXXIX. l.

[164]) L. a helyet feljebb a X. fejezetben, XLI. l.

[165]) „Nam illud etiam dedi operam, ut tanquam aliud agens revocarem sub stylum, quod aliquando *in sermone memini te solitum commemorare* (a levél Salm Gyulához) cum querereris, eo proelio describendo, quo Franciscus Rex est ad Ticinum victus, capti regis laudem, scriptores viro fortissimo patri tuo (Salm Miklósnak) praereptam in alios transtulisse.... ne graveris... prospicere tanti parentis laudi,

és *Forgách Simon*[166]) kiemelendők, főleg azonban a *király maga*, ki Brutus Történelmét részenként olvasván vagy magának felolvastatván, szóval is, írott jegyzésekben is közölte a szerzővel észrevételeit, melyeket ez, mind a király tudománya s eszében, mind egyenességében bízva, mindenek felett méltatott[167]). Úgy látszik, egy egészen elveszett, sőt az

---

quam quidem ut nihil addam de meo, refert ex commemoratione earum rerum, quas praeclare gessit, verissimam, et maximam, sed ita tamen, ut nisi sit, qui eam literis prodat... oblivio sit tantae virtuti debitam praereptura." 178, 9. l.

[166]) L. a 161. jegyzést, melyben Forgách *Simonról* tovább így: „qui toto eo gerendo bello, insignis virtutis, et fortitudinis monumenta multa constituit, vir, praeter nobilitatem, *et pacis* et belli *artibus clarus.*" 230. l. — És de Hist. laud: „Interfuit ipse frequens in consilio, cum aliis regiis ducibus, et magnis gerendis rebus, in campo, in acie, pro muris fortissime pugnando honesta vulnera accepit, ut earum cladium, quas Vngaris ea temporum procella invexit, vere dici possit... magnam partem Simonem Forgatium fuisse... Atque non solum is facilem se praebuit scriptis fratris tradendis: sed *severus etiam censor*, si quid ille scripsit errore falsus, quod minus scriptoris acris cura postularet (neque enim his imposuit extremam manum) apposita nota emendavit, re fideliter, ut gesta erat, explicata: quod factillime potuit ipse praestare, ut strenuus manu gerenda re, sic *omnibus ingenuis* artibus, *ut praeclare posset, quae gessert, scribere perpolitus*" 761. l.

[167]) „*Quod ipsum munus* (a javítását) *ne Tu ipse* quidem quanquam unus tot gentium curam, et populorum sustineas, *passus abs Te desiderari*" 761. l. Így különösen Berzeviczy cancellárhoz kelet nélküli, de kétség kivül 1579 nyarán írt leveléből kitetszik, hogy a király Vilnában olvasván Brutus négy könyvét, melyek János kir. házasságától fogva Joachim brandenburgi herczeg gyalázatos hadjáratáig terjedtek (73,

összes irodalomban eddig ismeretlen történetírót is használt, kit még Erdélyben kapott fejedelmétől: *Carrio Lajost*, kinek munkáját Báthori hitelesség tekintetében, felette nagyon becsülte[168]). Ezen álta-

---

4. l.), s melyek a munka mostani felosztása szerint a IX. X. XI. könyveket foglalják el, némi észrevételeivel, jegyzéseivel küldte vissza. Az urak elpártolásáról szólván Izabella királynétól, s ennek okairól, „quae quanquam ita se habent, *erit mihi tamen semper*, ut debet, *tanti regis auctoritas prima: quem scio, omnium maxime, unam in scriptore requirere fidem.*" Brutus Forgáchot s egyéb magyarok véleményeit követte Martinuzziról szóltában: „*quod video Regi gravissimo ac sapientissimo nulla ratione potuisse probari*"; a János kir. természetes fiáról pedig: „id vero Rex se negat unquam audiisse, *apposita ad eum locum nota sua manu*: quem unum nunquam meorum scriptorum Aristarchum recusabo." Másutt Brutus szinte Martinuzzinál Pekry szóbeli közlését követte, ki Nádasdi Tamásra (a nagy barát személyes gyülölőjére) hivatkozott, mit, úgy látszik, Brutus számba nem vett: a király ismét máskép vélekedett, s az: „mihi unius Regis auctoritas tanti semper est futura, *quanti illius virtus et sapientia est habenda*, qua, non minus quam maiestate nominis, excellit (e levél a 234. s köv. ll. áll).

[168]) Kit nem kell az egykorú belga philologussal összetévesztenünk, mert Brutus világosan epidaurusi görögnek állítja. „In his — írja, azok közt t. i. — qui Pannoniae regum res gestas ad nostram memoriam usque consignarunt — Ludovicus quidam Carrio habetur, Epidaurius genere, scriptor caetera ferendus, in uno vix dignus, qui in scriptorum numero habeatur, omnium, quos aut nostra, aut maiorum memoria extulerit, maledicentissimus. Huius scripta nondum typis excusa, *apud Principem magna religione servantur, qui illi fidei laudem summam in scribendo tribuit.*" 294 l. — Alig kételkedhetni, hogy Brutus, ha ovatosan is, használta a bár éles, de Báthori által oly hitelesnek vallott, írót.

la alkalmilag említett egykorú kútfők, másokkal együtt, kikre munkája folytán hivatkozik, tekintélyes készületet állítanak elő, melyet a mindennapi társalkodásból, s élő tudomásából egészített ki. — *Akarta-e* elmondani az igazat, mikép azt értenie adatott? azaz követte-e meggyőződését? jó hiszemű író volt-e? Láttuk számos helyeiből, névszerint az V. fejezetből, hogy ő maga a szorgalmas nyomozás mellett, a hűséget mindenek felett becsülte, azt ismételve igénybe vette a maga részére, másban is főleg ezt kereste és méltatta; s a történelem szentsége megsértését gonoszságnak tartotta: „*scelerate faciunt, qui historiam*, dei immortalis summum in terris munus,... hinc spe praemii, hinc mali metu, gratia, studio, odio adducti, impudentissimis *mendaciis contaminare*, *tamquam tetro veneno*, *audent*“[169]). — És csakugyan: a hitelesség hírében állott munkája már egykorúi előtt, mint azt az Istvánfi helyéből láttuk (XVIII. fej., L. l.); használta széltiben Bethlen Farkas a XVII. században, mint maga is vallja; használta, bár szigorúan bírálja és részrehajlónak bélyegzi, a XVIII. században Pray; s a XIX-ben elismerte Engel, hogy nem üres új dolgoktól, bár azok, úgy mond Prayt viszhangoztatva, „phrásisok árjában úsznak“[170]). Az előbbit, Prayt, mint az újabb időkben Brutus egyetlen ismerőjét, használóját, s mint kritikai tekintélyt meg kell hallgatnunk. „De operis oeconomia, et scribentis indole — így szól Annálisai IV. kötete előtt — vereor, ut quae ego existimo,

---

[169]) L. alább a közlött töredék elején.

[170]) Gesch. d. Ungr. Reichs, I. 19.

aliis, qui illum legerint, probentur. Elegans illi, et castigatum est latium, non inficior: sed in narrando, ultra, quam opus sit, *prolixus est*, nisi mavis verbosum dicere, ita narrationem, nullo saepe operae pretio ducit, trahitque. *Chronologiae* studium non maximum: quo fit, ut legentem temporis, quo res gestae fuerint, crebro incertum reddat, occupetque multa, quae posterius referenda erant, et vicissim regerat, quae prius complexus fuit. Ad haec *orationum strepitu* quamvis fere paginam implet, in iisque ad communes rhetorum locos delapsus plerumque, mentem legentium ita longe ab proposito abstrahit, ut nisi illo, ubi orsus es, redeas, haud facile, quid sibi velit, queas intelligere. Mirumque est id modi diverticula virum doctum de industria captare, qui id Bonfinio alias fraudi, vitioque dederit. Nam ubi de Ioanne Varadiensi quondam episcopo, quem Wladislaus ad sedandos Bohemos Pragam miserat, iudicium expromit, his verbis Bonfinium sugillat: „Plura de Varadiensi, si quis est, qui aveat scire, a Bonfinio petat, licebit: qui de eo multa tradit, quae scripta quidem delectant, quibus legendo fessis quasi sunt diverticula quaerenda, quibus a labore relaxent animos; robustiores non desiderant, qui legendis iis, quibus prudentia comparatur, interpellatorem non quaerunt, ut maxime iucunda oratione demulceat aures.“ Sed suummet bonus iugulum petit, cui ad fastidium lectorem interpellare moris sit; praesertim, *cum ad explicandas prudentiae, ac politicae leges digreditur*, quae tamen ipsae haud satis rite sibi aliquando constant, *et parum nonnunquam cum religione consentiunt.* Certe non nihil illi ex familiaritate, usuque eorum, qui ab Ro-

mana Ecclesia secessionem fecerant, adhaesisse, tamquam per rimam tralucet. Ceterum duas ego in primis res Bruto inesse reor, quas longissime ab scriptoribus abesse oportet: *partium studium*, ac tantum non implacabile *odium*. Isto in Pontifices, ac Ecclesiastici ordinis viros promiscue invehitur, saepe nulla de causa, alias vi, et ingratiis adscita ad propositum occasione, tam importune dicax, ut iis quoque, qui in eum ordinem animo non optime comparati fuerint, taedium tam crebra maleloquentia ingerat. Saepe etiam *fidem in Bruto desidero*, praecipue cum litteras Pontificum sua sententia reddit, ut in Annalibus observo. *Partium* autem *studio* hominem vehementer agi, praesertim, cum ad Ferdinandi I. tempora narrationem adducit, ex quavis fere pagina perspicuum sit. In hunc, quidquid pene est invidiae, detorquet: Ioannis contra Scepusii causam, adornatis saepe operosissimis defensionibus, ea diligentia, et contentione agit, quasi ex rostris declamaret: mirorque Istvánfium, et Brutum, eodem tantum non tempore, iisdem de rebus scribentes, tam contraria de eodem Ioanne Scepusio opinione duci potuisse. Sed credo, cordatos nullo negotio sibi persuasuros esse: Istvánfio, in republica maximam aetatis partem diligenter, et cum summa fide versato, cuique occultas molitionum causas cognitas fuisse, valde veri est simile, plus aliquando fidei, quam Bruto tribui oportere, *quem mercenaria in scribendo fide fuisse haud pauci suspicantur.*" Erős gáncsok, súlyos vádak, melyek észrevétel nélkül nem maradhatnak. Brutus bőszavú, ha a történetírótól egyedűl tényeket követelünk; ha herodoti egyszerű, eposi, elbeszéllőt; nem az, ha iskolája jo-

gosúltságát elismerjük, mely nem csak eseményeket, hanem cselekvényeket ad elő, mely nem nyugodva meg a történetek jelenségein, azok kerekleteit is felmutatja; mely előtt a működők gondolkodása, érzése, szándékai nem kevesbbé fontosak a működéseknél; mely, végre, a históriát erkölcsi és politikai tanok hordozóivá teszi[171]), de úgy hogy ezek ne befektetve, hanem azokból kifejtve adassanak[172]). Ez iskola épen oly nagy ősre képes visszamutatni, mint amaz; s ha az újkor alanyibb, beszédesebb Thukydidesnél, ez épen csak onnan van, mert az újkor nem ókor. A „beszédek zaja" műforma, melyet az óclassicai képzettségű férfiúnak, a renaissance fiának, elnézhetünk, ki azt az események okai kifejtésére, a kor nézetei és felfogása drámailag hatásos előadására használja fel. Bonfinitől csakugyan különbözik. Rhetorikai gyakorlat, kétség kivül, midőn Bonfini Atilával beszédet tartat vezéreihez; de nem az, midőn Brutus péld. Dózsa Györgyöt beszélltetni, s az ő szavaival fest oly képet, mely adatoktól, tanulmányból, tehát valóságtól kölcsönzi annak mind vonásait mind a színezetet. De erről Brutus olvasója magá

---

[171]) „Sed si Historiae fines sunt latius proferendi, ut video sapientissimis hominibus placere, cum tota exaedificatio, ut Cicero ait, posita in rebus *et* in verbis sit: illud pertinebi ad scriptoris munus, efficere non solum, ut qui legant non sint solliciti de illius fide narrandis rebus, *sed ut multa discant, quae tum in privata, tum in publica re administranda, insignia habeant* emolumenta, atque usus." 771. l.

[172]) „Sententiae occurrunt crebrae, sed quae cum rebus ipsis nascantur, non sint aliunde quaesitae" 769. l.

Brutust hallgathatja meg[173]). Keményebbek e gáncsoknál a vádak: a *gyülöleté* — az egyházi rend irányában, melynek méltatását ma már nyugton az olvasóra bízhatjuk; s a *részrehajlásé* — a János és Ferdinánd királyok dolgában. Brutusnak *lehetett* téves meggyőződése, mint Praynak is lehetett, történetírói álláspontján; Brutus le volt kötelezve Ferdinánd fiának, mint láttuk[174]), Brutus részvéttel kísérte Miksa cs. és király egészségi változásait[175]), Brutus meg volt ez által kínálva évdíjjal[176]), sőt várhatott még jótéteményeket a császári családtól: ellenben Brutus *nem* volt lekötelezve János királynak, s *nem* várhatott semmit ennek fiától, ki többé nem élt: tehát Brutust nem vezérelhette „mercenaria fides" az ellenkirályok megbírálásában[177]).

---

[173]) L. de Hist. laud. 769,770. l. s alább a közlött töredékben.

[174]) L. feljebb a VI. fej. a XXVIII. lapon.

[175]) L. berl. 260,61.—271. 275. ll.

[176]) L. feljebb a 66. jegyzést.

[177]) Pray (Ind. Rar. Libr. I. 203.) saját szavaival akarja Brutust megverni. Írja t. i. ez Crátónak, adatokat kérvén a két ellenkirály harczaikról: „(Ne multa: quicquid habes, quod pro veritatis causa sit, CVI PARITER VTERQVE NOSTRVM FAVET, in medium affer:) *intelliges venalem forte me industriam magnis regibus habere, id quod fortuna extorquet ab invito; (sanctissimis regibus, ne sit discedendum ab ingenio, officii memori*") 315,16. l. Figyelmeztetvén, hogy Pray elhagyván a zárjelek közé foglalt elejét és végét az idézetnek, az értelmet is megcsonkította. Jelenthet-e a homályos fogalmazatú hely egyebet, mint: „Elé vele, az igazsággal, melynek mindketten egyformán kedvezünk. Talán azt terjesztgetik, talán azt fogod hallani, hogy én nagy királyoknak eladom tollamat? mit a sors attól, ki arra szorúlt, ki azzal kénytelen, *ki*

XX. Brutus munkája reánk csonkán jutott, oly csonkán, hogy tulajdonkép *csak két harmadát* bírjuk; mert nem csak a XV—XX. könyvek hiányzanak egészen, melyekben az 1552-től II. János kir. haláláig történt dolgok foglaltattak, tehát tizennyolcz év, hanem a többi is majd mind hézagos, különösen a XIV-ből csak egy darab van meg. — A codexek, melyeknek egykor léteztéről tudomásom van, a következők:

A, azon teljes, és mind a XX könyvet tartalmazott codex, mely Brutusnak *Bécsben* levő könyvtárában találtatott, s melyet Ernő főhg Blotz könyvtárnoknak politikai censura végett átadott. Blotz itéletét róla a XVII. fejezetben közlöttem. Ez nyom nélkül eltűnt. Hátha a cs. k. titkos levéltárba tétetett?[178]).

---

szokott csikarni (Brutus itt nem magáról szól: ő ugyan, midőn a levél kelt, 1577-ben nem szorult lelkének eladására, s egy sorral feljebb adatokat kért épen *az igazság* érdekében): nem: de *jámbor királyok irányában nem szabad a hálától megfeledkezni.*"

[178]) Vogel drezdai könyvtári titkár 1861. nov. 1. figyelmessé tett egy a cs. udv. könyvtárban „Nova 60." jellel ellátott Brutusféle codexre, mely az „Archiv der deutschen Gesellschaft f. ältere deutsche Geschichtskunde" III. kötetében a 394. l. említettik, „de minden leirás nélkül"; s mely mind addig előttem ismeretlen volt. Repültem Bécsbe, bizton hivén, hogy a Blotz teljes codexe leszen az, mely újabb időben kiszabadúlva közel három százados fogságából, most be fogott végre iktattatni az udv. könyvtár kéziratai közé. Nagy szomorúságomra azonban ezen eddig ismeretlen, s Chmel által sem említett, codexben nem egyebet, mint a *D codex* másolatát ismertem fel, mely egyik könyvtárőr által a múlt század első felében készült.

B, az egykori *gyulafejérvári* fejdelmi levéltár példánya. Tudjuk, hogy Bethlen Farkas († 1679) a maga Historiájához használta Brutust, idézve s nem idézve, oly mértékben, hogy Pray a Bethlen irálya egyenetlenségét egy részt a Brutus expilátiójától származtatja [179]). Lehet hogy, valamint Szamosközi Pentásai a gyulafejérvári káptalan levéltárából [180]), úgy Brutus XX könyve is, e réven veszett el. De Eder József ismét ezt írja az erdélyi polyhistor társaságnak 1793 aug. 4.: „*Megvethetetlen tanubizonysággal megmutathatom*, hogy mikor Pecz Bertalan Brutus *eredeti írását* magával elvitte, az erdélyi rendek ezen kárvallásokon holmi módon segíteni kévánván, magok részekre *a munkának egy mását* megtartották, amely is még az elmúlt századnak fogytán (tehát a XVII. század végén, s így Bethlen után) *meg volt a gyulafejérvári káptalannál*. Nem esvén attól fogva semmi nevezetes pusztúlása a káptalannak, talántán nyomába lehetne akadni" (Kemény, id. h. 63. l.). A nyomozások sikeretlensége még nem czáfolja meg Edert; lehet, hogy a Bethlen által használt s visszatett példány később sikkadt el; s ha így, úgy Jósika cancellár két létező példány közől csak egyet fogott átadni, s ha ez a *D. cod.* volt, egy régibb dolgozatot, és tán már akkor csonkát: mert hogy az erdélyi rendek „akkor" *készíttették* volna a másolatot, nem lehet. Az nem nehány hét munkája.

C, egy *lengyelországi* példány híre a múlt század másod felében járt, melyet Benkő szerint, még

[179]) Annal. IV. 10. l.

[180]) L. Benkő Előszavát Betlen Historiája V. kötetéhez a 16. l.

1788 előtt, onnan, b. Prónay Sándor szerzett volna meg; de melyet a tóalmási könyvtár lajstromában hiában kerestem[181]).

D, egy más gyulafejérvári példányt, még pedig töredékest, állít elő a *bécsi* cs. udv. könyvtárnak „Hist. Prof. XCII“ signatúrával ellátott codexe, mely csak az 1. 2. 3. 6. 7. 8. (nem 9.) könyveket, s ezeket is sok helyt csonkán terjeszti elő. Ez lesz talán az Istvánfi és Pecz hozománya?

E, a néhai *pozsonyi* jezsuiták könyvtárának példánya, mely, mint okkal gyaníthatjuk, a Brutus pozsonyi hagyományaiból származik. Lehet hogy az a helytartónál, Fejérkövi István püspöknél, ki a nyomozással Ernő főhg által meg volt bízva, kivált miután a teljes példány Bécsben már júliusban kézhez került *(A)*, maradt el, s hogy általa jutott a jezsuitákhoz. Annyi áll, hogy *ezen* példány az, melyet

---

[181]) „Huius vero Historiae Bruti, quantum quidem mihi innotuit, praecipuum et adcurate descriptum illud erit exemplum apud gentem nostram hungaram, quod Magn. D. Alex. iunior Prónay, L. B. de Tót-Próna, prout est ceteras inter eruditionis amplissimae partes, Historiarum Hungaricarum collector et scrutator indefessus, rarusque simul aestimator, si bene meminerim, e *Polonia*, procuravit.“ U. o. 4. l. — Windisch-*vilnai* példányról beszél. — „Olvasom közre bocsátott tudósításokból — írja Eder az erdélyi philohistorikusok társaságának 1793. aug. 4. — hogy ifj. báró Prónay Sándor Brutus munkáját Lengyelországból szerzette meg. De talántán ez is csak oly csonka, amint a bécsi könyvtartó házban találtatik Kollár (Suppl. ad Comment. Lambecii) bizonyítása szerint“ (Kemény az id. h. 64. l.). — Gondosan átnéztem koronaör b. Prónay Albert úr ő exja jóvoltából e végett néh. b. Prónay Sándor tóalmási jeles könyvtára lajstromát, de ebben egy kéziratot sem találtam. Hova lehetett e kincs, ha Eder híre nem vak hír volt?

Pray 1767-ben használt („exemplum, quod mihi ad manum est"), mely a jezsuita rend eltörlése után (1773) nála maradt, s végre kéziratgyűjteményével együtt *a m. kir. egyetem* birtokába jutott [182]).

Több régi codexről tudomásunk nincs. De méltó lesz, teljesség okáért, s hogy Brutus irodalmát kimerítsük, a másolatokat is felemlíteni: 1. s a legrégibb, az imént említett *bécsi* (Nova, 60.) mely, mint mondatott a *D* codex másolata; 2. a *pécsi*, melyről a 181. jegyzet szól, s mely viszont az *E* codex másá; 3. a *marosvásárhelyi* Teleki-könyvtáré, mely gr. Teleki Sámuel erd. udv. cancellár költségein, a *D* és *E* codexekből állíttatott öszve a tudós Kéler Godofréd gondviselése alatt [183]).

XXI. Miután a *B codex*, az általam e végre megkért derék Dr. Ötvös Ágoston újabb nyomozásai után is, az erdélyi káptalani könyv- és levéltárakban nem található; miután a *C codex* utáni nyomozásaim és kérdezősködésem eredmény nélkül maradtak; miután Boroszlóban és Krakóban személyesen hiába kutatóztam, Vilnába pedig hiába írtam: húsz évi várakozás után, végre a *D* és *E* csonka codexekre szorúlva, ezekből, de főleg az egyetemi *E* codex-

---

[182]) Hogy az egyetem, azelőtt Pray, példánya csakugyan az, mely régebben a pozsonyi jezsuita collegiumé volt, kitünik Brutusnak most a pécsi püspöki könyvtárban levő másolatából, melynek címe így szól: „Ioannis Mich. Bruti Florentini Rerum Vng. Libri tredecim, *e Codice MS. Collegii Posoniensis Soc. Iesu descripti*, et cum Apographo codicis Caesarei MS. Hist. Prof. Nro XCII. collati." (Sarkady István úr közléséből).

[183]) 1803 előtt. L. Keményt az id. h. 66. l.

ből, adom Brutust csonkán, de annyit, amennyi tudtunkra fennmaradt. Mind kettő általánosan *apographumnak* tartatván: mindenek előtt e kérdés volt megoldandó; majd a második: a meglevő és sok helyt egymástól eltérő, két codex viszonya egymáshoz. Sokáig siker nélkül maradván Brutus ön kézirása utáni kérdézősködéseim, hogy ennek nyomán meggyőződhessem: eredetiek, hitelesek-e a meglevő codexek, vagy puszta másolatok? végre Wachlernél [184]), a boroszlói Rehdiger-könyvtárnak egy colligátumában Brutus két eredeti levelét találtam lajstromozva. Személyes ismerősöm, Dr. Weichert könyvtárnok úr szíves volt azoknak hasonmását számunkra elkészíttetni; mi által azon szerencsés helyzetben vagyok, hogy a *D és E codexek eredetiségét most már bizton állíthatom.* T. i. a két boroszlói eredeti levél nem más, mint Brutus azon két levele Crátóhoz, melyet Cramer a berlini 1697-ki kiadás toldalékában, az 1150—55. lapokon, innen adott. Mind a két levél 1585-ben költ, s azon kéztől van, mely a *D codex* nagy részét, s az *E codex*ben az I—VI., úgy a fél VII. s a csonka XIV. könyvet írta; a második levél postscriptuma pedig (mely látható az id. h. 1155. l.) *Brutus saját kezétől van*, azon kéztől t. i., mely amaz első kéz minden másolatait átjavította, s itt-ott pótolta. Ez tehát azon iródeákja Brutusnak, kinek, bár szép írással bírt, lassúságáról még is panaszkodik Dudithhoz már 1577. írt levelében: „Scripta, nisi ipse afferam, dabo operam, ut quam primum ad te mittam: quam cito,

[184]) Th. Rehdiger und seine Büchersammlung in Breslau. Bresl. 1828. a 78. lapon.

librarius meus viderit, quo ego utor minime strenuo“ [185]). Hogy a másik kéz Brutusé, mind a postscriptum, mind a codexben az igazítások és pótlások minemüsége bizonyítja. (Tekintse meg olvasóm az ide vetett hasonmásokat). Áll tehát hogy a *D codex* Brutusé volt; s áll, hogy az *E codex*-ben a fenn nevezett könyvek szinte nem csak Brutuséi voltak, hanem általa az utolsó kommáig átjavíttatván, ha nem autographok is, de eredetiek. Máskép áll a dolog a többi könyvekre nézve, melyekben hét vagy nyolcz kéz váltogatja egymást, de együve dolgozva úgy, hogy némely lapon kettő is érintkezik, a második kéz majd mindenik könyvben megjelenik, az első pedig egy helyt, a XIII. könyvben, a második kezet azonegy lapon folytatja: miből bizonyos, hogy e másolatok is Brutus emberei által készültek, bár többnyire gondatlanúl, dísztelenül, s mi feltünő, sehol Brutus keze nyomát nem viselik, kivéve ismét az első kéz által szépen és gondosan tisztázott XIV. könyvet. Így tehát, bár Brutusé volt kétségtelenül mind kettő, s az *E codex* jó része meg is van igazítva, ennek becse sem egyenlő; s kénytelen voltam a *D*-t is használni mind a szöveg megállapításában, mind némely hézagok pótlására. S még így sem nyerünk *végkép biztos és egyenlö szöveget. Nem biztosat mindenütt,* mert nem csak a Brutus keze által át nem javított könyvekben vannak számos helyt alapos kétségeim a másolás helyes volta körül, de még az általa megigazítottakban is: mert kétségtelen, hogy sokat elnézett a koros férfiú; *nem egyenlöt*, mert az *E* több helyt a

[185]) Berl. kiad. 377. l.

D-ből kiegészítendő volt, holott a *D* és *E nem azon egy szövegrecensio.* T. i. a gondos összevetés kétségtelenné teszi, miszerint *a D codex korábbi dolgozat*; az *E* pedig *későbbi*, nem csak irályilag átalakított, hanem tartalmilag is javított, hol rövidített, hol pótlott szöveget állít elő. Nevelte a szöveg-megállapítás nehézségeit az *E codex* utolsó bekötője, annyira körűlvágván a példányt, hogy Brutus számtalan, a lapok szélein ejtett változtatásaiból, szókat, néhol a lap aljára vagy felső hézagjára vetett önkezű pótlásaiból sorokat is elvágott, mi által nem kevés hézag támadt, melyek közől az elsőket néha biztosan, nem ritkán conjecturális tapogatózással lehetett, de néha nem —, a levágott sorokat pedig épen nem, pótlanom. Töredékes, azaz betű s szótag-kiegészítéseimeit zárjelbe rekesztettem; a hosszabb zárjelek Brutuséi. A mondottakból kitűnik az is, miért tartottam magamat *mindenütt* a pesti codexhez, kivevén ott, hol ennek hézagait a bécsinek régibb szövegéből pótolhattam, mi mindig híven meg is jegyeztetett.

XXII. Ennél többet tennem — t. i. az évszámokat felrakni, mit Windisch követelt; a történeti előadást „egykorú emlékekből felvilágosítani, megigazítani" mit Pray volt teendő, „ha a másolást nem restelli" [156])—ezeket,mondom,tennem sem kiadói tisztem nem kötelezett, sem erőm s érkezésem nem engedték. Ez a történelmi kritika dolga, melytől a szövegkritika feladása merőben különbözik. Többire, az a fárasztó gond s becsületes igyekvés, melylyel a magyar történelem ez egyik legbecsesb emlékét, habár mint romot csak, valahára hozzá-férhetővé tenni buzog-

tam, leljen engedékeny bírálókat; valamint bátorságom mentséget a szükségben: miután annyi hivatottabb erő a nehéz munkától mind e napig visszariadt.

Pest, december 1. 1863.

TOLDY FERENCZ.

IOANNIS MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBRI QVI EXSTANT.

VOL. I.

IOANNIS MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBRI QVI EXSTANT.

VOL. I.

PRAEFATIONIS

LOCO PRAEMITTITVR PARS LIBRI IOAN. MICH. BRVTI
DE HISTORIAE LAVDIBVS

AD

STEPHANVM BÁTHORI POLONORVM REGEM.

.... QVAE cum ita se habeant, impure ii, et scelerate faciunt, qui historiam, dei immortalis summum in terris munus, divinum inventum, veritatis oraculum, hinc spe praemii, hinc mali metu, gratia, studio, odio adducti. impudentissimis mendaciis contaminare, tamquam tetro veneno audent. Ab aliis enim rebus omnibus historia est tuta; una corrumpitur, et perditur mendacii labe. Sit inculta, horrida, non perpolita scribendi elegantia, careat ómnibus orationis luminibus, fuco, atque ornamentis artis omnibus: ita placebit tamen varietate, et vicissitudine rerum, ac temporum, quae scribenti historiam certa argumenta subiiciuntur, ut matrona delectat, quae, praeter formae bonum, et naturale decus, nihil ab arte habet, quod ostentet. Ac cum multa alia sunt, et gravissima, quae in rerum scriptore requiruntur, scribendi facultas, acre ingenium, magnus usus, litterae interiores, cognitio antiquitatis, ornatus orationis, sententiarum copia: tamen si optio detur, desiderari haec eadem omnia, modo una exstet rerum fides, quam, hac una neglecta, adesse etiam maiora, si qua sunt modo, iis ipsis, malim. Oblectat enim veritas sua vi, inculta etiam, atque impolita, docet, hortatur, incendit, ad recte agendum stimulos, atque aculeos addit: ut cum ornamenta, quae ali-

unde accedant, non contemnat, suo tum splendeat nitore, tum robore, et viribus innitatur. Quanta vero cum voluptate legimus privatorum commentarios, quantumvis horridos illos, atque rudes, nobis per longam avorum seriem a maioribus relictos? Nescio quo pacto scilicet videmur nobis esse a mendacio securi, cum in eorum scripta incidimus, quibus, ob genus scribendi incomptum, atque inornatum, artificium mentiendi, quod longe abest, nulli creditur fuisse quaestui futurum. Quis autem laudari a teste mendaci, eodem, atque indiserto velit? Contraria falsi ratio est: ruit innixa suis viribus, quae nullae sunt, nisi errore hominum, atque ignoratione fulciantur. Ac minime quidem est obscura causa, cur veritatis studio acerrimo homines teneantur: fallentes se, et inducentes in fraudem non ferant. Scire enim homines naturae instituto avemus, a quo quam longissime videmur abesse, cum nobis, falsa, involuta veritatis velo obiiciuntur. Scientia enim, non solum non esse de rebus falsis potest, sed neque de iis etiam, quae incerta, inconstantia, et dubia habentur. Ita iusto prope odio in eos afficimur, qui nos scientes, et volentes fallunt. Scelus enim est, per obiectam veritatis speciem, hominem inducere in fraudem, qui ne falli possit, insitam a natura habet veri, et falsi notam: qua una re fit naturae divinae particeps, quae eadem ipsa aeterna sapientia et veritas est. Cum autem utilitas historiae tota, auctoritate, atque exemplis veterum constet: quantum scriptoris scelus videri debet, fieri eius levitate, ut quibus homines iustiores esse, et meliores debent, abrogetur fides? quantus porro aditus munitur ad omnem nequitiam improbis, si quae exempla iis ad virtutem traduntur, de contemnenda morte, de fortitudine, de

fide servanda, in dubium vocentur? quam longe lateque improbitas proferat suos fines, si hominibus liceat, cum erroris excusatione improbis esse? quando porro iis esse non licebit, ubi proposita exempla ad recte vivendum, esse falsa credantur, quae excusationem adimant ab honestate, et virtute refugientibus? quomodo illa vero movebunt, afficient, incendent, quibus scriptoris vitio, sit abrogata fides? Blanda enim, quasi sui lena hominis natura, plus aequo semper sibi indulget inertiae culpa deprecanda: Itaque si quid agi oporteat, quod sua sponte difficile factu, carere exemplo intelligat, et habet, quo recurrat; lubens eo utitur, depravata, suo vitio, unde contraxit labem. Tanta vero huius pestis vis est, ut nisi sese efferat animus excitatus honesti amore, id quod perraro accidit, vix unus, aut alter inveniatur, qui suo exemplo aliis malit praeire ad virtutis cursum capessendum, quam ducem sequi. Plures enim semper aemulatores honestarum rerum inveniuntur, quam auctores, si quando de his apud multitudinem agatur: unde ambitiosi homines maxime popularem auram venantur. Nam, ut raro, sine aemulatione, exemplum exstitit paullo ad virtutem illustrius, cum homines plus aequo sui amantes, neminem patiantur se haberi meliorem: ita exiguus est semper eorum numerus, qui capti potius specie honestatis. quam studio inanis gloriae sese praebeant aliis aemulandos, et virtutis praemium, unam virtutem petant. Ac quando huc ventum est; haud verear, quid tota hac de re statuam, confisus recta animi conscientia significare: cum viri peracri ingenio, et doctrina, nostra aetate, historiam scripserint; mihi ex iis nonnullos. ne quae vera sunt quidem probare posse, ita assentari magnis regibus, et venari principum gratiam

assuetos, ut res gestas in omnium oculis, quas ipsi vidimus, quibusque interfuimus, mendaciis non ferendis aspergere, et tenebras offundere veritatis luci clarissimae impudentissime sint ausi. Qua de re alibi, ut nobis videmur, et graviter in primis, et vehementer conquesti sumus, sed haud tamen pro rei magnitudine, atque indignitate satis. Equidem, ut ipse de me loquar, cum mecum animo reputo, quantum mihi onus impositum sit a Rege maximo, et sapientissimo; contra, quam meae sint impares vires huic ipsi oneri sustinendo; non secus aestuo, atque angor animo, atque is, qui obrutus grandi aere alieno, cum non sit soluendo, sit idem, maxime suae fidei, atque officii memor. Iam tum mihi ob oculos obversatur. quid a me homines exspectent, de cuius ingenio, et fide, tantus Rex, adeo praeclarum iudicium fecerit: quanti roboris, et virium sit, praestare fidei partes, cui de multis sit libere scribendum: et quidem de iis saepe, qui testem fidelem horrent, de summis hominibus, de regibus maximis, de iis, quibus non parci capitale sit, cum ipsi efficiant, ne, salua scriptoris fide, sibi parci possit; de iis postremo, qui stilum scribentis moderari ipsi volunt, et ut visum est, non ut rerum ratio postulat, in se suosque obtusum, et molli brachio intentatum; aculeatum in alios requirunt. Persto adhuc in fidei partibus. Qui potuit in scribendo aut Neronis, aut Caligulae aetate, simul suae fidei, simul suae securitati, atque otio consulere, qui Romanarum rerum, illis viventibus, historiam ederet? Nam si is praeteriret silentio eorum scelera, venena, incendia, proscriptiones, innocentium supplicia, tum libidines, flagitia, incesta stupra: quae erat eius historia futura, in qua non solum referre falsa, sed tacere vera, insigne flagitium est? si proferret in lucem, quae supplicia, quae cruces

erant religioso scriptori exspectandae? Neque vero quicquam in vita agenda excogitari indignius potest, quam si quis palam improbus, cum positus in regia sella, ex alto, atque eminenti loco neminem fallat, postulet, ut scriptoris praedicatione summus quidam rex, iustissimus, optimus, sapientissimusque videatur Quem quidem quis credat scriptoris personam recte sustinere, si nobis, pro Traiano, aut Marco, Neronem, aut Caligulam; pro Nerone, aut Caligula, Marcum, aut Traianum effingat? Philosophus vero sit oportet, et quidem vere philosophus, hoc est vitae prius, quam suae constantiae, et fidei immemor, qui ita historiam scribit, ut stilum, tamquam veritatis telum, nullo ordinum, aut fortunae discrimine, sive privatum, sive regem laedat, in omnes pari animi robore intendat. Scribimus Vngarorum res gestas aut nostra, aut patrum memoria, bella maxima, tum domestica, tum externa, vastatas provincias, in foedam servitutem redactos nobilissimos populos, eversiones regnorum, principum, et populorum discidia, regum maximorum controversias, ex his exactos alios vi, atque armis, iactatos alios perpetuis bellis: in quibus qui ita versatur, ut non offendat, is deus aliquis sit oportet, non homo. Sive enim qui scribit, testis munere, sive iudicis fungitur, quod a nonnullis in rerum scriptore video requiri, cum medius inter duos aut testimonium dicat, aut de re statuat, de qua est controversia, eius iniquissima conditio est: cum enim ab uno modo ius, atque aequitas stet; qui iudicat, neque gratiam ullam ab eo init, secundum quem leges pronunciare iubent (dat enim quod illi negari sine iniuria, non potest), et apud eum offendit, contra quem pronunciat, qui de se ex suo sensu, non ex alieno iudicio, quo nihil est iniqui-

us, iudicari aequum putat. Quam quidem offensionem cum nostra memoria, magni nominis scriptor se crederet effugisse: scite dicto atque acute eum dicitur Carolus V. caesar perstrinxisse: cum enim illi descriptum praelium legisset, in quo victus, et captus Franciscus rex ad Ticinum esset: totus in victoris laudes effusus: Enimvero, inquit, egregie: sed legas etiam quae Francisco regi tradenda scripsisti. Quo acute dicto hominis levitatem iugulavit, nota, et pervulgata via se utrique venditantis, et duabus sedentis sellis: ut cum haberet stilum venalem, in uno haud ageret iniuste, ut ea ederet, quorum sibi uberiorem quaestum sponderet. Quo incommodo quidem eo graviore, quo difficilius a multis vitatur, tua me sapientia, atque aequitas summa levat. Ita enim me vis gravitatis meae rationem habere in scribendo, ut mea sponte id agentem excites: cum quidem id crebro usurpare soleas, scriptoris iudicium esse liberum in probanda sua fide posteris debere. Sed tu hoc potes cum paucis, qui ita rex maximus te geras tanto imperio administrando, ut per te liceat, qui de tuis rebus gestis scribat, religioso scriptori esse, et securo a metu, spe, odio, studio, aliisque, quae scribentis animum sollicitum habent: qui enim res gerit litteris mandandas, temperat ipse scribentis stilum, ac quid de se memoriae prodi velit praescribit. Nam quasi pictor, effigiem hominis ad vivum expressurus, ex illius lineamentis illam, non alterius effingit; iustos reges, sapientes, fortes, reipubl. amantes, et contra violentos, importunos, crudeles exprimit rerum scriptor, quemadmodum illi, ex iis rebus quas gesserunt, quae verissima lineamenta animorum habentur, se effingi voluerunt. Accedit ad cetera aliud incommodum, haud mi-

mus grave, et quod merito quemvis deterreat a scribendo. Haud enim ignoro complures futuros, qui me negent exterum hominem, cum regionis, et locorum imperitum, quibus res gestae traduntur, tum linguae, morum, legum, suscepto muneri satisfacere posse. Atque est quidem hoc aliquid; sed non tamen, ut sit cum iis incommodis conferendum, quae natum inter eos hominem, de quorum rebus est scribendum, parum idoneum reddunt. Nam sollicitat scribentem, in patriam a natura insitus amor, et caritas in suos, tum omnium maxime, susceptum in eos odium, quibus ea sunt molesta, quae carissima ipse habet, ut quamquam suopte ingenio, sit suae fidei memor, quo minus tamen facile sit memor constantiae, eum invitum, tamquam vehementior procella, hinc odium, hinc amor transversum agat, et quidem unde illum nequicquam fidei studium revocare queat. Cuius perturbationis est expers, qui, quo minus suae fidei obliviscatur, de alienis rebus scribit; quo quidem in munere fungendo unum propositum habet, ut, nulla cum cuiusquam iniuria, testis religiosi officium, unde voluptas solida, et perpetua est, sua liberanda fide praestet. Itaque videmus in hanc ipsam Pannoniam accersitum olim Antonium Bonfinium ex Italia, a Matthia rege, qui Vngaricam historiam scriberet, cum per idem tempus floreret, ut alios omittam, Ioannes Pannonius, cuius monumenta ingenii clarissima facile ostendunt, quanto superior Bonfinio fuerit in scribenda historia futurus, si hoc genus attigisset. Nam Matthiae regis exemplum est postea secutus Henricus Octavus Anglorum rex, qui Polydorum Virgilium, Gallorum Franciscus, qui P. Aemilium ex Italia ad hoc ipsum scribendi munus accersivit. Qua in re tamen minime Matthias rex, ut de eo lo-

quar. fuit felix: ut enim nemo alius in Pannonia natus, homo italus in foedissimam assentationem effusus, Matthiae regis originem, in gentem Valeriam Romam refert: cuius nobilitatis patrem auctorem ignobilis extulit Valachorum pagus: quo assentationis genere nullum potuit putidius excogitari: quasi non maiori laudi Ioanni Hunniadi fuerit relictus filius, qui patriae virtutis. atque animi effigies. rex Vngaris imperaret, quam nasci ipsum e Pelope. aut Agamemnone regum rege. Atque hoc loco quidem referre non gravabor, quae Polybius auctor Romanae historiae grauissimus in hanc sententiam scripta reliquit. Cum enim sibi unam maximam causam fuisse dixisset, scribendi Punicum bellum, Fabii, et Philini levitatem, qui ante se scripsissent: Bonum, inquit, virum, amicorum, patriaeque esse amantem decet, eorumque adeo, qui cum amicis nostris sint aliqua necessitudine coniuncti; inimicos prosequi odio decet. Atqui ei, qui ad scribendam historiam accessit. horum omnium immemori, et inimici sunt saepe laudandi, cum hoc eorum res gestae requirent, et nonnunquam ii reprehendendi, castigandique vehementius, quorum studiosi sumus, et necessarii, ubi quid ab his admissum sit, quare nobis reprehendendi viderentur. Non secus enim, atque animanti effossis oculis, nihil in toto corpore relinquitur, quod usui sit: ita ubi desideratur in rerum scriptore veritatis studium, nullus historiae est usus. Quae cum ita sint: neque nos amor a reprehendendis amicis, neque a laudandis inimicis odium, ubi hoc nostra fides requirat, debet retardare; neque adeo nobis probro dari debet, si quos semel laudavimus, mox reprehendamus. Nam qui res gerunt, ipsi efficiunt sua inconstantia, ut minus nobis in eorum laudibus constemus: cum non

semper iidem aut recte, aut improbe facere consueverint. Sit igitur hoc nobis fixum animo, ut, de medio sublatis personis, sive illi amici nobis, sive inimici sint, de eorum rebus gestis nobis esse, ex nostra fide, scribendum statuamus. Atque haec quidem Polybius : ex quibus coniici possit, quanto aptior sit scribendae historiae is, cuius parvi intersit, recte quid, et cum laude, an foede, et cum dedecore ab alienis agatur, quam eius, ad quem, tanquam ex his unum, qui aut laudantur, aut vituperantur, sensus laudis, et infamiae pervenit. Nam quod minus exterum hominem adiuvet aut peritia locorum, aut perspecti gentis mores, cuius res scribit : quo id officiat minus, industria efficit : quae, quanto illa magis scribentem deficiunt, tanto, ut ea sibi studio paret, in eo excitet sedulitatem, curamque acriorem. Quae tamen, ut nobis magno adiumento esset, perfecit usus, qui nobis aliquot iam annos cum Vngaris fuit, cum triennium in Dacia versati, cuius magna pars ab Vngaris incolitur, te principe, egerimus, et quidem, quem ita nunc regem Sarmatiae veneramur, ut Vngarorum unum nobilissimum, et maiestate nominis, et maiorum gloria. te liceat, quae tua summa facilitas est, de his rebus consulere, quae sint mihi litteris consignandae, quarum ita es peritus, ut nemo alius magis, cui a rebus aliis omnibus otium sit. Atque in Dacia quidem, cum alii ex Saxonum gente, tum Thomas literatus Vngarus genere, me plurimum adiuvit ; quem tu hominem gentis Bathoreae clientem, propter eius singularem probitatem. et fidem, tum tuae pietatis, tum illius officii memor, tantus rex patrem soles appellare. Sed omnium maxime Francisci Forgatii viri clarissimi monumenta nostram industriam, haud illam

quidem per se languentem, sed haerentem in multis tamen, quod nato homini nonnunquam accidere necesse est, plurimum sublevarunt, cum illa, post mortem eius, curasses ad te mittenda, in eo usus Simonis fratris viri fortissimi studio acerrimo, cuius ut virtus gerendis rebus, ita est in nostris scriptis, apud posteros futurum, celebre, atque illustre nomen. Nam et interfuit ipse frequens in consilio, cum aliis regiis ducibus, et magnis gerendis rebus, in campo, in acie, pro muris fortissime pugnando, honesta vulnera accepit, ut earum cladium, quas Vngaris ea temporum procella invexit, vere dici possit, quod olim Aeneas usurpasse dicitur, de Troianae urbis exscidio verba facturus, magnam partem Simonem Forgatium fuisse. Nam in tragica illa Losontii deditione ita oris decore deformato, est tanta calamitate defunctus, ut nullus gloriae insignior titulus, nullum virtutis monumentum illustrius, quenquam unquam, parta de hoste clarissima victoria, honestarit. Atque non solum is facilem se praebuit scriptis fratris tradendis: sed severus etiam censor, si quid ille scripsit errore falsus, quod minus scriptoris acris cura postularet (neque enim his imposuit extremam manum), apposita nota, emendavit, re fideliter, ut gesta erat, explicata: quod facillime potuit ipse praestare, ut strenuus manu gerenda re, sic omnibus ingenuis artibus, ut praeclare posset quae gesserit scribere, perpolitus. Quod ipsum munus ne tu ipse quidem, quanquam unus tot gentium curam, et populorum sustineas, passus es abs te desiderari. Dicerem quo ipse studio, praeter tot, tantaque adiumenta, essem usus, scriptis literis, annalibus, privatorum commentariis conquirendis, si id a me dici mea modestia pateretur, aut hoc mihi commemorare neces-

se esset: cum meam sedulitatem, et studium satis ea ipsa historia, quod brevi futurum spero, sit probatura. certe in eo laboravimus maxime, ut omnes intelligerent, quo nobis nostrae fidei, legentibus fructus laboris aliquis constaret, enixe a nobis datam operam esse. Ac quando iam satis apparet, cumulate nos fidei munus implevisse, certe in eo plurimum elaborasse. ne quid veri, cuiusquam gratia, praeteriisse, ne quid falsi invexisse, et alienum a nostra fide, videremur: reliquum esset, ut de ingenio, deque iis artibus ageretur, quibus qui carent, etiamsi videantur praeclare velle, longe ab eo absunt, ut credantur scribendi munus absoluisse. Non enim quaerimus sedulum nescio quem e foro medio, qui quotidie quicquid agatur, quod dignum memoria putet, referat in commentarium: sed qui ita narret, ut doceat; ita doceat, ut qui legit, non solum possit, sed velit etiam doceri: rustica enim sapientia quaedam est, quae etsi eadem est semper habenda, ut gemma sive in auro, sive in cupro niteat, est eadem semper; neque aeque delectat tamen, neque cum voluptate aeque tenet, ubi ita rudis. atque horrida se in animos insinuet. Finge enim de virtute Socratem verba facientem, Athenis natum, disertum, non sapientem solum, finge Platonem, aut eius auditorem Aristotelem, multos sui amatores sapientia inveniat: finge contra, de eadem disserentem Anacharsim hominem Scytham; unum forte, aut alterum teneat, qui, quasi lynceis oculis, altissime etiam, hominum iniuria, in terrae viscera demersam sapientiam agnoscant: multitudinem non tenebit: quae non quid audiat, sed quanta cum voluptate audiat quaerit: ut nisi dicentis oratione, aut scribentis, quasi illecebra capiatur, minime eum fructum referat, quem sapientis

oratio quidem, sed infantis eiusdem, et impoliti parit: dum enim quasi cum parturiente, atque enitente laborat, molestia gravi afficitur, et non facile ferenda: cum ignoret, quantum eius molestiae sit pretium futurum: quae spes laborem, ac molestiam plurimum levat. Itaque, ut reiicientem puerum salutaria, fallit medicus, quae sunt sua natura amara, dulcibus tegendo: sic delicati nimium, et molles, dum ea scriptor explicat, quae si attente audiantur, sint profutura, suavitate orationis, blandae conciliatricis animorum, ut attente audiant, sunt fallendi. Eadem, quae Livius, multi ante illum litteris mandarunt, quorum scripta tamen, simul atque Livii legi sunt coepta, obsoleverunt: quod accidisse veteribus, in poeticis, animadvertimus. Nam quod Ennio licuit dicere, vetera contemnenti: Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant, et Virgilio de eo ipso Ennio, cuius cum carmina legeret, dicere solitus fertur, se aurum e sordibus eruere; licuit Livio in maximos illos pontificum annales, Fabii scripta, Pisonis, atque eius ipsius Coelii, in quo se paullulum erexisse historia dicitur, usurpare. Ita enim narrat, ut cum ad rei exitum est ventum, qui legit, tanquam nimium celeri cursu fluxerit voluptas, redire ad principium, et repetere voluptatem eadem legendo cogatur: ut cum res, quas narrat, nudae etiam omnibus ornamentis sapientem iuvent; ut iuvent tamen omnes, scriptor efficiat oratione, cum splendidis, atque illustribus verbis compta, et ornata, tum sententiarum ubertate referta, quae animos legentium, tanquam suavi pabulo alat. Nam quae pars in oratione tertia requiritur, cum bella, praelia narrat, urbium oppugnationes, populorum clades, exercituum caedes: qui legit non se illa legere. sed haud secus, ac si in acie

pro muris pugnet. haurire etiam oculis putat; ita animo affectus, ut ipse quasi vulnera excipere, inferre, horrere, trepidare, parta victoria, triumphum de hoste victo, sibi agere videntur. Ac memini me, cum XX ab hinc anno essem Florentinam historiam editurus, criticorum quorundam superbum iudicium, scripta ad amicum epistola, deprecatum: qui mihi idem vitio verterent, quod maiorum memoria, magni nominis scriptoribus olim esset obiectum, in eodem me versatum argumento, non mea sed aliena literis complexum edidisse. Qua de re, quando ea ipsa epistola cum his editur, quas nunc in manibus habemus, pluribus in praesentia non agam. His respondendum videtur, qui quidem non sedulitatem, et fidem in meis scriptis, sed, plus aequo sibi indulgentes, scribendi genus requirunt aptum delicatis auribus, et mollioribus ingeniis: qui ita discere volunt, ut nullo cum labore, et quasi aliud agentes discant. Non probant genus grande, sublime, intensum contortis, atque elatis verbis, sed lene, sedatum, et quasi libero cursu, atque aequabili tractu fluens, ut nulla salebra legentem moretur: a quo genere cum me longe abesse contendant, suscepisse me scribendam historiam mirantur. De quorum iniuria antequam dicere aggredior, illud statui mihi esse faciendum, ut ostendam, ex quo hominum genere ii sint, quibus minus ea quae scribimus probentur. Sunt enim permulti, qui inflati speciosis titulis iurisprudentiae, philosophiae, atque aliarum ingenuarum artium, se populo venditent, non iam illi docti, qui si tamen vere docti sint, meliore loco res hominum habeantur, sed doctores etiam, si diis placet: qui si cathedram conscendunt, docendi causa; non iam clamoribus infestis, et sibilis, sed lapidibus

etiam praecipites a corona agantur. Atque hos quidem toga modo, et barba, ac supercilio superbos imperiti homines de privatis suis rebus, tamquam Delphis Apollinem consulunt, demissos homines e coelo, per quos privatorum controversiae, si quando graviores intercedant, minuantur. Itaque stipatos forensi turba, ac clientium catervis videmus per forum volitare, tanta turgentes opinione sui: ut quo loco quemvis habent de medio populo, eos habeant, qui non inania nomina, quibus imperiti capiuntur, sed ea, quae nominibus significantur, sibi censeant spectanda. Quo digni maiore laude ii videntur, quos pertinax studium, acerrimum ingenium, cognitio antiquitatis, atque omnium politiorum artium, ad summum decus, et gloriam evexit. Nam alii, qui eodem morbo laborant, quasi ex alia classe e sophistarum scholis repente medici: quibus vulgo homines, tentatam valetudinem variis pestibus et morbis permittunt curandam: quam, ex coeli observatione, secta vena, atque oblato pharmaco, non solum impune perdunt, sed perditae etiam pretium poscunt, si quando secus accidat, non servatae reconditiore arte aliqua, sed casu. E quorum numero si quos virtus excellens, et insignis eruditio exemit, cuiusmodi ego novi nonnullos, et colo, atque observo in primis adeo, hi mihi ignoscere aequo animo debent: cum iis mihi res est, quos medicos non literae, non ingenium, non usus, atque observatio assidua, non acre studium, sed error imperitorum hominum facit: qui discunt hominibus mactandis hominum morbis auxiliari. Quorum tanta arrogantia est, ut, cum nihil minus sapiant, quam eam artem, quam profitentur; si quis illis fidem habeat; sint parati peierare, aut Asclepiadis, aut Hippocratis, aut Galeni in se animam im-

migrasse. Neque se tamen continent intra praescriptos sibi cancellos, aut de iis rebus modo pronunciant, quarum sibi scientiam sumunt, sed suis finibus egressi, de iis etiam iudicant, quorum ne elementa quidem didicerunt: ut iam audeant statuere, quis condendo carmine, quis dicendi facultate, quis historia scribenda excellat; cum tanta eorum imperitia sit, ut si iis sit de spe vitae deplorandum, nisi, ex grammatici praescriptione, integram periodum, ut pueri in ludo, struant, cum nomine sint spem vitae abiecturi. Hinc illa monstra, et portenta, veteribus non aequati solum, sed praelati etiam nostris temporis scriptores, quorum nemo, qui sanae mentis sit, esse similis velit. Quae tanquam decreta Areopagitarum, plebs illa literatorum, qui quas non norunt literas pretio vendunt, ita excipit hianti ore, uti ab iis, quos commendat prolixa toga, nihil posse temere excidere contendant. Inde illa manarunt, durior Bruti oratio, plus aequo elaboratum genus scribendi, et nimio artificio excultum, laude in contumeliam, virtute in affine vitium, quo nihil est iniquius. versa. Quid enim si tu doctor nescio quis rudis et durus potius, cui imprimi litera, quae fidem faciat te scire aliquid, nulla unquam potuit? Non enim haec iis scribuntur, quorum in his etiam, quae suae artis sunt. infantia est summa; non leguleiis, nescio quibus, non forensi rabulae, non medico circumforaneo, non scribae e regio tabulario, non molli, non delicato, qui integrum diem audire in scena histrionem possit; adduci non queat, ut horae spatium legat, quae sint viro sapiente digna: iis scribuntur, qui ita legunt, ut doceri velint; qui otium non ferunt in scriptore; qui, ubi occurrunt quasi praegnantia verba, non indigeant obstetrice, ipsi eliciant partum; qui paucis dici multa,

non multis pauca velint. Hoc ingenio fuit Ioachimus Camerarius, qui, ut ipse habitus est, omnium consensu, doctrina, ingenio, eloquentia, nostri saeculi, cum paucis princeps; ita nunquam mihi negavit testimonium ingenii, atque industriae luculentum, cum ne me quidem de facie novisset: hoc G. Xylander, hoc P. Victorius, Sigonius, Bargaeus, Io. Crato, Andreas Dudithius summi homines, et quorum auctoritate, ubi a ratione discedam, qua una est standum, nulla est causa, cur ego desperem levissimorum hominum consensum importune alienae laudi obstrepentium disiectum iri. Quid enim habes, personate doctor, quod reprehendas? verbis utimur latinis, propriis, significantibus, et quae maxime huius facultatis sunt; quae cum delectu sumere si aeque esset magna laus, ac negligere dedecus, haec a nobis non viderentur commemoranda. Cum res narrantur, in quibus unum propositum est, nudas res explicare, et nullo artificio orationis comptas, iis verbis utimur, quae, sive propria sive translata sint, quicquid sit quod narratur, ob oculos ponant. Explicandis consiliis, disquirendis causis, in concionibus, ubi quid recte, et perperam gestum sit oporteat notari, quae sunt certae scribentis partes, ita consulto contractiores sumus, id quod est agendum, ne in immensum historia crescat, ut quo ea, quae scribimus, recte intelligantur, unum satis sit, ea a non oscitantibus legi. Sententiae occurrunt crebrae, sed quae cum rebus ipsis nascantur, non sint aliunde quaesitae: id quod si accidat, ita male cohaereant necesse est, ut appareat de alieno sumptas, male alieno loco collocatas: id quod, ut speramus, in nostris nemo animadvertet, ubi intentis etiam fixisque oculis omnia sibi statuat dispicienda.

Sed hoc minime mirum est. Idem animi morbus, qui veteres olim, nostros homines vexat, ut praesentium laudi invidentes, in his faueant antiquitati, quae in suis reprehendunt, si quid ab illis scriptum scite, eleganter, apte sit, id in coelum laudibus efferant; si quid a suis; dissimulent quod sentiant, ne, vera fatendo, quos nolunt laudare cogantur. Sed horum iudicium facile patimur iis probari, qui cum ipsi recte iudicare non queant, barbatorum hominum togam, et supercilium habent, quod pro ratione sequantur. Illud magis urget, quod obiiciunt praestanti ingenio homines, et doctrina excellenti, a nobis in historiam invehi, quae nostra fides, et rerum ratio reiiciat, de quibus nobis suscepimus scribendum. Ita enim a nobis induci, aut in concione apud populum, aut in regum consilio, aut ad milites verba multos facientes, ut saepe iis oratio affingatur, quam vix disertus orator, et longo usu exercitatus, ubi maxime etiam meditatus veniat ad dicendum, sit habiturus. Quibus si, id quod facile possum, veterum auctoritatem opponam; quorum, tota hac de re, praeter unum Polybium, est fere omnium una, atque eadem sententia, satis iis videar fecisse, quibus nihil certius est, quam viros doctissimos, optima ratione adductos, id sibi esse agendum statuisse. Nam si ita angustis finibus placet historiam definiri, ut nudae res narrentur, et, ut sunt, recte, et cum laude, et foede ac flagitiose gestae; nec Graeca historia Herodoto, Thucydide, Xenophonte, summis hominibus, nec, Romana Sallustio, aut Livio, aut Halycarnasseo indigebat; et is erit scribendae historiae aptus, cui satis sit non haberi mendacem: id quo nullo negotio praestabit, intra fori cancellos inclusus scriba, et cui unicam diei horam liceat, de mu

nere publico detractam in hoc uno munere scribendi collocare. Sed si historiae fines sunt latius proferendi, ut video sapientissimis hominibus placere, cum tota exaedificatio, ut Cicero ait, posita in rebus et in verbis sit: illud pertinebit ad scriptoris munus, efficere non solum ut qui legant non sint solliciti de illius fide, narrandis rebus, sed ut multa etiam discant, quae tum in privata, tum in publica re administranda, insignia habeant emolumenta, atque usus. Rerum ratio, inquit, ordinem temporum dèsiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis, consilia primum deinde acta, postea eventus, exspectantur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quod actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo. Et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis, hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita, atque natura. Atque haec Cicero quidem: quae cum tanta sint, non librarium credo requirunt, qui e forensibus cancellis, vulgo consueverit, ex formula conceptos libellos edere venales, sed magni consilii, et prudentiae hominem, qui multa a natura habeat, quae ingenio, multa quae industriae, et studiis optimarum artium referat accepta. Credo ego vero Thucydidem, cum hoc videret, eam rationem consiliorum explicandorum sibi ineundam statuisse, ex qua prudentiae certa praecepta hauriuntur, ut nunquam a narratione rerum degressus, ex ea ipsa quasi serie rerum quae recte consulta, quae perperam essent, explicaret. Nam cum exorsus scribere Peloponnesiacum bellum, quae eius quasi semina, atque initia fuissent,

narraret: non id egit, ut oblitus sui muneris a propriis, et personis, et temporibus traducta re, ad quaestionem infinitam, et de universo genere, quid censeret esse agendum principi populo, in re simili, doceret, quod munus philosophi politici est; sed, ut scriptorem rerum decet, non interrupto orationis filo, quid commodi Atheniensibus sperandum esset, ubi statuerent sibi Corcyraeos iuvandos, ex eorum legatione docet; quid timendum mali, ubi paterentur se non necessario bello implicari, ex iis quae Corinthius legatus disserit adversus Corcyraeum, eo consilio, ut Athenienses deterreat ab iis auxilio iuvandis. Nam quod negent scriptorem decere, verba legati, ex suo sensu repraesentare, cuius fides requirit, ut certa, atque explorata referat, totum hoc nihil est. Cum enim ita de re constet, ut minime dubium sit, quid legatus Corcyraeus fuerit ab Atheniensibus postulaturus, quid dicturus Corinthius, ut a societate Corcyraeorum Athenienses avocaret: parvi, credo, referat, ubi qui scribit, eandem rem suis verbis descriptam tradat. Adiuvat porro scribentis ingenium, et temporis ratio, et rerum, ut non fugiat prudentem hominem, quid aequum fuerit dicere, tum qui societatem cum Corcyraeis ineundam suaderet, tum qui dissuasor contenderet, a belli consiliis Atheniensibus abstinendum. Sunt enim communes loci quidam, qui etiamsi non omnibus pateant. iis tamen non sint occulti, qui ut tuto de rebus maximis, et grauissimis agere credantur, insignis virtutis. et prudentiae opinio suadet. Rebus narrandis mihi modo emineat scriptoris fides: ubi de ratione gerendarum rerum agatur aut in senatu, aut in regum consilio: quid oportuerit eum dicere, qui auctor geren-

dae rei, quid ei, qui dissuadeat, quod, ut scire possit, natura rerum, personarum, temporum, ut iam diximus, efficit, suo modo explicet; ita legentibus suam fidem probaturus, ut admirentur prudentiam praeterea, partim causis rerum, et consiliis explicandis, partim eventis praedicendis; ex quibus rebus cum magna utilitas maneat legentes, non est scribenti verendum, ut id accidat ulla cum suae fidei iactura. Neque vero, cum apud Livium legimus, quid Fabius Maximus adversus Scipionem disserat, auctor eius retinendi in Italia, cum is bellum in Africam transferret; quid Scipio respondeat: dubitare possumus, quin eadem fuerit utriusque ratio tum suadendo, tum dissuadendo, qua usus est Livius, cum una, atque eadem esset res, quae in controversiam venisset. Vt autem, si mihi colloquendum cum eo sit, cuius linguam non teneam, satis censeam, eum probe interpretis munus praestitisse, qui eius sententiam mihi planam faciat, id, assecutus, quibus id verbis efficiat minus laborem; ita mecum bene actum putem, si quando gravis rerum scriptor, et prudens, ubi consultatio sit de gravioribus rebus, ita suscipiat suadentis, et dissuadentis personam, ut, pro rerum praesentium statu apposite, atque accurate verba faciat. Quod si illud accedit, ut quae apte dicenda sint, luculenter, et diserte explicet: tum illi gratiam habeam, qui perfecerit, ut quae mihi necessario, quocunque modo scripta erant cognoscenda, ea cum voluptate etiam cognoscam. Quemadmodum enim, ubi mihi data optio sit, malim, per interpretem Etruscum, homo Italus, quam per Insubrem, aut Ligurem, quorum asperior lingua, mores mitissimi habentur, peregrini hominis sententiam mihi explicari; ita multo

ne magis legere delectet apud luculentum scriptorem, quicunque is sit, orationem scriptam tum lectis verbis, et puris, tum multis, quasi sententiarum luminibus nitentem, quam horridam, et incomptam apud scriptorem magis Pisonis, aut Coelii, quam Livii, aut Sallustii similem. Ac, quando huc ventum est, quid mihi toto in hoc genere accidat dicere non gravabor: si quando enim usu venit, ut mihi narranda sint, quae, ante me, alii sint literis complexi, ita soleo in eodem argumento versari, ut ne verbum quidem mihi effluere patiar, quo ante me esse usos illos animadvertam: non, ut in huius laudis contentione me fore superiorem credam. sed, ut dem operam, ne, in magna latinae orationis ubertate, et copia, videar quae proxima laus est, inferior discessisse. Viderunt hoc incommodum olim gravissimi homines, qui principes sunt historiam scribere agressi, si incommodum hoc modo appellare oportet, sed non eo tamen sunt deterriti, quominus sibi statuerent pulcherrimo in incepto perstandum. Nam ut quis maxime concedat, aliquando in eo offendi; non illud rei peccatum est, sed eorum, qui hoc munus magis arduum, quam domesticae vires ferrent, attingere sunt ausi. Non enim cuiusvis est, ubi induxerit loquentem aliquem, facile assequi ingenii vi, quid ille pro ratione causae. quam aut defendit aut oppugnat sit dicturus: id quod potuerunt illi mirifice praestare qui scribendi gloria aut apud Graecos, aut apud Romanos homines, Thucydides, Herodoti, Livii, et Sallustii floruere. Sunt enim ita communes loci, unde haec petuntur, ut non omnibus datum sit, quod vix assequi pauci semper potuere doctrina. atque ingenio excellenti, illos proprios efficere suos. Sed si qui sunt, qui, ut illi ipsi inge-

nium usu, ut eruditione, usum, et eruditionem ingenio adiuverunt, non mirabuntur, quae inducitur Fabius, adversus Scipionem dixisse, eadem ratione dictante, Livium, oculis legentium subiicere potuisse. Nam si religio est, non iisdem verbis, res easdem referre: quo hoc ferant aequiore animo, levem iacturam sarciant tot commodis, quae inde accedunt: quae nisi maxima, atque insignia sint, nihil causae esse dicimus, cur nostri temporis scriptores reprehendant, et, a quibus illi sunt hoc mutuati, veteres tum Graecae tum Romanae historiae auctores, qui scribendo gloriam eorum, qui res gesserunt, aequarunt. Placet quidem omnibus res Graecorum gestas tum a Xenophonte, tum a Thucydide, et Herodoto scriptas legere: sed non omnibus eodem modo. Nam si qui sunt, quibus sit satis, nosse quid a quoque administratum gestumve sit, neque ulterius munus scribentis exigunt, quam quod ipsi assequantur, iis cumulate suppeditatur quod quaerunt, silentio praeteritis, quae minus ad se pertinere existiment; sin proferendi longius sunt scribentis fines, et ea exigenda, quae doctissimi homines requirunt, ut explicet regum consilia, causas, eventus rerum, tum quibus rationibus his gerendis duces, atque imperatores sint usi, ut ex sententia succederent; quibus iis fuerit utendum, male gesta re, ut laetus eventus sequeretur: facile patiantur, nulla sua cum molestia, ubi ab eodem fonte hauserint, quantum sibi ad explendam sitim, qua tenentur, sit satis, iis consuli, qui ad eundem fontem avidiores aliquanto, quam ipsi accesserunt: ut enim qui parvam urnam ad amnem attulerunt, cum liceret grandiorem, iis non debent invidere, qui grande labrum ex eodem hauserint, sic qui acces-

serunt ad legendam historiam, ubi quantum licuit, sint legendo assecuti, non debent iis invidere, quorum animi capaciores, plura a rerum scriptore, quam ipsi retulerint, et potiora referre. Quasi enim perennis fons, gravis, et copiosus rerum scriptor, ita maiora petentibus subministrat, ut aeque pateat omnibus, neminem eximium habeat, sive multum is poscat, sive parvo sit contentus futurus. Atque hic quidem repetenda memoria videntur, quae pluribus iam a nobis de historiae utilitate sunt supra explicata: quae si quis putat a scriptore annalium patere, et qui rudes rerum commentarios conficiunt, atque ob id nos deterrere a legenda historia conatur; hi non secus videntur reprehendendi, atque qui abstemii natura, a vini usu eos absterreant, quibus et suave gustatu, et salubre sit, modicè, atque ex ratione valetudinis sumptum. Quis vero non recte statuat, cum cruci suffigendum, qui, quoniam ei non datur luce frui, cupiat terrarum orbem, sole sublato, tenebris perpetuis involui? Haec habui, Rex maxime, et fortissime, quae in praesentia de historia dissererem; in quibus si minus aliud, at illud me assecutum spero, quod volui, ut ea ipsa grata tibi iucundaque accideret, quod me praeclare voluisse intelligeres: qua in re magnum fructum laboris, atque industriae, mihi videor retulisse.

IOANNIS MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER PRIMVS.

LIBER PRIMVS.

. . . . . quasi rebus cum Germanis, et Polonis compositis nihil praeterea incommodi aliunde esset Vngaris timendum, Ladislaum Regem omni alia cura soluto animo, quiescere, perfunctum illum quidem cum vicinis regibus gravi bello, sed quod prae eo bello, quod a Turca hoste perpetuo immineret, ludus et iocus videri posset. In Budensi Vngariae regia, ubi, quasi in specula, aequum esset regem suo imperio subjectos populos perpetua vigilia, ab impendentibus belli tempestatibus tutos reddere, immersum profundo otio, desidem vitam agere, atque id adeo classicum canente hoste potentissimo, qui terra copias haberet comparatas innumerabiles, mari instructam ducentarum navium classem; ut cum quid posset terra, marique neminem fugeret; quid vellet non esset difficile ex ratione rerum temporum coniicere, terra finitimos Vngaros, Venetos maritimo bello peti, quibus quidem ab Aegeo atque Ionio mari infestus immineret. Splendida atque illustria nomina esse, regnare, imperare populis, non secus ac praesides deos ab hominibus in terris coli: sed tantum inter homines honorem, magnam curarum molem comitari, quam qui non paribus viribus ferrent, regio quidem se honore indignos redderent, qui non prius in reg insignibus quam in iis virtutibus, quarum praemit

regnum esset conspiceretur. Haec querentem nobilitatem Bonfinius inducit, atque ita quidem, ut eius rei culpam in eos derivare videatur, qui regem accusarent; cui si fides habenda est haec scribenti, de multorum fide detrahatur oportet, qui iis, de quibus Vngari querebantur consentanea tradunt: cetera quae mox secuta sunt tempora docuerunt, neque eam virtutem Ladislao affuisse, quam illi Bonfinius tribuit, et defuisse constantiam, et magnitudinem animi, quae ubi desideratur in rege, non facile obtinet auctoritatem atque imperium in suos. Namque eodem fere tempore Stephanus Palatinus, frustra rege semel atque iterum edicto regio vetante, circumsessum castellum So..... positum in Corvini ditione, quod in editissimo colle situm (et inprimis) natura munitum, ditionis suae oppidis parum erat opportunum, ut... praefecto praesidii donis in sententiam traducto, ut successori discessurus, oppidum imparatum a rebus omnibus traderet, in potestatem redegit. Anno inde insequenti, qui fuit annus superioris saeculi nonagesimus quartus, maximorum regnorum mutatione Italis semper futurus memorabilis, Ladislaus sive ad elevandam inertiae famam sua sponte, sive suorum consilio id quod vero propius est, Paullum Kinisium, iam vere appetente, in fines Turcarum cum X equitum millibus praedatum misit; qui quidem nemine contra arma ferente, cum Turcae iam coeli tempore soluto amne Danubium transire nequissent, per quinque millia passuum regionem populatus, nonnullis incensis castellis, vastatis agris atque undique ingenti praeda abacta, ne uno quidem e suis desiderato, incolumem exercitum reduxit. Idem, detecta militum coniuratione, qui de tradenda Turcis Alba Graeca consilia agitabant; in potestatem reda-

ctos, cum subiecti tormentis, fassi crimen essent, inaudito supplicio superioribus saeculis affecit: cum vinctos catenis teterrimo carcere asservari iussisset: singulis diebus singulis mactatis, tostas eorum carnes fame enectis pro cibo apponendas curavit, quo sensus doloris esset acerbior, adiecta contumelia verborum, quam suavis cibus palato videretur. Nam qui novissimus relictus nemini erat suis carnibus infelices epulas relicturus, lenta inedia mori est coactus. Valuit quidem atrocitas supplicii ad minuendam infamiam tam barbarae immanitatis; sceleratis hominibus, nunquam facile patientibus, nisi suppliciorum magnitudine, a male agendo se abduci. Eodem anno in Illyrio tumultuatum, Corvino duce, ab Osvaldo Zagrabiensi pontifice castella repetente armis, quae ille, quod Zagrabiensis sacerdotii esse contenderet, male a Corvino possessa dicebat. Adiunxerat vero (sibi Corvinus Laurentium ducem Priorem Auraneae sacerdotium est peropulentum ordini tum Rhodiorum equitum sacrum; qui nunc Melitenses ab insula Melita ordinis sede appellantur) et Horvathum aliosque regulos nonnullos, quorum copiis fretus, victo Osvaldo, amissa omnia recuperaverat, pagis omnibus, qui eius sacerdotii essent, foede direptis atque incensis. Quibus cognitis rebus Ladislaus, qui pro eo atque maiestas requirebat (infli)ctam iniuriam Osvaldo indigne ferret, non solum Corvino infensus, sed iis etiam qui ad arma eunti auxilio fuerant, non dissimulabat scelerati incepti poenas primo quoque tempore repetiturum. Hinc ortum initium simultatum, quas pessimo exemplo, adversus regem, per imminutam illius maiestatem, Laurentius dux exercebat. Nam, tumido superbia animo, cum ad indictum a rege conventum, Leu-

choviam principes regni omnes convenissent, unus parere regio edicto recusaverat; quam quidem iniuriam tantam, quamquam alta in pectus descendisset, sibi rex in praesentia statuit dissimulandam, componendis controversiis inter Polonos, atque Vngaros distentus. Iam quod sequitur, inexorabilis odii indicium. Regii quaestoris procuratores in pago quodam, exigendo tributo intentos, superbe regis maiestate contempta, interfici iussit; quod perinde vulgo interpretabantur, ac si regis sanguine manus cruentasset. Neque his Laurentius contentus, quasi sceleris cumulum, perfidiam in regem aeque, et in regnum addens passus Turcas a moenibus Albae Graeciae Paulli Kinisii virtute reiectos, ad D. Demetrium suae ditionis castellum, Savum amnem, quo loco vado transiri poterat, copias traducere; cuius rei non obscurum signum barbari ediderunt. Cum eum tractum omnem, magna hominum, ac iumentorum abacta praeda, rapinis atque incendio vastassent; Laurentii pagis, certis notis appositis, quibus a ceteris dignoscerentur, pepercerunt. Neque hic malorum hostilium finis; milite ad Petoviam traducto cum, praeter alia illata provinciae detrimenta, ad septem millia liberorum capitum abduxissent, transmisso Savo, abierunt, quicumque aut aetatis imbecillitate, aut adversa valetudine parum essent itineri faciundo apti, in ripa fluminis sectis capitibus, interfectis. Inde in Croatiam digressi cum desertam regionem nacti nihil invenissent, quare moram trahentibus operae pretium exstaret, ne grave impedimentis agmen iter accelerantes moraretur, et alia corruperunt (et) vilem sequentium turbam, in his, infantes, pueros, qui aut morbi tabe confecti, aut enecti fame, gestari nutricum ulnis commode non possent, in-

terfecerunt, in sepes et macerias immanem in modum cadaveribus abiectis. Quarum rerum nunciis, ut aequum erat permotus rex, dimisso Leuchoviae conventu, in Transilvaniam Vngarici regni nobilem in primis provinciam proficiscitur, rerum componendarum caussa, quae, per intestinas principum seditiones, nutare ferebantur. Neque diutius moratus, quam praesentis temporis ratio postulabat, et provinciae status, iusto conscripto exercitu, e Transilvania movit. Inde Themesvarium profectus, cum de ratione gerendi belli, et qua hostem aggredi placeret de consilii sententia constituisset; in inferiorem Vngariam descendit, cupidus sarciendae ignominiae, quae partim praefectorum regiorum incuria, partim discidiis regulorum, iam in apertum bellum erumpentium erat accepta duobus ducibus clari nominis Paullo Kinisio, Bartholomeo Dragfio iussis cum XIIII millibus equitum in Turcarum fines impetum facere. Qui quidem arma late circumferentes, cum nemo occurreret armatus, qui populabundos ab effusa praedandi licentia prohiberet, omnia belli terrore impleverunt, pagis incensis, direptis oppidis, sacris, profanis locis, nullo discrimine vastatis, unde numquam non certae bellandi caussae exoriebantur: mox cum magnam undique praedam hominum, et iumentorum omnis generis abactam apud gravis armaturae equites deposuissent, quos retro subsistere placuerat, parum excursionibus, et levioribus proeliis aptos; ad Sinderoviam usque progressi, suburbiis ignem iniecerunt, qui in praesidio erant, prae metu, erumpere non audentibus. Ita successu auctis animis, cum nihil obsisteret, magno cum belli terrore, qua infesta signa inferrent, circumvagantibus; quaqua versum per centum millia passuum regionem

omnia igni ferroque, non sine insigni ac memorabili, qua belli vis saeviret, cum agrestium clade sunt populati, cum ex arcibus, et oppidis direptis magnam vim praedae asportassent. Interea rex. qui Vaciae substiterat, non minus sedando intestino bello, quam externo propulsando intentus, de suorum sententia, omnes quorum suspectam fidem habebat, edicto in certam diem proposito, sibi praesto adesse, ad caussam graviorum criminum dicendam iubet. Erat vero regis animus maxime in unum Laurentium ducem incensus, neque ille suo ingenio magis, quo nihil mitius erat, quam magnitudine iniuriarum eius, qui nihil sibi reliqui, ad summam arrogantiam, eo spernendo, insectandoque fecisset. Accedebat amicorum auctoritas prudentium hominum, et patriae amantium, qui verebantur, ne per contemptam regis maiestatem, aucta potentiorum hominum audacia, rempub. duce ac moderatore destitutam praedae haberet. Verisimile quoque est, in Leuchoviensi conventu, ab Alberto rege, et ceteris fratribus ad sese respiciendum, et regium munus incitatum, quod quidem diu tueri haud posset, ubi privati, ex illius cessatione occasione captata, magna cum illius dignitatis iactura, regnum pergerent praedae habere: Ita reges decere suo imperio parentes populos temperare, ut qui, unius iuris aequabilitate volentes, et prudentes starent, miti ac placido imperio, feroces, et contumaces, vi, ac supplicii metu in officio continerentur. In unum vero Laurentium omnium fere erant intentae querellae, quem regiae maiestatis patriae, divini atque humani iuris violatorem impune ferre tot admissa scelera iniquo animo ferebant. Namque ad cetera, quae maiore cum invidia commemorabantur, unum, iactabatur, quod

nullo supplicio, quantumvis saevo, atque immani, perinde, atque eius magnitudo requirebat, credebatur posse expiari: pactum cum hoste barbaro, ut, accepto in singula capita aureo nummo Vngarico, pateretur per suae ditionis agrum, Turcas provinciam praedari, ab iniuria, et maleficio in suos abstinentes, a quo tamen scelere non desunt, qui illum longe abfuisse contendant, contra atque alii affirmant, pretium redemptionis avaro hosti persolutum, ut intactis suis agris, quo visum esset impune excurrere liceret, affirmantes. Iam et par sceleri intemperantia accusabatur; archiepiscopum Colocensem, propter virtutis, et sapientiae opinionem, magnae apud regem auctoritatis, contumeliose, atque inclementer appellasse, et, captata occasione, tria castella Sirmiensis sacerdotii, audita Stephani antistitis morte diripuisse; quae flagitia, et scelera tanta religiosum regem maiorem in modum movebant. Cuius rei Laurentius conscius, quamquam esse regem remisso animo, et magna in suos indulgentia non ignorabat, non est ausus tamen se iudicio sistere, regis edicto evocatus, sed matrem misit feminam lectissimam, et iam exactae aetatis, quae incensum regis animum supplicibus precibus placaret, caussae diffisus, in qua nihil perfugii ad spem salutis, omnia ad exitium, atque interitum prona intelligebat. Nam, et missa ab illo munera reiecerat, et oblatis contra Turcas delectis equitibus trecentis noluerat uti, bellum atque arma moliens animo. Quod cum minime Laurentius ignoraret; oppida, atque arces suae ditionis omnes, Villachum in primis, et maiore militum praesidio, et munitionibus firmat, uxore cum carioribus rebus, et omni familia Nemetuivari collocata, quod castellum positum in Austriae finibus, omnium,

quae illius ditionis erant, situ, atque opere munitissimum habebatur. Et rex, iam omnibus ad bellum comparatis, copiarum ducem eundem Bartholomeum Dragfium, quo Kinisii collega, paullo ante res erat praeclare adversus Turcas gesta, belli summam cum imperii potestate administrare iubet. Qui quidem brevi ad Villachum copiis adductis, quod erat oppidum universae eius ditionis caput, oppugnare instituit, iussus non prius obsidionem soluere, quam captum redigeret in potestatem. Quo in rerum discrimine cum Laurentius versaretur; omni alia spe deplorata, ad Palatinum confugit; illi, ut iam diximus, amicitiae, et affinitatis foedere coniunctum; qui quidem cum negasset se posse, salua sua fide, adversus regem cuiquam auxilia subministrare; illud se amicitiae tamen, et veteri necessitudini daturum dixit, ut monitum sui officii regem, pro eo munere, quod sibi mandatum esset, cuius in regno summa potestas, atque imperium haberetur, averteret ab armis. Neque secus fecit, quam pollicitus erat. Et regem monuit ut iudicio, quam bello certare cum regni principibus mallet, et hortatus est, ut se facilem regem suis, et mitem praeberet. Sibi delatum supremum regni ius iudicandis, et publicis, et privatorum controversiis, a quo ne liceret quidem ad regem provocare. Semper vero hoc fuisse apud Vngaros in more, ut si quando esset de capite viri principis agendum, publico indicto conventu, caussa per centumvirale iudicium cognosceretur: a quo instituto ne discedere vellet, magna cum suorum offensione, illum etiam atque etiam orare. Hac tam superba admonitione, quae verbo speciosam officii functionem prae se ferret, ne esset index impotentis animi, et regium imperium contemnentis; vulnus, quod nondum

citatricem obduxerat, quasi nova iniecta plaga, recruduit, cum regi imperanti, ut a Corvini ditione abstineret, superbe parere recusasset. Ita quidem ferunt regem respondisse: Non se esse adeo sui iuris, et constantiae immemorem, ut monitore indigeret, quem tamen recta, et salutaria monentem, pro sua fide, et constantia, ultro esset semper, et libens auscultaturus: Sed iustius tamen regem Palatino imperanti non obtemperare, sceleratum praesertim hominem armis persequentem, quam Palatinus monenti regi pridem non paruisset, a vi, atque iniuria abstinere in non merentem esset iussus. Iam a regiis capta urbe ingredienti Ladislao in arcem victori, mater Laurentii se ad pedes abiecit, miserabili habitu, pulla veste, passis crinibus, atque omnibus ad commovendum regis animum, sua sponte mollem atque ad misericordiam proclivem, compositis, et, Satis, inquit, ... tissime rex, ulciscendo iusto animi dolori indulsisti. Vicisti quidem, quae ea natura sunt, ut vi expugnari, atque armis queant: sed tibi multo clarior victoria superest tui: vince te ipsum iratum, quem una sola virtus, et magnitudo animi, non tela, arma, non tormenta vincere consuevit, et de victa iracundia triumphum age. Condona parentis lacrymis, filii errata in ultimo illius discrimine moerore, luctu, squalore, illuvie obsitae; condona innocentis filii pueri nunc in patris calamitate suam non agnoscenti, quo illi sit aliquando domesticorum malorum acerbior sensus; condona viri errata, lacrymis uxoris, quae paullo ante fortunata femina, et divitiis, copiis, clientelis, florentissima, nunc per viri orbitatem imminens sibi suisque exitium, gravissimo perculsa, atque afflicta casu, deprecatur. Hoc te decus manet, maxime rex, hostium victorem, ut

quos perdidit domesticum scelus, tua clementia conservati, in hoc orbis terrae theatro, testes tuae laudis, et gloriae constituantur; quae numquam est ex profligato, et victo hoste, quam ex conservato maior futura; haec una te virtus, non sceptrum, non orbis, non alia regni insignia dei simillimum reddunt; cuius unius est, ignoscere hominum erratis colligentium ab errore animum, erigere supplices in spem salutis, benignitate, clementia, miseros fovere. Flexerunt supplicis matronae preces mollem regis animum; vincente insita ingenio clementia, quae illum sui esse magis memorem, quam inimicorum cogebat, iustam susceptam in reum iracundiam, et aliorum omnium praeiudicio damnatum et suo, qui pertinaciam sceleri addendo sibi spem veniae omnem praecidisset. Et abiectam erexit, et hortatus, ut bono animo esset, omnia de filio meliora sibi spondere iussit. Etiamsi illum vicisset armis; in decernendo de illius capite, et fortunis, se a iure gentium, et regni moribus non discessurum. Esse centumvirale iudicium, cuius certum ius esset, de iis caussis cognoscendi, quae maiestatis essent, quo filii caussam reiecisset, ut nihil suis esset a vi extraordinaria, atque iniuria timendum. His ita gestis administratisque rebus, cum omnia Ladislaus in potestatem redegisset, quae Laurentius in inferiore Vngaria obtinebat; Dravum militem transmissum in Illyrium duxit, cetera quae in illius ditione erant occupaturus. Interea non intermittebant Laurentii studiosi homines, cum rege in dies magis de iracundia remittente, agere de ille reconciliando. Movebat, ut sperarent se effectures, rei miserabilis habitus, qui repente deturbatus ex altissimo fortunae vertice, spoliatus patriis bonis, quae modestissime etiam homini spiritus ani-

mosque augerent, de vita, quae una reliqua erat, sollicitus esse cogeretur; cuius spem nullam in caussa, perexiguam habebat in regis misericordia, quam iustum in illum odium exhauserat. His malis obrutus, cum adeo miserabili habitu parum etiam aequos sibi homines in sui misericordiam flexisset; a rege impetravit, qui cum magno principum comitatu se Quinqueecclesias contulerat, ut pateretur ad se in conspectum adduci. Ita cum, fracta ferocia ad regem perductus, et in gratiam receptus esset; magna principum, et patrum frequentia stipatum, Budam ubi conventum agi placebat, est secutus. Inde peractis de more comitiis, quae Octavarum iudicia vulgo Vngari appellant, duumviri creati, qui regi iam placato, pro reo supplicarent; quem quidem in ceteris facilem, ut spem certam faceret bonorum restituendorum, quod unum enixius poscebatur, non impetrarunt. Veri simile est, duriorem se in eo praebuisse, de eorum sententia, quorum prudentia, et consilio diffisus suo, ius maiestatemque regiam tuebatur. Erat enim verendum, ne restitutione bonorum impetrata, quae in inferiore Vngaria, perampla, ut iam diximus, possederat, cum fortuna mutaret animum; quem adversae res, non vera virtus fregissent, et cum finitimis barbaris coitionem adversus rempublicam faceret, a quo scelere, integris suis rebus, non abfuisset. In eodem conventu seditio inter nobilitatem, et patres orta, quae cum magnas turbas excitasset, aegre potuit sedari. Rex novo edicto, et ad eum diem Vngaris inaudito, ostiarii tributi nomine, in singulas domos singulos aureos nummos Vngaricos imperabat, cum ad vetus institutum regum nobilitas rem revocaret, qui quam facillima solutione in quinque domos, singulos imperare consuevissent. Eo vero

id nobilitas ferebat iniquiore animo, quo rex arctiore vinculo se Vngaris devinxerat initurus regnum; cum in iusiurandi verba adactus, pollicitus esset, se a superiorum regum legibus, moribus, institutis, non discessurum. Cum vero utrumque grave esset, horum alterum postulabat, in exigendo tributo, ut aeque pontifices, atque nobilitas penderent; aut si hoc recusarent, staret rex antiquo regum more, qui non ostiatim, sed in quinque domos unicum aureum nummum Vngaricum imperabant. Cum seditio ita glisceret, ut iam rex patresque vim vererentur; astu, et fallacia elusa nobilitatis conspiratio est. Rex enim pollicitus se nobilitatis postulata non neglecturum; duos e pontificum collegio Dominicum Albensium, Ioannem Vesprimiensium antistitem deligit, magnae prudentiae, et consilii homines, qui de nobilitatis postulatis cognoscant, Protonotariis regni (quos appellant) qui ius regi dicenti praesto esse consueverunt, illis adesse iussis. Ita multitudine deliniri coepta, cum diem de die ducendo morae caussas alias aliis duumviri necterent, frustra ii comitiorum exitum exspectantes, quos iam necessariarum rerum facultas deficiebat, dilabi coeperunt. Ad hunc modum amandata multitudine, cum qui manserant facile muneribus, et spe praemiorum conciliati se in sententiam traduci passi essent, decretum per nobilitatis infrequentiam, fraude interceptum tenuit, et, ut rex voluit, in singulas domos aureus Vngaricus nummus, et imperatus est, et exactus frustra qui capita seditionis fuerant contra tendentibus. Ad hunc modum magno restincto incendio, quo paullo ante conflagratura regia credebatur, rex aliquanto sedatiore animo cognoscendis reorum caussis operam dedit, nobilitate in primis sollicita de iudicii

eventu. Ex eo enim apparebat futurum, ut sive severum se atque acrem in noxios, sive plus aequo remissum, mollemque praeberet, aut ius suum in Vngaros in posterum obtineret, aut amitteret. Inter reos maxime scelere eminebat, Petrus Poky, qui maiestatis postulatus, infensa maxime nobilitate, caussam dixerat; quae in unius iniuria communem omnium deprecabatur, cum quidem non esset dubitandum, quin si is impune ferret, multi essent futuri, qui, dempto iudicii, atque acrioris animadversionis metu, venalem fidem, poscenti essent pretio addicturi. Pokio prodente, Palatinus, ut supra narravimus, Joannis Corvini arcem occupaverat, insigni regis offensione, cuius maiestatem in Corvini iniuria haud dubie imminutam contemptamque apparebat. Augebat vero eius rei invidiam Palatini dignitas, cuius erant principes partes violatam ab aliis maiestatem regii nominis, et iudicii severitate, et, si usus requireret, armis vindicandi. Ad cetera crimina, quae multa reo, et gravissima obiiciebantur, parricidii accusabatur, cum fratrem negantem cedere paterna hereditate praecipitem in flumen deturbasset, et mox emergere conantem hasta transverberatum interfecisset. Ita reus damnatus, cum nihil illi perfugii in Palatini auctoritate, et potentia fuisset, foedo supplicio vivus in quatuor partes discerptus, et regi et Corvino poenas scelerum luit. Prior Auraneae, quo erat eius nobilitas maior, et si sana mens esset, firmiores opes, eo magis regi invisus supererat iudicandus. In Illyrio magnae potentiae regulus, ut ferebatur multa in regem nefarie, multa in deum scelerate admiserat; quorum criminum vim cum multis testibus convictus non sustineret, et ipse multis nominibus damnatus; uno gravissimo maiestatis, quam multis modis violaverat (quo

supplicio affectus non traditur) interiit, magno potentium hominum terrore, quibus domesticae opes, adversus regem, et meliorum consensum extulerant animos. Et saepe ab rege, mobilitate ingenii, atque inconstantia defecerat; ita appetens rerum novarum, ut numquam praesentibus acquiesceret; futuris inhiaret, quamvis multo infra spem positis; et, quod defectionem semper impune tulisset; per regis dissimulationem corroborata audacia, ut visum esset, excurrendo praedandoque omnia, insignibus provinciam affecerat detrimentis. Accedebat ad ceteram infamiam, ab eodem cusus adulterinus nummus, crimen in hominum societate omni supplicio vindicandum, tum propter violatum in eo gentium ius, tum propter laesam regis maiestatem, cuius nomine, salutari, et sacrosancto populis, ad iniuriam, et maleficium, qui tantum scelus suscipiunt, abutuntur. Tanto quidem flagitio vix se credunt inquinari desperati homines, et qui patriis fortunis malis rationibus dilapidatis, creditoribus palam in conventu decoxerunt. Inde Ladislaus efferri ab omnibus summis laudibus; vindex severus regii nominis, ultor sceleratorum hominum appellari; quorum supplicio improborum licentiam vexandis suis, audaciam contemnenda auctoritate publica, coercuisset armis, insigni dedecoris nota e regia sublata, quam regis nimia indulgentia cunctatioque inussisset; illustri posteris edito documento, animadversionis severitate retineri regum maiestatem; plus aequo mite, ac lene imperium, raro diuturnum rerum potientibus futurum; saepe futurum exitio, ni per severam animadversionem, efferens sese potentium hominum audacia, a rerum novandarum studio coerceatur. Nam et Laurentii ducis ferocia repressa armis, et Stephani Sepusii con-

tumacia, aut elusa consilio, aut constantia discussa, apparebat, omnem spem rebus novis studentibus praecisam, quidquam in rempublicam, quo impotentes imperii animi efferebantur, contempta regis auctoritate, moliendi. Insigne vero exemplum ad continendos homines in officio in iis conspiciebatur, quorum erat fortuna excelso loco collocata, quid esset iis pertimescendum, quibus animus magis, quam vires ad perturbandum reipublicae otium suppeditaret: ex his enim alterum videbant subita rerum mutatione paene ad egestatem redactum, quem pater rex in magnis opibus gratia florentem, atque auctoritate reliquerat; alterum, cuius dubium erat potentia maior, an merita in rempublicam haberentur, per Pokii supplicium maiestatis damnatum: cum iudicibus una reum damnandi caussa fuisset, petitum iniustis armis oppidum, quod alienae ditionis, Palatino, pretio emptus prodidisset. Eodem vero trahebatur animi contumacia recusantis Palatini parere regis imperio, qui illum ponere arma, et temperare ab iniuria, et maleficio in Corvinum prohibuisset. Iam, quasi in eo non satis esset regis maiestas violata; centumvirali iudicio, cui cum summa potestate praeerat, regem suae cognitioni subiiciendum superbo iudicio censuerat, cum ad eum Laurentius dux, moribus regni, provocasset. Quae omnia ita severe administrata, ne plane in regis laudem verterent, minime dubia fama efficiebat, ea ipsa per eos auctores acta, qui in Matthiae olim regis consilio, magna cum fidei, et sapientiae laude, sententiam de republica dixissent; quorum adhuc nonnulli, multis humanis casibus perfuncti, auctoritate, et gratia apud Ladislaum florebant. Nam quo tempore iniit regnum, vivebant adhuc clari homines rei militaris gloria, et sapientiae

fama, duo Stephani Bathor, et Sepusius, ille, parta memorabili victoria de Turca hoste, in Kinirmezensibus campis, a frugum ubertate, ita patria lingua ab Vngaris appellatis, hic Austria, et Silesia Matthiae regis auspiciis, ductu suo, atque imperio, in Vngarorum potestatem redacta; Paullus Kinisius, cuius in Kinyrmezensi pugna summa excelluit virtus, Matthias Gerebus, Vladislaus Losontius, Bartholomaeus Dragfius, Emericus Drencennius, atque is quidem, cuius virtus dubium sit fuerit in secundis, an in adversis rebus maior. Iam e pontificum collegio summi homines, et quorum exstabant in rempublicam praeclara fortitudinis, et sapientiae monumenta, Vrbanus Agriensis Episcopus, Sigismundus Quinquecclesiensis, Ladislaus Gerebus Tansilvanus, Dominicus Albensis, Stephanus Syrmiensis, Petrus Colocensis, quorum virtute, et consilio, Matthia rege, et mox Ladislao, quamdiu vixerunt, regnum Vngaris ab omni belli clade invictum mansit; cum quidem frugum ubertate omnium generum, et exterarum gentium commercio, maxime bellicae rei gloria floreret. Horum morte, quasi cum iis reipublicae propugnacula omnia corruissent, convelli regnum, et labefactari, est coeptum; quod nunc mancum, atque externis bellis, et intestinis discordiis lacerum, et divulsum in partes diversas, magis dei immortalis providentia, quam hominum consilio, et viribus continetur. Inde Ladislaus, quasi iam alter factus, cum nullus esset splendor a domestica virtute; ea viventi lux occidisset, qua ad eum diem claruisset; coeptus a suis contemni, atque adeo, ut cum ob nimiam eius facilitatem, nulla iam esset eius apud suos auctoritas, quantus esset rex, non tam ex regii muneris maiestate, cuius, propter ingenio insitam secor-

diam, erat onus viribus gerenti maius, quam ex suorum potentia, auctoritateque intelligeret. Quod tantum flagitium eo maiori invidiae nobilitati erat, unde in multitudinem manabat, quo maiorem sanctioremque regiam maiestatem esse aequum est unius imperio parere assuetis. Neque vero in Vngaria modo, sed etiam apud nationes exteras, erat Ladislai regia infamis. Id effecerant e principum numero nonnulli impotenti homines ingenio, qui, per unius invidiam, magna cum populorum offensione regnarent: imparem enim regio muneri, vix regem agnoscebant, dissimulantem conniventemque in omnibus, in iis saepe, quae parum ex reipublicae usu administratae, ingentem secum molem malorum trahebant. Edictis quidem regiis, sive tributum provinciis, sive militem, sive munera alia publica imperari opporteret; Ladislai nomen praeferebatur, ut si quid in eo offenderet, id totum in regis invidiam verteret, cuius nominis maiestate abutebantur; regni commodis ipsi, soluto animo, atque omnis curae expertes fruerentur. Neque eorum tamen quemquam fugiebat, quidquid de maiestate regis detraheretur, quo eorum esset flagitium maius, id in eorum dedecus redundare, qui molli, atque inerti obedire inducerent animum: hoc enim a natura homines habent comparatum, quod penitus insitum animis dissimulare haud queunt; ut nati liberi, et sui iuris, nullius in se imperium, quem se esse deteriorem censeant, nisi coacti invitique patiantur. Quae una olim caussa fuit, cum aliis nobilissimis gentibus, priscis temporibus, tum principi orbis terrarum populo, hinc desiderio libertatis, hinc odio iniusti imperii vincente metum, principes et imperio simul, et vita deturbandi. Ladislao enim, si parum aptus regno administrando videbatur,

eodem consensu, quo illi regnum erat delatum, populorum conventu, et principum, more atque instituto maiorum, indicto, erat regnum abrogandum: cuius rei exemplum veteres olim Galli prodiderunt, qui, cum diu pertaesum esset secordiae veterum regum, iis ademptum regni ius Pipino Martelli filio detulerunt. Nam et maiorum memoria Venceslaum Caesarem, quod nomine, et regni insignibus magis, quam virtute summo rege digna, imperii maiestatem tueretur, principes abdicare iussum, honore deiecerunt, in eius locum Ruberto Bavaro surrogato, cui non ita multo post, Sigismundus Venceslai frater melioribus Christinae reipublicae auspiciis successit. Quamdiu vero Vngari, eum regnare paterentur, quem aut contemnerent, aut odissent; vix posse recusare videbantur, quin quaereretur, magna cum eorum invidia, quae caussa iis esset perferendi eius imperium, in quo contenderent, nullam esse iustam caussam regnandi. Neque cuiquam obscurum erat, quae huius incommodi caussa esset: satis enim apparebat, hinc improbis hominibus, quos non vera virtus, sed legum metus, et legitimi imperii coercet, quaeri infinitam licentiam, cum privatim tenuiores vexandi, tum rempublicam diripiendi; quae severo custode, et moderatore careret, rege, cuius unius certum munus esset, cupiditati potentium obviam ire, suscipere publicam rem non audente; quae, nullo malorum vindice, cuius virtute, et sapientia erigeretur, deplorata spe salutis, et libertatis afflicta, prostrataque iacebat. Hanc hominum famam a vero, initio sumpto, quo latius percrebrescens pervagabatur, multitudo principum licentiam aemulata alebat; quorum fide, secundum regem, si ulla in patriam pietas tangeret animos, respublica niteretur. Eo

quidem licentiae ventum erat, at per forum medium eunti, quod ne in privato quidem homine esset ferendum, facere convicium auderent. Nam, et ante ab eo initum regnum, impune in se Boemos bacchantes linguae petulantia, atque audacia non ferenda, facili, et placato animo tulit, cum Polonam suem, et everrendis haris, quam regno administrando aptiorem, palam vocarent; quam tantam licentiam, cum regii ministri non ferentes, coercere imperio instituissent; usque eo elata multitudo, conviciando, et maledicendo fertur exarsisse, ut ex infima plebe hominem, Polonum genere, ob tam immanem licentiam coniectum in carcerem, missum facere, metu ultimi discriminis victa auctoritate publica, coacti sint; cum seditiosis vocibus, ni missus fieret, se carcerem refracturos, et ignes facesque iniecturos minitarentur. Neque in eo tamen constitit multitudinis scelus amentia furentis: dicitur enim homo e populi faece, in regem, qui e fenestra tumultuantem multitudinem spectabat, intento arcu sagittam emisisse, cum pervulgato iam in illum convicio mactandam inertem suem e Polonorum coeno in Boemiam invectam vociferaretur, gratam victimam Hussii manibus futuram, quibus illam parentaret. Sed e principibus, qui eo licentiae perrumperent (non enim omnes, ut nobilitate, ita scelere eminebant) eo invidia maiore laborabant, quo eorum erat conspectior fortuna, et magis quae agerent in hominum oculos incurrebant. Hi regios spiritus prae se ferentes, cum plus nimio invidiosa potentia inflaret animos, quasi in regis contumeliam, longa patientia assueti perferre suorum inurias, ostentabant, pares vires exercitibus alendis, suscipiendis expeditionibus, gerendis bellis, cum sua sponte certas sibi caussas fingentes,

quas speciosas inane reipublicae nomen efficiebat, rempublicam lacerare aeque belli, pacis tempore, quo vis et libido suadebat, non vererentur. Itaque cum unus nomine esset rex; multi conspiciebantur, qui privati nomine, magno cum populorum incommodo regnarent: ut cum in eo, quem legitimum regem agnoscebant, nihil praesidii haberent; eorum perferre regnum cogerentur, in quos male de republica meritos frustra regiam animadversionem, et severitatem requirebant. Ita gliscente in dies licentia, cum omnia auderent, quae cupiditas, et libido suaderet, respublica privatis in medio relicta praedae erat, quae multis aerumnis, atque incommodis vexata, omnibus destitueretur, quibus subnixa antiquum decus gloriamque tueretur. Neque ulla spes erat, in posterum meliorem rerum statum futurum, qui convulsus, et debilitatus, nisi deus immortalis rebus praesens, et propitius adesset, brevi erat futurum, ut ad exitium rueret: certe, ut credendum sit, deteriore si fieri posset, loco fuisse, fidem facit, paucis post annis factum decretum in solenni gentis concilio, quo, magno omnium consensu idem efflagitantium, exteris a regni petitione interdicebatur: cuius rei caussis commemorandis, altero quoque verbo legenti occurrit, reipublicae ruina, pestis, exitium, et, quod crebrius usurpatur, per exteros reges invecta desolatio regni: de quo quidem decreto, suo loco, ubi eo ventum erit, latius agemus. Neque deerant tamen ex amicis viri optimi, quos ad virum clam Anna regina adlegabat, virilis animi femina, et minime potentium hominum cupiditati opportuna, qui de his regem monerent, fore sperantes, ut cum suo ingenio, minime esset aversus a melioribus consiliis, aliquando expergisceretur in eo alte virtus sopita,

quae languentem inertia animum, ad suscipiendam regni curam vehementius excitaret. Haec illi vero prudentes homines, et amantes reipublicae inculcabant. Agnosceret enimvero sese aliquando, et, quod illi esset ab Vngaris impositum munus, unus e multis non prius suorum suffragiis, quam dei immortalis consilio delectus, in cuius salute contineretur tot gentium, et populorum salus; susciperet personam rege dignam: capesseret convulsam, et labefactatam rempublicam, quae invicta ab externo hoste, per unius cunctationem, adducta in rerum omnium discrimen, praeceps rueret ad extremum casum. Non ex imperii maiestate, ditionis magnitudine, potentia, divitiis prius spectari reges oportere, quam ex iis virtutibus, quibus a maioribus illa essent parta, sapientia, iustitia, fortitudine, magnitudine animi: quae quomodo desiderari in rege possent, cum ex iis tamquam elementis efficta regis persona, expressaque crederetur; quae tanta esset, ut dei immortalis maiestatem in terris, iure imperii administrando gentibus populisque repraesentaret? Si recta volentem deficerent vires; si se personae maiestatem respicientem, si creditam suae fidei rempublicam id quod dignum se, dignum maioribus esset, destitueret virtus: at excitaretur suorum exemplo, in alieno regno iniustam dominationem exercentium: disceret a suis rex legitimus regnare, qui privati, per suam iniuriam, postestate regia abuterentur; ab iis agnoscere suum ius, quorum ius in vi, atque in armis positum esset: cessuram potentium hominum audaciam, quamquam armis munitam, simulatque pro tuendo imperii iure legitimo, et maiestate regni, augusti in terris honoris, proque salute suorum, quorum caussa, non sua regnaret, arma susciperet; quae numquam suo robo-

re, et viribus magis, quam caussa valuissent. Cur vero desperaret, maiorem vim affuturam, vindicanti legitimum regnum a suorum iniuria, quam appetentibus suis alienum? Inter cetera insignia reges gladium gestare, ut fides esset nusquam tutam vim, aut salutaria arma futura, nisi ubi ea iustum et legitimum imperium moderaretur. Privatos, nisi iubeat legitimus magistratus, non posse inter inermes tuto conspici armatos: satis praesidii privatis adversus vim omnem constitutum, ubi publica auctoritas obtineat suum ius, vigeant leges, iudicia; ubi sit quem improbi horreant, carcer, tortor, secures: ut cum ad vim improbi confugiant, magno argumento sit, quod caussae diffidant, quae sola in legitimis imperiis debeat spectari, gerere illos, et civibus privatim, et reipublicae perniciosa arma. Ita cum maiorum memoria alios, tum patrum aetate, quorum exempla nondum e praesentium hominum memoria exoleverint, multos, per armorum licentiam, iniustum principatum occupasse, et tristem in liberos populos dominationem. Incedere e principibus Vngaris nonnullos magna sua, atque eorum iniuria, quibus regis maiestas sancta sit, regio more, hinc trahentes longo ordine clientium catervas, illinc prae se agentes equitum turmas, et peditum plenissimas cohortes, quorum metu terreant, qui sui iuris memores, privatorum imperium audeant detrectare. His subnixos imperare, edicere, iubere, vetare, plectere, nullo aut census, aut ordinum discrimine, quod paucorum cupiditas, et libido sustulerit. Quae si illi iniuria adversus leges, et per vim agerent; cur ipse ligitimus rex agere dubitaret, regni iure subnixus, et magna bonorum voluntate, quorum modo essent iusta suffragia; quique id unum expeterent omnibus votis, ut de medio

sublatis, quorum importuna ingenia perturbarent quietam reipublicae statum, unus modo esset, quem verum agnoscerent regem, cuius fidei leges, regni iura, reipublicae salus, privatorum fortunae, libertas, totius regni incolumitas permitteretur? Haec atque alia multa in eandem sententiam prudentes homines apud regem sedulo agendo, monendo, nonnunquam, et castigando liberius, unum modo efficiebant, ut defuncti ipsi insigni pietatis laude, regis culpam augerent, leviorem futuram, ubi monitore careret: fovebat enim dies inveteratum animi morbum, cuius tollendi nulla spes esset, stupore animi magis, quam ingenii pertinacia vincente suorum consilia omnia. Iam pridem vero Beatrici reginae, nuptiarum spe adempta, quas illa, ut ferunt, amoris impotens, regni praemium poscebat, quod magnis illi largitionibus conciliaverat, Annam Gandalam ex Gallia, ortam regio genere uxorem duxerat; ex qua postea liberos suscepit, Annam, quae Ferdinando Caesari nupsit, Ludovicum, qui patri admodum adolescens in regnum successit. Beatrix quidem detestata, sub Ladislao rege, privatae feminae fortunam, quam patre rege natam, avo, maioribus, paullo ante Vngari reginam venerati essent, in Italiam rediit: etiamsi minus, per viri indulgentiam tueri iura pudoris visa, luculentum nostris hominibus argumentum ad scribendum domesticis laudibus suppeditatura: certe si iis fides habenda est, non illa solum digna visa, quae ob maiorum nobilitatem, Corvini tanti regis, tori consors, atque imperii esset, sed quae, ob domesticam virtutem etiam, cum viro femina virtute. atque animi magnitudine certaret. Ac quamquam inerat in Ladislao a natura stupor, tarditas ingenii, quam in privato etiam damnandam splendor regii no-

minis insigniorem reddebat; non deerant tamen qui illius nomini faventes, insita a natura mentis atque ingenii vitia, illi in laudem vertebant, ratione rerum ita ferente, ut maximarum saepe virtutum speciem prae se ferant insignia vitia, quae illis affinia habentur. Ita, quae inertia, et secordia erat, pacis, atque otii studium ferebatur; mollis et demissus animus, specioso nomine, clemens, placidus, lenis; tristitia, animi angor, curis gravibus semper aegra, et pavida mens, cum timoris argumentum non ab imminente ullo malo, sed ab ingenio exstaret, prudentia, et consilii maturitas, in turpem assentationem hominibus effusis, appellabatur. Quae quamquam rerum peritos homines minime fugiebant, qui haec propius animo intuebantur; insignem illi tamen tribuebant animi moderationem, quae efficiebat, ut minus ingenii labes obesset publicis rebus. Ita cum sese non fugeret conscius sui, facile inducebat animum, ubi de gravioribus rebus ageretur, meliorum consiliis obtemperare: quae praecipua laus est in homine habenda, in rege praesertim, cui cum summa potestas sit in homines mandata, non saepe a natura inest virtus magnis gerendis imperiis par, cum unus sit, cuius errata, si quid ab eo temere, atque inconsulte agatur, multorum semper incommodo, magna saepe populorum ruina, atque exitio lua(n)tur. Adiuvit diu, ut diximus, hanc regis facilitatem, et moderationem fortuna, raro favens rectis hominum studiis, quae haud nitenti suis viribus clarissimos belli duces, magni consilii, et spectatae fidei homines e Matthiae regis sanctiore disciplina, quo minus succumberet susceptо muneri, suppeditavit: nondum enim plane illa exoleverat, ita a maioribus posteris tradita per manus, ut quasi a natura inhaerentia Vngarorum animis,

labefactari quidem posset casu, tolli nulla ratione posset. Atque eius quidem moderationis fructum ingentem, Ladislaus consensu omnium referebat, cum illi minus, referre sapientiae laudem liceret, quae in rege, et populorum moderatore est prima laus. Nam si quid adversi accidebat, quidquid inde incommodi esset deportatum, eius rei invidiam in eos, quorum consilio male gesta res esset, homines derivabant: si quid recte, atque ex sententia, decus aliorum virtute partum, ad eum perveniebat, qui, cum sibi diffideret, suadentibus meliora paruisset, imperita multitudine spectante magis id, quod iniquissimum est, cuius auspiciis, quam cuius virtute, et consilio respublica domi forisque administraretur. Tutissima vero ratio in magnis gerendis imperiis, ubi offenditur aliena invidia; aliena virtute comparatur laus: quod illis usu venit, qui, quidquid agunt, quod ad summam rempublicam pertineat, de consilii sententia sibi statuunt agendum. Igitur quamdin domi Ladislai regia fuit sapientium hominum consilio munita; foris respublica per viros fortes administrata: merito dignus visus, qui tanto in terris muneri praeesset. Hinc, statim a regni initio, victus Albertus frater; Maximilianus tantus regni aemulus, insigni clade accepta, e regno decedere coactus; Alba recepta magna cum gloria, pulsi Turcae e Sabatiae moenibus, atque ad internecionem caesi; postremo Laurentius Bosnae dux, alii ex regis dissimulatione, et domesticis opibus exsultantes ferocia, repressi armis: quae omnia si animi virtus par consecuta esset, non inertia corrupisset; brevi erat eam laudem assecuturus, ut neque Matthiae regi Ladislaus partam fortitudinis laudem, et posteri Ladislao domesticam gloriam inviderent; quibus nunc perpe-

tuis malis, atque aerumnis circumsessis, incolume regnum Vngariae staret; quod ditionis magnitudine, atque imperii a Matthia rege maximum, atque opulentissimum est posteris relictum. Ergo ubi per eorum infrequentiam, quorum consilio res gerebantur, morte aliis, aliis variis casibus sublatis, ii successerunt, qui non aeque, ut personam, et munus, ita virtutem eorum, quibus successissent tuebantur: quae olim in rege moderatio fuit reipublicae salutaris; et regi simul destituto suorum consilio, et suis pariter destitutis rege, quo accerrimo, ad reprimendam sceleratorum hominum audaciam indigebant, exitio fuit: ubi enim unius auctoritate regnum administrari est coeptum, qui ipse aliorum virtute innitebatur: tum vero, quasi regis posita persona, qua tectus multorum conscientiam fugiebat, et nudato ingenio; qui vere Ladislaus erat, non qui esse videbatur, apparere; tum cognitus contemni a suis pariter, atque ab exteris; regnum, quasi capite avulso, deformis corporis truncus, mancum, ac debilitatum convelli, et ruere ad exitium coepit; ne plane everteretur, nullius virtute, et consilio magis, quam dei immortalis providentia prohibente, qui Turcam perpetuum hostem Christiani nominis in illius perniciem incumbentem, longissime ab Europa averterat. Baiasetem enim, regni Ladislai fere initio, postremis temporibus Selimum, Persarum bellum, quorum victricia arma longe lateque Asiae provincias populabantur, ab Europae rebus, quo animum intenderat, avocaverat, magnam occasionem sibi eripi e manibus exscindendi Christianorum imperium frementem. Cum vero sua sponte barbarus Vngaris infensus, paratissimis suis utebatur, qui longam expeditionem horrentes animis, longe Vngaricum bellum Asiatico prae-

ferebant; tum quo alacrius gereret susceptum, illi erant omnia, quae in Ladislai consilio gerebantur, ac totius regni incommoda quam exploratissima, plena exploratoribus regia, quam nulla insignis virtus, tam deside rege obtinente imperium, moderabatur: iam enim militia illa, multorum morte exstincta, qua Matthia rege, tot bella praeclare gesta, tot erant victoriae de hostibus partae, nulli fere tum erant in Vngaria gloria rerum gestarum clari duces, infrequens veteranus, et qui plura stipendia, quam belli decora numerabat; novus miles in spem modo militiae auctoratus, ut robur quidem et vires pares ad bellum afferret; animum imparem; qui non a natura solum, ut illa maxime etiam faveat, sed a disciplina rei militaris, atque usu etiam est; fortissimis militibus, quorum aemulatione fieri meliores potuissent, ut sunt res humanae, omnibus iam vitae munere defunctis. In eo vero Ladislaus, et de suis creditus est, et de exteris pessime mereri, quod magnam opportunitatem bene gerendae rei, dum Turcarum regia bello arderet, atque in partes varias distractae vires, levi impulsu labare sua mole possent, magno cum gentis dedecore, corruptam fluere sibi e manibus passus esset. Sed haec quae aliquanto postea acciderunt suo loco ordine commemorabuntur: huiusmodi quidem fuerunt, ut si hoc salva fide, et constantia scribentis liceret, viderentur perpetuis oblivionis tenebris involvenda; Dum componendis Vngariae rebus Ladislaus, omnibus aliis solutus curis, animum intendit; Boemi indies, quorum salus in magno rerum omnium discrimine versabatur, crebris nunciis, et litteris regem urgebant, id quod non semel per legatos egerant, ut difficillimo suo tempore, venire in Boemiam

maturaret. Namque haud ita pridem alii missi in Vngariam oratores, primae nobilitatis homines, cum ob tributi collationem, esset inter regni ordines ingens ortum discidium; quo legatio regi gratior, Boemorum faciliora postulata efficeret; regiae civitatis, et totius adeo regni nomine, et prolixe, et magnifice polliciti erant: Paratos Boemos, sive domi, sive foris, regi adversus communem hostem gerenda res esset, delectorum peditum XV, equitum X millia, tormenta, commeatus, atque alia omnia, quae necessaria gerendo bello haberentur, suppeditare. Nam quod Vngaros contumacius regio edicto reclamantes, de tributo queri audissent; Boemos sua voluntate, non semel atque iterum modo id a suis exigi passuros, sed, ubicumque etiam id esse ex reipublicae usu crederetur, cuius unum Ladislaum moderatorem, regemque venerarentur. Iam, et gratias regi egerant, quod, pro sua vetere consuetudine, ac pietate, religionis caussam ultro susceptam Alexandro Sexto pontifici commendaverat; in qua una re maxime esse posita regni securitas, et tranquillitas credebatur, cui minus ad eum diem regii ministri prospicere potuissent, per civium perpetuas discordias, quarum nullus finis, rege in longiorem diem, ad suos reditum differente, ostendebatur. Hinc serie rerum provecti dicendo, et ad preces conversi, etiam atque etiam orabant, ut aliquando induceret animum invisere suos, dum in dies, per regiorum dissimulationem, longius serperet intestinum malum, usque eo regno civilibus discordiis vexato, ut ita se ostendere posse sperarent, quae facies rerum in Boemia esset, si negarent, ulla verba a se posse inveniri, quibus eam, ut par esset, audientis oculis repraesentarent. At esse eosdem Boemos, qui in regni

petitione, vix decimum sextum annum natum Ladislaum, Matthiae tanto regi, cuius esset nomen, et fama, magna cum fortitudinis laude apud omnes gentes pervagata, omnium ordinum suffragiis praetulissent: cum quidem ea tum aetate esset, in qua, praeter spem regiae indolis, et maiorum nobilitatem nihil esset, quod petitionem illius commendaret: ut si qui illi essent eximii habendi, nulli verius quam Boemi tanto honore digni censerentur, non Moravi, non Vngari, non alii, qui in illius ditione, atque imperio continerentur. Quem quidem si tam perditae, atque afflictae suorum res ad sui respectum non revocarent, neminem, ubi ab illo discederent, Boemos sibi sperare in magno rerum discrimine positis affuturum. Vnum se illum agnoscere domesticorum malorum vindicem, ultorem sceleratorum hominum, ducem eundem, regem iustissimum; ut si parum memor sui muneris, et suorum, qui ultro, et volentes se illius fidei permisissent, pateretur a se frustra opem implorare, iam illos, abiecta spe salutis, deserta loca, et solitudines, cum liberis, et coniugibus sibi statuere petendas, ubi extorribus patrio solo, tuto liceret fatum occidentis patriae lugere. Ita vero in rebus hominum comparatum esse, ut, quemadmodum noctis tenebrae, exoriente sole, mortalium oculis disiicerentur; ita quaecumque mala, discordiae, dissensiones, intestina bella in civitatibus, tamquam noctem, et tenebras offunderent publicis rebus, unius sapientis regis adventu tollerentur, suis redderetur, pax, otium, securitas; quibus rebus magna regna, atque imperia constabilita in terris beata florerent. Hunc unum esse vitae fructum maxime regi expetendum, ut cum unius fidei, et sapientiae esset multorum salus commendata, nihil, se moderante rempublicam iis e-

veniret, qua re ei, a quo essent accepti in fidem, esset eorum salus defendenda: sed si quid iis tamen accideret, quare subsidio indigerent, non esse minus uberem fructum regi sperandum, cuius virtute restitueretur populis salus, quam cuius sapientia factum esset, ut ea ipsa acriore vindice non indigeret. Non credere quidem Boemos sumptu tantum regem moveri: sed si tamen propter rationem praesentium temporum, Vngarica res aerarii angustiis laboraret, id quod aliquando accidere in magnis opibus, et luculentis haud mirum esset; et sumptum Boemos, et cetera, quae regi, quae suis necessaria essent, cumulatius etiam illius spe, ex censu tributo imperato subministraturos. Nullum quidem proclivius beneficium haberi, quam quod ita fieret, ut nullo eius incommodo a quo manaret, in magnum eius commodum redundaret, in quem collatum esset; sed eam tamen esse Boemorum in patriam pietatem, ut etiamsi esset privatis, reipublicae salus, vitae, et fortunarum iactura redimenda, non essent recusaturi. Quae cum ita legati apud Ladislaum agerent; in Boemos saeviebat indies latius impunitatis spe corroboratum malum: cupidi enim rerum novarum homines, per regis diuturnam moram, ut dictum est, turbandi rempublicam licentiam nacti, domi intestinis discordiis, quibus alendis, ortum religionis discidium abunde materiam subministrabat; foris caedibus, et latrociniis omnia infesta faciebant: quo ea, quae moliebantur, facilius consequerentur, in partem militibus traductis, quorum non contemnenda manus, erat a regiis per pagos, et circumiectas arces distributa, ut provincia hoc praesidio, adversus omnem externam vim, si qua exsisteret, per adeo turbulenta reipublicae tempora, et adversus civiles tumul-

tus tuta esset: in urbe enim iam inde a Venceslai et Sigismundi tempore in partes divisa, Hussitae crebris concionibus populum ad ius suum armis persequendum excitabant, quem fere habebant in potestate, id in primis agentes, ut regii ministri sibi potestatem facerent deligendi e suo corpore idoneum hominem, qui rebus divinis procurandis praeesset, pontificis titulo honestatus, quo muneri accederet auctoritas maior. Designabant vero minime obscure, eo loco dignum hominem, ut credebant, pontificis maximi hostem acerrimum, quem eo ipso nomine, quod pontificis caussae ceteris vehementius adversabatur, multitudini probari intelligebant, ut numquam antea turbulentae magis, et a quietis consiliis aversae. Erat is vero in primis a facultate dicendi paratus; ut non esset defutura quasi incensa fax ad excitandum maius in multitudinem incendium, quod ut ageret tum odium suadebat, quo infestus ferebatur in pontificiorum caussam, tum imbutus pravis opinionibus animus. Accedebat ambitio, qua malum indies sua sponte recrudescens magis corroboraret: cum speciosum videretur, per populi suffragationem, ad summos honores aditum patefieri infimae sortis hominibus; qui quidem ultro deferebantur non doctis, atque eruditis, sed qui magis diserti Pontifici Romano maledicendo essent. Haec hominum haud occulta studia maxime pontificios movebant, ut eorum postulatis infensius obviam irent, quae contenderent, maxime officere publicis rebus; cum susceptas Romani pontificis partes, hinc religione adducti, et pietatis studio, ut videri volebant, hinc freti regis gratia, in optima caussa constantissimi, acerrime tuerentur. Ita ingens seditio orta pridem a religionis principio, numquam tentatae rei sine in-

genti populorum clade, latius indies opinione hominum proferebatur, singulis adversus eos, qui diversa sentirent, pertinacissime sua defendentibus, non religionis studio, cuius erat levissima cura, sed animi pertinacia, quae mox in aperta odia, et graves simultates, atque inimicitias, qui exitus civilium contentionum est, erumpebat. Varia quidem hominum studia a pontificiis dissidentium, unus erat omnibus propositus finis, sublato vetere ritu sacrorum, quae olim sancta maioribus, et magno in honore, et veneratione fuissent, alia sacra inducendi, quae imperiti, falsi praeclaro religionis titulo, facile vetustis patrum sanctionibus praeferebant, quarum iugum populis grave, e cervicibus deiiciendum concionatores, seditiosum hominum genus, multitudini persuadere conabantur. Et potentes homines quidem, quibus ingentes opes spem crescendi per tantam rerum mutationem faciebant, tenuioribus se adiungebant, qui cum optimam in speciem caussam complexi, meliores in republica partes se tueri existimarent, non intelligebant, se fovere eorum studia, qui augustum Religionis nomen, cuius palam se vindices ferrent, impiae regnandi cupiditati praetexerent, pervulgata multis via, quam semper potentibus, populi levitas stravisset, sibi ad honores, atque ad extraordinaria imperia aditum aperiendi. Iam in artificum collegia, quae tum permulta in civitate regia habebantur, quasi contagione serpens omni humana ope maior pestis saeviebat, quorum aptiora ingenia in civilibus contentionibus turbando otio, atque agitandis sedionibus habebantur. Eo vero impunitatis ventum erat, ut odio animis exardescentibus, palam in foro, sacris, profanis locis, omni rerum discrimine sublato, consererent manus, caedem facerent, a nullo maleficii ge-

nere temperarent, cum nulla esset magistratus auctoritas, quae populi audaciam coerceret, legum summa contemptio, nullus iudiciorum metus, frustra contra tendente Ioanne Gensone, spectatae virtutis et magni consilii homine, quem Ladislaus arci praeesse cum potestate regii imperii iusserat. Atque ut plane nulla spes reliqua videretur tollendi e civitate indies seditionem ingravescentem, certa utrimque opinio praecepta animis efficiebat, tamquam adversus impios sceleratosque homines, se iustissimas inimicitias persequi, quae eo honestiores credebantur, quo maiore cum pietatis laude, pro Christi religione in parentes, liberos, fratres, violato naturae iure, exercerent impia arma, id illis in concionibus, seditiosis hominibus suadentibus, quibus, ut crederent, imbutis semel prava religione animis, suscepta certa opinio efficiebat, quaecumque docerent, tamquam e coelo demissos homines, e divinarum litterarum ofaculis hausta afferre. Huius discidii origo ex Ioannis Viglephi scriptis, cuius tum erat inter sacrarum litterarum interpretes celebre nomen, seditiosi hominis, ut appareret, et per religionis, et sapientiae ostentationem maiora suis viribus molientis. Ea scripta, ut fit, ex Anglia in Boemiam allata, Ioannes Hussius vir, et eruditionis summae habitus, et quem insignis probitatis, et religionis fama vulgo iisdem quaesita artibus commendabat, populo proposuit legenda, usus Hieronymo Pragensi adiutore consiliorum, qui quae is scripta a se traderet, multitudini in concionibus homo cum primis in dicendo copiosus, et disertus susciperet explicanda. Ita cum ingenti hominum plausu atque admiratione, uti fere semper nova omnia, Hieronymi verba acciperentur: brevi Hussius, attonitis magis

pontificiis periculo rei, quam certum consilium expedientibus, id quod imminens e propinquo exitium requirebat, publice docendo populum, singulos monendo, atque adhortando, magnos processus effecerat in magno motu rerum, principibus conniventibus, sive partium odio, quod propius vero est, ut iam diximus, sive religionis studio, quo nihil impotentius hominum animis, ubi semel insedit, haerere animadvertimus. Fovebat inprimis ortum discidium, eorum temporum ratio, et praesens rerum status: qui, ut etiam religionis respectus vulgo homines ad se digna consilia flecteret, per se convulsus labare videbatur; ut minime difficile esset, quorsum res esset evasura divinare. Nam Venceslaus, cui, ut supra docuimus, ob insignem secordiae, atque inertiae opinionem, principum magno consensu imperium abrogatum est, ita se per ea tempora gerebat, ut neque communis salutis, neque maiestatis regiae memor, facile ostenderet, nihil esse praesidii in regis auctoritate, ad consensum multitudinis tollendum, ubi illum non insignis virtutis et sapientiae opinio tueretur. Accedebat ad intestinum malum, tum foedum in Christiana republica discidium, quod iam diu magna cum populorum querela ab Urbano usque VI. et Clemente VII. tenebat, tribus tum Romanis pontificibus Gregorio XII. Ioanne XXIII. Benedicto XI. pertinacibus studiis impium inter se bellum gerentibus: ut numquam, veterum memoria in maiore discrimine respublica versari visa esset. Nam, ne in eo consisteret tam immanis pestis, Christianorum regum praepostera studia, cupiditasque faciebant: quorum, ut quisque iudicio suo magis, quam certa ratione ferebatur, alii Gregorium, Ioannem alii, alii Benedictum pontificem agnoscentes ve-

nerabantur: quae tanta discidia, nisi praepostera pontificum ambitio per sacrosancti concilii auctoritatem tolleretur, videbantur brevi, magno Christianae reipublicae motu in apertum bellum eruptura. Hinc, cum in optima caussa, sacerdotum contaminata vita, et mores impuri, libero populorum convicio, proscinderentur: tamquam inde origo, et caussa eorum malorum esset, quae ab infenso terris numine impenderent: nihil facilius futurum apparebat, quam, ut ea scita placitaque populi amplecterentur, quae hominibus Hussitae concionatores apta futura suasissent, convellendo exscindendoque Romano pontificatui, quem semper magna religione maiores viri sanctissimi venerati essent. Inde per Sigismundum Caesarem, ex Joannis pontificis auctoritate, concilio Constantiam indicto, repressa quidem in praesentia trium pontificum ambitio, et, per eorum discordiam exorta in Boemia pestis, Hussio et Hieronymo damnatis, atque ultimo supplicio affectis: Quod tamen tantum abest, ut seditionem restingueret, ut adversarii inde ansam criminandi patres nacti, multo vehementius incenderint populorum animos, cum praeter datam fidem, contraque gentium ius, et divinas, atque humanas leges omnes, quarum se severos custodes ferrent, coniectos in carcerem, et damnatos quererentur. Inde iam facta multo magis plausibilis caussa, cum eorum desiderio homines animis aestuarent, quorum auctoritate longius opinione provecta esset, e praesentibus angustiis erumpens victrix, ad gentes finitimas, e Boemiae finibus manavit; id natura ferente, ut quae semel placuerunt, sive specie honesti, sive commodi obiecta, quo maxime homines moventur, multo avidius vetita petantur. In Boemia quidem, Pragae maxime, quae regia urbs, cur

sua sponte est populi frequentia, et exterorum commercio insignis, tum est situ, et loci natura praevalida, mansit diu pertinaciter, manetque ad hunc usque diem eadem de religione sententia insita genti: quae centesimo fere post anno, auctorem Lutherum nacta, acrioris hominem ingenii, universum Christianum orbem est magnis atque insignibus cladibus sensim serpendo progrediens emensa. Tantum quidem Boemorum discidium eo debet admirabilius videri, quo apud illos veterum memoria visae sunt semper Romani pontificis validiores partes; praeter unum Pogibracium, regibus omnibus, quasi per manus, eodem pietatis studio, eas acerrime tuentibus. Ac cum in regia urbe hic rerum status esset: in aliis regni partibus, haud multo res quietiores habebantur, eo acrius incensis ad seditionem animis, quo materia uberior alendae cupiditati obiecta, regios ministros apertiores audacioresque depeculando, dilapidandoque regio aerario efficiebat; nullis hominum querelis, in quorum oculis regni vectigalia foede lacerata distrahebantur, a scelere eos retardantibus; qui eorum, quae fierent, non regem ultorem horrebant, qui longe aberat, non magistratum, non iudicem, quem infinita scelerum licentia sustulerat. Quae omnia minime silentio praetereunda, res Vngarorum scribenti, cum Boemorum Vngarorumque res tum eodem imperio continerentur, deinceps quemadmodum gesta administrataque sint, videtur ordine demonstrandum. Huiusmodi quidem fuerunt, ni fallimur, ut, propter insignes eorum temporum calamitates, quibus acciderunt, digna videantur, quae nemo a scribendi munere aliena existimet, cui, per hanc rationem propositum sit consulere hominum vitae. Boemia cum ubique feraci solo, et

irriguo, opimos, ac fertiles agros habet, totam regionem nobilibus amnibus interfluentibus, tum montibus metallorum feracissimis; a finitimis gentibus dirimitur, Germanis, Austriis, Moravis, magno populorum compendio, quorum per eam rationem, industria alitur, ac regii aerarii proventu. In his Cuthnenses argentariae, non solum argenti bonitate, quae praecipua est, sed copia in primis, atque ubertate nobiles: cum enim in aliis credatur optime agi, ubi e silicis fracturis, media argenti pars efferatur (quaestus hic magnus habetur) in his tanta vis et copia est, ut non e silice argentum, id, quod in aliis usu venit, sed, quod miraculo etiam propius videri debeat, ex argento silicem scindi oporteat, qui transversus in venarum et fibrarum modum vario flexu errabundus in argentum incurrit. His praeerant regii ministri, tanta apud omnes ordines offensione, et invidia, ut vix illis satis ad salutem praesidii in regis auctoritate esset, quo minus a multitudine concitata, loco deturbarentur. Nulla vero erat potestas maior, quae ad vim, et ad arma spectantem multitudinem a scelere deterreret, magna ex parte ex urbana faece opifices, atque institores; qui pridem relictis tabernis, quae strenuis modo, atque industriis, sunt quaestuosae, otium laboriosae vitae praeoptaverant; cuius dulcedine deliniti potentes homines duces nacti, quibus venalem sicam ad hominum caedem, et domestica latrocinia addicerent, infamis inertiae in magna gladiorum impunitate, uberiorem quaestum, curae omnis expertes, faciebant. Rex Cuthnensibus per principum gratiam conciliatus, eius muneris functionem mandaverat; quam quidem iisdem artibus, quibus partam habebant, nulla dissimulatione, in expilando regis aerario versantes administrabant.

Eo vero progressi consuetudine peccandi ferebantur, ut non iam occulte, sed palam, atque in omnium oculis, non iudicum severitatem, non hominum existimationem veriti, quae scirent ad summam rempublicam atque ad regis aerarium pertinere, qui eorum fidei, et sua, et totius regni vectigalia permisisset, impudentissime, quo qua cuique visum esset, asportare auderent. Iam operis infensi, agrestibus hominibus, quorum ministerio, ad fodienda metalla utebantur, quod eos minime omnium fugere domestica furta et flagitia intelligebant, laboris mercedem, atque operis negabant, miserorum iniuria, ne ab ingenio discedere, et esse improbi gratis viderentur, turpem quaestum facientes, qui totus in magnum reipublicae incommodum vertebat. Ita et regi peculatus rei erant, unde optima ad praedam materia ostentabatur; et miserrimis hominibus per summam iniuriam, mercedis interversae: quorum squalore, et sordibus nitentes, nequidquam dei, et hominum fidem implorantium splendebant, pro cul rege agente, in quo tamen, ubi adesset, parum erat perfugii futurum, quo minor eius culpa esset, ferre iniurias privatas suas aequo animo, assueto. Itaque cum diu famem et egestatem passi, omnia alia subsidia, cum spe salutis, haberent deplorata, insigni aerarii iactura opere intermisso, proximum urbi montem, facta seccessione occupant, eo consilio, ut inde collectis animis, in regios ministros impetum facerent, neque prius ponerent arma, quam sibi, quidquid mercedis nomine deberetur, esset ad assem persolutum, nullam vero sibi fortunae iniuriam maiorem acerbioremque credebant imminere, ubi etiam in salutis discrimen venirent, quam eam, qua in praesentia iactabantur. Qua hominum audacia territi regii ministri,

cum quidem furtorum conscii, non iam solum certos, ac firmos flagitii testes, sed inimicos eosdem etiam, atque armatos non immerito horrerent; audacia, et ipsi in fiduciae ostentationem versa, partim Zassaviam, partim Coloniam, quae duae urbes haud ita longe ab argentariis aberant, confugiunt, a magistratu armatam manum hominum, quae par esset Cuthnensium coniurationi opprimendae, postulaturi. Ita, composito inter se consilio, cum convenisset, quid agi maxime, et qua ratione oporteret: a ficto quidem crimine orationem exorsi, sed haud dissimili vero, magistratum docent, seditiosos e rustica plebe homines, qui operar in argentariis locarent, aviditate praedae secessione facta, ac magna hominum coacta manu, ad Cuthnenses argenti fodinas, regios thesauros praedatum, direptumque venisse. Vim se eorum veritos ad eos confugisse, unde sibi sperarint ad reprimendam sceleratorum hominum audaciam, et ad ius regii aerarii tuendum, auctoritatem viresque haud defuturas. Ni propere ire auxilio accelerarent, non leve incommodum, ac detrimentum, et regem simul, cuius res in primis ageretus et Boemiae populos omnes subituros, qui in regis imminuta maiestate, censerent, publicam caussam agi, quae regia potestate, quamdiu esset incolumis, a suorum iniuria, contineretur. Neque eos dubitare debere, quin magnam a rege gratiam essent inituri, ubi is rescisset, suos, quemadmodum eorum virtus, et fides postularet, haud passos esse, regios ministros oppressos scelere nefariorum hominum, nequidquam a se opem auxiliumque implorare. Tanto vero esse gravius Cuthnensium scelus, quanto eorum essent certiores partes, si qui aliunde tantum facinus auderent, pro sua fide, atque in patriam studio, eorum conatibus obviam

ire. His magistratus auditis, cum ut fidem regiis ministris haberent, temporum vis efficeret, quibus leges, et magistratus auctoritas, inter civilia arma, et contentiones silebant; veriti ubi iis ferre auxilium cunctarentur, ne publicae caussae viderentur defuisse: eos bono animo esse, ac de se omnia sperare iubent: quae sua in regem fides, et in patriam pietas postularet, se enixe praestaturos polliciti. Inde, adhibita celeritate, cum multitudine armatorum non contemnenda ad montem, quem Cuthnenses operae insederant, contendunt, atque eum undique, ne qua aditus ad fugam territis pateret, corona cingunt. Mox iis denunciant, ni continuo sui potestatem magistratui faciant ad caussam dicendam, et se ad certam diem iudicio sistant, illos se hostium loco habituros. Nihil poterat gratius accidere obsessis, quam si quibus nihil esset praesidii in vi, atque armis, ubi iis esset utendum, potestas fieret cum regiis aequo iure de communibus controversiis disceptandi, quorum praesertim desperatam caussam, atque omnium pridem iudicio perditam iugulatamque intelligebant. Itaque audita re, pacti se dedentibus fraudi non fore, delectos e suis decem tradunt, qui tum apud Coloniensem, tum apud Zassaviensem magistratum, quoad caussa cognita sit, obsidum loco habeantur: neque interea se dicunt recusare, quin de suis ultimum supplicium sumant, ni tralatitia falsaque esse doceant, quae de se ab adversariis sint delata, atque eorum omnia furta, artes, consilia, in omnium oculis auribusque constituant. Nihil vero sibi facilius futurum, ubi vis absit, et facultas detur cum his summo iure experiundi: effecisse enim provectos infinita licentia peccandi, ut eorum, quae admiserint, non sint testes defuturi, quantumvis foeda, atque immania, videantur

omnem fidem superare. At regii ministri hoc ipsum veriti, cum se criminum invidiam aegre se posse sustinere sperarent, et caussae diffisi, et multorum conscientia convicti: ad regem, maxima usi celeritate proficiscuntur. Mox facta adeundi potestate, domi fictam fabulam, et iam magna ex parte Coloniae et Zassaviae actam, quid acciderit in Cuthnensibus argentariis docent, multa afferentes, quae falsa quidem, sed tamen similia veri, regi possent verissima videri, cui praesertim non ita esset hominum improbitas perspecta, publici muneris commendatione tumentium; quae res illis apud gratiosos in regia homi(nes) auctoritatem conciliabat. Accedebat, quae numquam a regia abfuit, dira atque importuna assentatorum manus, per quos Ladislao raro cognoscere licebat alia solum, sed etiam quae ad summam rempublicam pertinentia, regem permagni interesset omnium principem scire. Inde improborum corroborata audacia, ad caedes, incendia et nefaria alia, atque immania facinora, quibus perditae civitates, regna, evertuntur, eiectis, quorum virtute et consilio tam immanis pestis tolli posset, sumpserat vires. Ne quid vero ad regem manaret, quod acriter vindicatum, improbos a maleficio retardaret, iidem obsessas regis aures habebant; cum minime ignorarent, se eorum, quae nefarie, ac scelerate agerent, ubi de his esset caussa dicenda, non posse invidiam sustinere; id quod accidere esset necesse, ubi querelis bonorum regis aures paterent; favebant aliorum criminum reis in aliorum animadversione, et poena, domesticorum scelerum vindicem timentes. Adiuvabant in primis regiorum caussam e nobilitate gratiosi apud regem homines, quos, ad huiusmodi casus, multis sibi muneribus et largitionibus devinctos,

paratos patronos, si quid accideret, defensoresque habebant. Summa illa orationis: Eos, qui ad Cuthnenses argentarias, operas locarent, cum impetum facientibus in regios thesauros, regii ministri, pro eo, atque aequum esset et eorum fides postularet, arreptis armis obstitissent, facta manu, in vicinos montes secessisse; inde, ubi per regiorum dissimulationem liceret firmioribus comparatis viribus, quas in magna gladiorum licentia sibi haud desperarent affuturas, scelerato incepto finem, quem destinassent animis imposituros, quorum audaciae coercendae, cum se esse impares intelligerent, ad Coloniensem et Zassaviensem magistratum confugisse, unde spes propinqui auxilii adversus improborum vim ostenderetur: eos cognita re, pro sua fide, atque in regem observantia cum delectis militum, in montes profectos, nihil tale exspectantes, subito oppressisse, et cum nihil satis adhuc explicati ad incepta perficienda haberent. Hinc mali metu, atque imperio decem e suis dare obsides magistratui coactos; ut fides esset, ubi de iis, quae acta essent rex doceretur iudicio affuturos, dimisisse: qui nisi statuat insontes, pro regii muneris maiestate, severe vindicandum, quid de se ipsi statuant, quibus nihil praesidii in legum et iudiciorum severitate positum intelligant, in posterum non habere. Vnum quidem sibi subsidium reliquum esse, ut, quando regiis ministris propterea sit vitae periculum adeundum, quod regium aerarium diripi impune a sceleratis hominibus non patiantur, destituti auctoritate publica, quam non muniat regii nominis maiestas, regni vectigalia pridem suae fidei commissa, quibus conditionibus conduxerint, regi renuncient, in solitudines, et deserta loca quaesito receptu, et quo non sit nefariis hominibus, ad

maleficium, et iniuriam accessus: id quod tamen intelligerent non sibi maiori calamitati, atque incommodo, quam regi, cuius maiestas esset in suis violata, dedecori futurum. Orare supplices, atque obtestari, ne rex, per suam cunctationem, sceleratorum hominum audaciam patiatur diuturna impunitate maiores summere vires; quos non fides, non officii religio, non studium pacis, atque otii deterreat a nefariis et perditis consiliis: quibus si liceat tantum facinus ferre impune, non sit animus ad maiora aggredienda defuturus. Dandam operam esse ne regis lenitatem, quae sit populis salutaris, legibus temperata, et iudiciorum severitate, improbi indies, ea licentius abutendo, in reipublicae perniciem convertant, quae in legum arce, civium olim concordia munitissima adversus improborum amentiam, atque audaciam diu manserit invicta. Eiusdem vero regis esse, et lenitatis partes, et severitatis, ubi reipublicae usus requirat, ac temporum ratio, praestare: ea quidem tempora esse, ut indigeant severo legum custode, quarum maiestatem, ubi scelerati homines sibi statuant contemnendam, iam illud futurum reliquum videri, ut populi, relictis patriis sedibus, eo confugiant, ubi plus leges, et iura gentium, quam vis, et sceleratorum arma possint. Privatis quidem illatam iniuriam posse aequiore animo ferri (ad unum enim, aut ad alterum pertinere): regi illatam, in cuius maiestate periclitetur multorum salus, nec posse ferri, nec debere. Enimvero res visa, ut par erat, et regi simul, et iis, qui regi in consilio aderant, cum severa animadversione digna, tum quae plurimum momenti haberet in tam turbulentis temporibus, ad improborum aut reprimendam audaciam, aut fovendam, promovendamque, sive eam rex, pro sua

consuetudine, ferret remissiore animo; sive pro imperii maiestate et praesenti rerum statu, severe, atque acriter vindicaret: ad tempus enim efficta oratio, cum nemo adesset, qui miserorum caussam tueretur, multi qui insontes oppugnarent, quorum gratia accusatores nitebantur, facile potuit regem etiamsi minus suo ingenio acrem, ab insita animo facilitate, atque ignoscendi consuetudine abducere, quo illum natura inclinabat. Igitur pronunciat de consilii sententia, ut quam primum de iis, qui sunt in potestate, non iusso magistratu caussam cognoscere, re in posterum pessimi exempli, non tormentis quaerere, non rogare testes, quod iniquissimum est, indicta caussa, tamquam de convictis maiestatis, supplicium sumant: qui fuga voluntarium sibi exsilium consciverint; iis esse ratum exsilium iubet, poena gravi adiecta, si quando in potestatem veniant, per aliorum supplicium omnium praeiudicata caussa, ut capite plectantur. Ita miseri homines, iniquo iudicio circumventi, innocentes, innoxiique, ingenti regis invidia, et populi offensione, ultimo supplicio afficiuntur, quod, omnium acerbissimum est visum per eos damnati accusatores, quorum scelera nullo supplicii genere satis expiari posse crederentur, insigni quidem futuri documento, nusquam minus tutam innocentiam, quam in regia esse, ubi plus quam aequitas, et ius, paucorum gratia, et potentia possit; id quod accidat oportet, ubi rex non ita obtinet suum ius in suos, ut quidquid de illo detrahatur, sibi privati sumant: qui quidem peccant tanto maiore cum regum invidia, quanto eorum sunt certiores innocentiae tuendae et nequitiae vindicandae partes. Sunt qui suspicentur, regem veteris offensionis memorem, lenitatis et moderationis

suae, cognoscenda innocentium caussa, minus rationem habuisse. Nam regni initio per religionis discidium in partes diversas distractis hominum studiis, Cuthnenses operae, ut iam commemoravimus, quo se receperat rex, impar urbano motui sedando, facta manu, minati erant, se in regiam impetum facturos, ni magistratus sui ordinis hominem missum faceret, qui, quod regi erat conviciatus, comprehensus et in carcerem conditus, ad supplicium asservabatur. Vnus ex iis, de quibus erat supplicium sumendum, superstes, defesso carnifice, ut dicitur, aliis mactandis, cum laxioribus vinculis adstringeretur, fuga elapsus, et regiorum nequitiae, et suorum calamitatis luculentus futurus testis, incolumis evasit. Haec aliaque multa genera malorum, quibus laborabat Boemiae regnum, ut tandem exoratus rex induceret animum in Boemiam proficisci, omni alia cura in praesentia omissa, perfecerunt. Ita, certo die Vngaris dicto, quo die sibi Buda discedenti praesto essent, Boemos, ne imparati opprimerentur, de suo adventu, deque iis, quae agi, et constitui placeret, quorum caussa accerseretur, fieri certiores iubet. Certatum ferunt inter Boemos, et Vngaros ingentibus studiis de splendore, et magnificentia apparatus; his assectando, et deducendo rege, illis excipiendo nihil sibi reliqui ad celebris pompae spectaculum facientibus. Erat vero regius comitatus principum nobilitate et frequentia imprimis spectandus, maxime tum florentibus in Vngaria et publicis, et privatis rebus, ubi vis et conspiratio improborum facesseret, quae iis plurimum officiebat. Ita vero Vngari Ladislaum contemnebant, ut in eo ipso tamen videri vellent, non Ladislaum, sed Vngarorum regem honestare, quo colendo, atque augendo

omni genere honoris, tueri se gentis decus existimabant. Conspiciebantur nobiles homines, patrio more, longis deducentibus clientium, atque amicorum agminibus, insidentes Thraciis equis, et generosae indolis, quos aureae phalerae ornabant, variis lapillis, gemmisque collucentes; ut non Vngari magis cum Boemis de pompae apparatu, quam inter se ipsi de magnificentiae laude certare viderentur. Honesta vero contentio, et in pari nobilitate, index magni animi, pro gentis gloria, adversus nobilissimas nationes suscepta; certe aeque apta in primis tum ad concilianda, tum ad retinenda populorum studia, qui rerum specie magis, quam rebus moventur. Multa vero in eo consequebantur: nam et regi, cuius ipsi gloria splendebant; et patriae, id quod erat cunctis praevertendum, et vero suis privatim erant ornamento; quo non illi ambitiose minus, quam in gentis decus, et gloriam animos intendebant. Incedentis regis latera duo pontifices tegebant, Varadiensis, cuius sapientiae fama celebris, religionisque ferebatur, et Agriensis, magnae idem in regia auctoritatis, et apud omnes ordines gratiosus. Hos alii eiusdem ordinis sequebantur, tum virtutis, atque integritatis opinione, tum gratia et auctoritate insignes: ex his enim pridem in pontificum collegium cooptatis fere sanctius regis consilium constabat, principibus raro in aula frequentibus, quorum nobilitas et splendor officere nitentibus domestica virtute, et religionis commendatione videbatur. Ita illi vero populis apud Vngaros sacrosancti, ut nobilitas in praecipuo honore habeatur. Iter Ladislao in regni fines ingresso, sacrae pompae persimile fuit. Quacumque enim incedebat, ingenti frequentia ex oppidis effusa multitu-

do, cum coniugibus, et liberis, laetis ominibus, atque acclamationibus advenientem excipiebant, tristitiam, squalorem, luctum exedentem animos ex tristi recordatione malorum, quae ad eam diem erant passi, spe certa salutis discutientes. Aliquot iam annos a Boemorum regia abfuerat, ut magis desiderio absentis, in perdito praesertim reipublicae statu afficerentur; quem unum non male credebant, si par virtus dignitati regiae adesset, sua sapientia, et consilio posse domestica vulnera sanare. Accedebat ad hanc hominum spem, amor in eundem susceptus a primis usque regni initiis. Adolescentem e Polonia accitum, florentem aetate, et maiorum gloria quasi in sinum acceperant, ad patria instituta, et mores conformandum: quo tempore, si quid vitii tamquam a stirpe exsisteret, ut minus eo offenderet, adolescentia faciebat, cum lenitas morum, et clemens, ac facile ingenium, quo nihil in rege plausibilius habetur, apud multitudinem eum amabilem redderet. Itaque una, atque eadem omnium vox exaudiebatur, deum immortalem precantium, ut praesens suis propitiusque adesset, regi optimo in primis, quem sperarent, benigno numine Boemiae populos aliquando respiciente, tot, tantaque mala sublaturum, quae domi, foris, a suis aeque, atque ab exteris ad eum diem perferrent. Brevi fore, ut paucorum conspiratio sceleratorum hominum, qui per falsam religionis speciem reipublicae insidiarentur, fortissimi regis constantia convulsa disiectaque dilaberetur. Iustissimum regem miserorum suscepturum caussam, quibus nihil praesidii, aut spei in legum, ac magistratuum auctoritate relictum esset. Ita fore, ut per civium concordiam, et iuris aequabilitatem, licentia peccandi repressa, improbos in officio contineret,

qui e suorum aerumnis, et reipublicae ruinis, in patriae perniciem sibi vires, et robur sumerent. Inde Ladislaus Pragam invectus triumphantis similis, non vere minus ad religionem compositus, quam hominum opinione, et fama ferebatur, ad Venceslai praesidis Pragensium numinis contendit, a religionis commendatione auspicandum primum in urbem ingressum arbitratus. Hinc humi ad aram prostratus, egit deo immortali gratias venerabundus, quod sospiti, atque incolumi ad suos pervenire, tot annos ab iis supplicibus votis expetito, ac maxime eorum necessario tempore licuisset; simul caste, et religiose precatus, ut, quando hoc unum maxime semper in optatis habuisset, ut dies sui adventus, laetus Boemis salutarisque illuceret, iis, voti compos, republica constituta, et pace reddita populis, relinqueret discedens perenne desiderium, et gratiam perpetuamque memoriam sui. Mox sacris regia pompa, et stata caeremonia peractis, magna populi frequentia, universis ordinibus prosequentibus, in arcem conscendit, omni genere honoris, et magnificentiae a principibus exceptus: cum nulla in re, quae studii in regem et pietatis significationem haberet, Vngaris concederent, et quidem quos aemulari facilius quam consequi, superare nullo modo posse crederentur. Mox perpaucis diebus ad quietem datis, ad publicas res ordinandas, cuius unius rei caussa venerat, cogitationes omnes convertit. E quibus cum corrigenda multa, tollenda alia, moderanda fere omnia essent, quae aut regis indulgentia, aut licentia regiorum corrupisset, facto a rebus divinis initio, quibus improbi homines impiam cupiditatem tegebant, religionis statum civilibus dissensionibus nutantem novis legibus sancire, firmareque constituit, cum morbum per

se gravem, diuturnitas temporis, et populi pertinax studium opinione omnium validiorem reddidisset. Nam legum auctoritas, cum regis maiestate iam pridem apud maiorem multitudinis partem exoleverat, quae Hussitarum factioni addicta, atque aliorum qui a pontificis romani praescriptione atque imperio defecerant, contemnebat eorum auctoritatem, quorum de religione iudicium semel erat aspernata, in qua una positam credebant notam iusti, ac legitimi imperii, neque illi quidem male. Nullum vero certius argumentum prave homines de rebus divinis sentire, quam ubi ea decreta, et scita probent, quae detrahant de legum auctoritate; quas ita magistratus temperat, et moderatur, ut divinae mentis idem interpres, deum rectorem humanarum rerum referat in legibus vigentem: ut nihil aliud sit, non agnoscere legitime imperantem, quam, sublato numine e terris, cum religionibus omnibus vitam hominum eversam, atque extinctam velle. Male quidem cum hominibus agatur, ubi multitudo in magna rerum licentia sibi permissa, non iudicis metu, sed religione, a male agendo deterretur, quam raro non contemnit, ubi datur cum compendio facultas peccandi. Quae vero pars pontificiis adversabatur, cum vehementius insultantibus in sacerdotum ordinem, Boemi principes vires subministrarent; multa adversus eorum commoda moliebantur hinc elati odio, quod dies alebat, numquam deficiente materia seditiosos homines in adversarios furendi, hinc haud dubia spe, ubi per hanc rationem disiiciendos pontificios curassent, in eorum sacerdotia invadendi, quae opima et peropulenta possideri ab inertibus atque impuris hominibus, seditiosis vocibus querebantur, errore imperitorum, per obiectam religio-

nis speciem, divinarum atque humanarum legum contemptores, impudentissime, ad privatum quaestum abutentes. Ita rex motus pontificiorum querelis sacrosanctas aedes, et religiosa loca alia, quae ferro atque igni miserandum in modum erant deformata de integro instaurare; et redigere in pristinum statum splendoremque constituit, cum illi quidem contenderent hoc esse unius regis munus, cuius sancta populis maiestas, et summum esset in homines imperium, templa et sacra loca, sarcta tecta adversus hominum, et temporum iniuriam praestare: quorum religionem nisi castam inviolatamque homines haberent, haud facile ulla, aut magistratuum, aut legum vi in officio continerentur, raro domestica disciplina, et liberali educatione, cum ad ceteram vitae, et morum elegantiam, tum ad virtutis, et honestatis decus homines perpoliente, nisi esset cum religione coniuncta. Spectabantur vero in templorum et sacrarum aedium vestigiis, quae fere eversae, ac solo aequatae tristem quandam, et miserabilem urbis faciem prae se ferebant, alterius factionis. quae superior viribus erat, barbarae immanitatis, et saevitiae; alterius verae pietatis insignia documenta, si quis ex vultu, atque oris habitu, querentium interiorem sensum, atque habitum animorum aestimaret: quae enim a primis annis vitae praecepta a parentibus una cum nutricum lacte imbibissent, ita alte haerebant animis, ut vix ab illis avelli sine ingenti doloris sensu possent, ita affecti, ut satius ducerent, vitae munere per voluntariam mortem defungi, quam per violata eius religionis sacra, quibus alti educatique essent, vita frui. Iam sacerdotes, et ministri sacrorum induti obsoleta veste, oculis, atque animis in ruinis templorum defixis, plorare commune fatum

conspiciebantur, et quidem in eorum querela, et luctu adversariis magno cum eorum contemptu et ludibrio, scenam eorum malorum, quorum auctores fuissent spectantibus quae res miserorum calamitatem in immensum augebat. Vna vero reliqua ratio leniendi eorum desiderium, quae amisissent; susceptum dolorem animis, ex iactura carissimarum rerum, fletu, et comploratione testari: quod quidem magna cum adversariorum invidia accidebat. Eodem modo eiectae sacris locis nobiles virgines, quibus se a prima aetate devovissent (cum lectae a suis divinis rebus procurandis, et virginitatis honore, et gentium iure sacrosanctae haberentur) infestas propinquorum domos, dies, noctesque querendo plorandoque reddebant, praedae adversariis relictis opulentis sacerdotiis, quorum fructibus expositae procul a virorum conspectu, pro populo castis votis precibusque operantes, ali consuevissent. Bella ad internecionem gerentibus sancta esse adversus hostes religionum iura: ut cum odii magnitudinem victores, ferro victos caedendo, urendo agros, exscindendo urbes exhausissent; parcerent tamen sacris aedibus, religiosisque locis, iis in primis, quibus ad dei immortalis numen placandum sacrae virgines rei divinae operam darent, quas non religio solum, sed sexus imbecillitas etiam, adversus hostiles iniurias, communi omnium gentium iure, consensuque tueretur; et recte illi quidem; ne, si minus his conservandis rationem haberent suae humanitatis, viderentur adversus gentium ius, et Christi religionem sanctissimam, quam venerari homines caste, et religiose decet, impium bellum gessisse. Enimvero tetrum, immane, dirum et nusquam in terris aut visum, aut auditum nefas, quod impune Boemi, violato gentium iure, quo maxime ho-

minum vita staret, in eos exercerent, quibus patria caritas, ut persoluerentur omnia pietatis officia postularet. A civibus suis, multis affinitatis, et coniunctionis vinculis secum coniunctis, usque eo illos, et sui et suorum immemores esse, sacras deo virgines, non posse ullis precibus, non ulla iniecta religione, extorquere, ut a dei immortalis delubris, et sacris altaribus impias manus abstinerent, quod ab externo hoste, cruento interfectorum sanguine, victi bello impetrarent. Atque eorum permultos, quos in se adeo immanes experirentur, quo eorum magis videretur inexpiabile scelus, aut in filias parentes, aut in sorores fratres saevire; cum unum esset tamen, quod ab illis poscerent, ut, nullo cum caussae detrimento, quam armis tuerentur, paterentur se, quo loco sacrosancta maioribus caeremonia, deo immortali volentes se, prudentesque addixissent, animam efflare. Non se mortem, non servitutem, non cruciatus, non quae essent extrema homini in vivendo, deprecari: unum hoc poscere, ut vitam nullo suo merito suis gravem, quando nullum aliud in terris miseris effugium pateret, deo immortali reddi inviolatam liceret, cui illam consecrassent. Quid vero non se passas esse? Quod iniuriae genus, quod contumeliae, quas indignitates, quos animi, mentis cruciatus, quae mala, quas pestes non pertulisse? cetera se omittere, atque adeo quamvis foeda, indigna, et non ferenda aliis, unum se pro sua pietate erga suos non posse ferre, quod patria habeat, cum privata multorum calamitate coniunctum; per impiorum hominum scelus, Boemorum genti perpetuam iniustam notam barbarae immanitatis: ut in suos cives, quasi in sua viscera saevientes, prae se, ultimos scythas, mansuetos mitesque ostendant, qui

omnium hominum crudelissimi habeantur. Quo sicariis, latronibus, parricidis pateat tutus ad salutem receptus, a sacris adytis, et sanctissimis Christi penetralibus, per vim avulsas se, et iactatas per summam iniuriam, non luctu, non squalore obsitas, suis inhiantibus innocentium sanguini immanem sitim explere potuisse, quorum fortunas et copias, impia cupiditate incensi exhausissent. Atque hae quidem pontificiorum querelae, quae per se graves multo graviores regi videbantur, qui ultra vota poscentium opem, atque auxilium caussam tuebatur, non obscure iis infensus, quorum adversam de religione sententiam, ita a parentibus a primis annis educatus, maxime improbabat. Inde se convertit ad res forenses constituendas, quae, omni sublato discrimine rerum, cum neque ullus magistratus esset, qui ius diceret, nulla iudicia, pro lege libido, atque immanis rerum omnium licentia haberetur, tamquam per longum annorum spatium iustitium tenuisset, afflictae, et prostratae iacebant. Ac quoniam inter utriusque factionis homines novae quotidie controversiae de privatis rebus exoriebantur, his res repetentibus antiquo possessionis iure, quorum praescripta dies legibus exisset, illis tuentibus usucapionis ius, ac veteris usurpationis, de iis ita statuit, ut quae quisque possideret, certo legibus praefinito tempore iis quidquid minus possidere aequo iure, atque ex legum praescriptione dicerentur, fraudi ne esset; cum ita edixisset, sine multorum iniuria fieri haud posse, uti ea bona ullo civilis iuris titulo repeterentur, aut donationis, aut testamenti, aut dotis, aut alieni aeris dissoluendi, venditionisve, quae aut addita privatis, aut multae, proscriptionis, tributi nomine emancipata, regi, in alienum ius abiissent. Ali

orum omnium licentiam, quae fere consequi lites, et controversias civiles solent, in primis inter se ingerendi probra, convicia, maledicta, et alia contumeliosa verba, gravi, et severo edicto coercuit, vetitis, quidquid esset, qua de re, caussa religionis dissiderent (neque vero aliunde exstant magis capitalia odia) quidquam, quo cuiusquam existimatio laederetur, inter se probro dare: quod ad eum diem, tamquam maledictis non caussa certarent, magno privatorum, et reipublicae incommodo, immanem in modum promiscue cuivis liberum fuisset. Atque ut pietatis cultus regia magnificentia splendidior, atque augustior ad veteris religionis respectum multitudinem revocaret; pontificiis sacris iam pridem desuetam aedem urbis maiorem magnificis, atque opulentis donis locupletavit, auri et argenti caelati magna vi; e regia suppellectile, multa sacra veste, aulaeis, pictis tapetibus, Damasceno, ac Memphitico opere; peritis musicae artis hominibus undique accitis, qui statis horis, dum sacerdotes operarentur, sacris assistentium aures animosque demulcerent: quibus ipse frequens, ubi per publica negotia liceret, quae tum multa urgebant, voluit interesse. Haec iidem Hussitae concionatores palam in foro, in sacris aedibus, et frequenti populi conventu iactabant: Cum aliae rationes deficerent, adversus Christum gerentes bellum, quarum nullam sibi reliquam fecissent; ad hanc unam, frustra tentatis aliis, descendisse, ut, per infimam multitudinem multis illecebris delinitam, proiectam, ac desperatam caussam, adversus bonorum consensum tuerentur; qui numquam essent suae fidei, et religioni defuturi, quantumvis elati adversarii odio, aut occultis insidiis, aut aperta vi contra adnixi obsisterent, deo facile suam caussam adversus impiorum consilia, et vim

omnem defendente. Sed posse multorum sensum falli, qui mentis et consilii expertes et ipsi se, et eos ignorarent, quibus ducibus utentes ad fictae pietatis, et religionis cultum temere ducerentur: rationis vim in iis vigere, quorum mentes, disiectis errorum tenebris, semel divini numinis splendor illustrasset; ut et agnoscerent, quem pietatis cultum deo immortali deberent, et, quae se digna essent, vitae instituta rationesque sectarentur. Musicos cantus, pompam sacrorum, accensa funalia, strata templa picta veste, atque intertexta auro, incensos odores, reliquum sacrarum aedium apparatum, regii luxus, et magnificentiae ostentationem habere: condi templa deo immortali in mentibus hominum multo his augustiora: in quibus nihil esset quod sensus.....dine deliniret, omnia quae vera religione pectora implerent, qua deum in terris colere homines, et venerari par esset. Nam cetera eos captare, qui ex Epicuri schola non ex Christi disciplina sanctissima sibi in voluptate statuerent finem beatae vitae. Labantem pontificiorum caussam, ut cetera abessent, neminem magis, quam regem iudicare ruituram qui eam praestare suis inviolatam vellet. Non adeo levibus subsidiis fulciendam Christi caussam, ut videri pontificii vellent, qui paupertatem amplectendam animis, innocentiae vindicem, aversandas voluptates, delicias exsecrandas docuisset, per quas raro pietatem ei colere licuisset, qui vere Christianus esse non nomine modo haberi vellet: castis precibus, supplicibus votis, conformandis ad pietatem animis, sanctitate morum, deum coli; non litari sacrorum ferculis, non signis e marmore, aut aere, non tabulis pictis egregii artificis manu, non cantus suavitate, quae imperitorum aures tenerent, non instructis aris regio ornatu, non templis

auro stratis, quae quidem regiae opulentiae argumentum, non iustitiae, pietatis, religionis haberent. Neque vero his tegi, quod unum propositum haberent, sacerdotum flagitia, sed nudari: quorum ratio eadem morum, et religionis haberetur: posse offundi tenebras imperitis, quorum oculi non essent ad ea exploranda, cognoscendaque eruditi: non posse eos alucinari, quorum mentes haud perstringerent adversariorum fallaciae, tectae speciosis nominibus religionis, et pietatis, quibus per aurium, atque oculorum ludibria imbecilles animos circumretitos, inducere in fraudem consuevissent. Tot iam saecula sceleratos homines regnare, non caussa fretos, quam nullam haberent, sed partim ignoratione imperitorum hominum, quibus pro ratione auctoritas, falsa imago rerum, atque umbra pro solido esset; partim sapientium dissimulatione, qui quiescerent; ne si contra obfirmatis animis, minus, quod contenderent assequerentur, aliena culpa redderent bonorum caussam infamem, quae re, non opinione hominum inniteretur. Fallacibus et captiosis nominibus, quando verae, et solidae res essent nullae, rebus inanibus impositis, falsam multitudinem assuefieri probare noxia, salutaria aspernari; ut qui ferculorum, quae salubria essent reiicerent, sensu e gravi morbo depravato, peterent quae perniciosa essent, non rationem, sed palatum consulentes. Cuius multitudinis peccatum, quo levius haberetur, eos efficere, qui monitore carentem, et certo duce, offusis ultro erroris tenebris, in certum exitium ruere sui impotentem paterentur. Hoc enim agere Christianae reipublicae moderatores, ut per totius Christiani orbis ruinam sibi aditum sternentes ad summos honores, malis artibus partum regnum, et multorum errore, et opinione constabilitum, sibi perpetuum efficerent. Quantum vero

hoc scelus videri debere? in foro ubi ius, fasque coleretur, et vigeret magistratus, et legum auctoritas, eos damnari, qui abutentes regum maiestate, per eam homines in errorem impellerent: hos ferre impune, qui falsae, et commentitiae religionis lenocinio, magnam orbis terrarum partem, ut esset in quos impiam tyrannidem exercerent, in exitium traherent. Ac praeclare quidem cum hominibus posse videri agi, si contenti impunitate peccandi, ulterius non progrederentur: quod omnium indignissimum sit, sceleris praemium poscere, cuius quidem magnitudinem si ulla religio esset, quam homines colerent, nullo supplicio expiare possent. Satis longe, ad impium quaestum intentis animis, hominum errore processisse: eorum pridem artes, et fallacias, detectas; exploratum, quibus praestigiis uterentur, ad captandos animos imperitorum: conspici diffluentes deliciis, refertos voluptatibus, saginatos regiis epulis, nitida cute, quae index esset, otio, et desidia animis luxuriantium, atque adeo, ne quid ad summam nequitiam deesset, in magno omnium fastidio, prae se omnes contemnentes; quibus ne hiscere auderent, immanem, atque importunam dominationem tectam auctoritate divina ostentarent, quod dictu exsecrabile esset, religionem conciliatricem, et quasi lenam domesticorum flagitiorum facientes, omnium religionum hostes quas homines colerent. Itaque qui nossent quae impune, et nefarie palam in deum, in homines admitterent, eos, quae oculis atque auribus tenerent, cogi dissimulare, fateri se oculis, auribus captos, carere communi sensu: atque hoc quidem, ne parum opportuni interpellatores de his querendo expostulandoque, beatis hominibus, qui ne minimum quidem de suis deliciis, et voluptatibus peractum vellent, negotium exhiberent. Nulla edicta regum, nullas

veterum sanctiones, nullas leges quamtumvis severe latas, aeque atque imperium religione septum, in terris homines horrere. Sperare improbos, quae impie agerent, efficere astu et calliditate, ut iudicem, ultorem scelerum fugerent, quo minus pro male factis, poenas meritas luerent, ita legum et iudiciorum severitati illudentes. Romanis sacris initiatum hominem unius religionis vinculo populos omnes habere devinctos, qui Christianum orbem colerent, ut ni ultro aperirent, nudarentque omnia, quae agerent, non admotis quaestionibus, non tormentis coacti, crederent se beatae vitae spem omnem habere deploratam: scilicet, quo arcanorum arbitros, dum impune in omnibus flagitiorum sordibus volutarentur, cogerentur illis obnoxii tamquam sacrosanctos hŏmines vereri: quod et privatis saepe, et maximis civitatibus nonnunquam insignia detrimenta atque incommoda importasset. Ac ceteros quidem falli, etiam si hoc ipsum minime esset ferendum, haud ita dolendum videri: illud ferri non posse, summos in terris reges, pontificem romanum saepe vilissimum caput, atque emersum e fece plebis, abiectos ad pedes venerari: quod Christus in terris execratus esset, cuius se vicem gerere (e)lati in terris homines mentirentur, lutulentis pedibus figi oscula patientes. Tam foedo errore hominum fretos, sumere sibi arbitrium terrarum, ius potestatemque largiendi regna, quibus visum esset adimendi, omnia, quae spem quaestus obiicerent agendi, gerendi bella, vastandi provincias, urbes evertendi, populationibus, atque incendiis omnia permiscendi, adeo obduratis hominibus patientia malorum, ut deprecari vim, et iura legesque implorare oppressis iugo servitutis acerbissimo capitale esset: cum quidem homines sacrosancti legum metus expertes, qui

ipsi se aliis esse leges iactarent, foedissimis voluptatibus addicti, stupris, incestis, omni libidinum genere, immanibus facinoribus cooperti, neminem agnoscerent, cuius animadversionem, uno tecti religionis nomine vererentur. Haec quamquam libere tum in foro, tum in populi concionibus a Romani pontificis inimicis iactabantur, constitit regi tamen pietatis in suos fructus uberrimus: ab eo enim tempore cum nihil sibi reliqui adversarii facientes deterrere populum a pontificiorum caussa conarentur, sensim multitudo conversa ad sacrorum cultum, a quibus iam pridem abhorrere erat visa, ad veteris religionis respectum traduci coepit, quam semel reiectam non erat facile futurum, ut agnosceret, nisi per haec blandimenta delinita. Erat vero regi persuasum, praeter susceptum animo religionem, magnum inesse momentum ad homines a fera natura, ad mitiora vitae instituta revocandos, in dei immortalis cultu, et veneratione; id quod initio rerum accidisse verisimile est, atque adeo, ubi minus etiam sacrarum litterarum veritas illuxisset, quarum auctoritas nobis.... Nam cum nullus cultus vitae politioris haberetur, qui detrectantes cogeret metu supplicii, magistratus, et legum imperium subire; sapientes homines statuerunt sibi sanctiorem disciplinam e coelo petendam, qua se deliniri multitudo pateretur; quam quidem desperandum esset magistratus, et legum minus potentem. reddi cultu meliorem posse, quem ab homine agnoscerent, haud se natura praestantiore. Quod pium hominum votum, sibi quos colerent deos pro suo cuiusque sensu fingentium, deus humanarum rerum misertus. provexit ad optatum finem, demissa e coelo suae sapientiae luce, quae cogeret in homine mortali venerari praesentem deum. Ita quibus non contigit, ut

maiore virtute innixi, sibi ipsi esse vitae lex possent, sensim mitescentes, cum non se crederent mortali homini parere, sed deo, durum legum, atque acerbum iugum, et volentes induxerunt animum subire et aequo animo ferre potuerunt. Hinc rex senatum supplevit redactum ad summam infrequentiam, sive incuria, sive id quod verisimilius est, quod nulla iam erat in civitate publica auctoritas, quam improborum conspiratio, vi, atque armis omnia obtinentium, sustulisset; qua ex re fiebat, ut nemo sibi eum honorem existimaret petendum, in quo per violatum ius summi imperii, victrix improbitas atque audacia ageret triumphum de victis legibus. In primis vero cooptandos in eum ordinem curavit viros bonos, et quorum esse integram famam existimationemque constaret, iis motis, qui vitae sordibus, atque insigni nota turpitudinis ordini dedecori essent. Iam quoniam, perturbato gentilitatis atque agnationis iure e Vetere Civitate multi in Novam, e Nova in Veterem alii immigrarant, (his regionibus est urbs regia distincta) edixit ut ex prisco regum instituto singuli quemadmodum a maioribus accepissent, contenti patrio loco, decederent de alieno iure. Inde iudicia, quae non secus, ac si urbs teneretur hostium armis, nulla in foro exercebantur, delectis qui iudicarent, non ex sensu, atque ordine prius, quam ex anteacta vita, et documentis virtutis, et fidei multis, ad pristinam severitatem integritatemque revocavit. Mox conversus ad cognoscendas privatorum caussas, de regiis ministris, qui Cuthnensibus argentariis praeerant, cum, praeter vetera crimina peculatus, quae erant defixa in omnium oculis, recenti iudicii infamia flagrarent, cognita caussa, supplicium sumendum curavit, ingenti totius populi plausu, quibus erat pri-

dem hominum nequitia, audaciaque invisa. Ignari quam fuxa eorum memoria esset, quae scelerum redimendorum praemia constituerentur; quo acerbius malum non exspectantibus videretur; se periculo iudicii defunctos apud regem, per potentium hominum gratiam crediderant. Movisse quidem regem maxime dicitur, quo severius in eos vindicaret, insignis eorum fraus, non solum innocentibus hominibus circumveniendis, quod quidem scelus, nullo non erat supplicii genere maius, sed publica etiam auctoritate abutendo; per quam rex inductus, atque impulsus in fraudem, sumi supplicium de insontibus iussisset. Iam ad latrocinia reprimenda, quibus tum regis, tum principum magna infamia, quacumque Boemia ab exteris adiri poterat, erant itinera infesta, legem latam a superioribus regibus iussit promulgari, qua potestas fiebat privatis, ut in suo quisque fundo, agro, villa deprehensum, cuiuscumque ordinis, ac fortunae esset, qui exercere latrocinia, et insidere publicas vias convincerentur, impune interficerent, hoc adiecto, ut eius rei caussa, liceret manus cogere, conducere homines armatos, omnia denique agere, quibus spes esset, a stirpibus exscissa sceleratorum hominum manu, tamquam pestem, ac labem e regno Boemiae tolli. Magna ad hoc iis praemia proposita, qui aut vivos magistratui sisterent, aut interfectorum capita afferrent; nulla adiecta exceptione, qua sese redimere a iudicum et magistratus severitate liceret; id ne qui sibi in posterum futurum impune sperarent. Ingentem hominum numerum in Boemiam qui latrociniis student, non ingenia magis gentis, quibus nihil mit(ius?), quam situs opportunitas invehit, regionem totam, qua in longitudinem latitudinemque patet, Herciniae silvae saltibus tamquam indagine cin-

gentibus, ut ipsa media, perpetuo in orbem ambitu septa claudatur. Ita passim latebrae multae, et opportuna loca faciendis latrociniis, facilem et tutum praebent receptum facinorosis hominibus, a iudiciorum, et supplicii metu, quo uno deterrentur: quae res, egentium hominum audaciam magna cum pernicie ultro citroque commeantium alit; quae tum eo maior ostentabatur, quo longius rex aberat, sede imperii in Vngariae regia constabilita. Inter haec omnia, insigne Ladislai exstitit pietatis documentum, excitanda iuventute ad capessenda studia liberalium artium, quae ad eum diem, ob perpetuas civium discordias, inerti otio et desidia languebat, doctis hominibus ex Italia peramplis praemiis accitis, qui in Pragensi schola, cum philosophiam, et civilis iuris prudentiam, tum dicendi facultatem, et litteras politiores vulgo docerent, quibus artibus maxime excolitur hominum vita. His omnibus ingenti hominum laetitia administratis, rex in Vngariam rediit, bonis omnibus magno sui desiderio relicto; quorum tamen qui prudentiores erant, ita eius mite ingenium, et in rempublicam studium laudabant, ut auctoritate, atque imperio diffisi, quod severum in primis, atque acre praesentia tempora postulabant, breve populi gaudium divinarent futurum. Non videtur hoc loco praetereundum, quod Boemicarum rerum scriptores tradunt, regi, cum aliquot dies Olomucii substitisset, quae est Moravorum primaria urbs, accidisse: praefuisse enim dicitur caussae cognitioni, quae ut eiusmodi fuisse credatur, eorum gravitas facit, a quibus literis prodita est: credere inter homines potuisse accidere, qui fas iusque colant, ne mediocris quidem ingenii hominis videtur, ubi scribentium auctoritas absit. Equidem cum aliquando Vratislaviae

substitissem, tum visendi caussa nobilissimam urbem, tum propius cognoscendi, quos in ea eruditionis fama illustris, probitatisque commendaret: cognitam testatamque rem testimonio principum civium, haud sum veritus litteris mandare; cum mihi loqui etiam cum nonnullis licuisset, ad quos ea ipsa res pertineret. Ita autem rem gestam ferunt: Vratislaviensem civem, hominem cum aliis rebus omnibus domi copiosum, et ornatum, tum magnae inter suos cives auctoritatis, cum iter in Poloniam haberet, in quodam pago, ubi pernoctare consuevisset, ad cauponem divertisse. Nocte intempesta, cum fessum ex itinere altior somnus oppressisset; cauponem observato tempore clam in conclave ingressum quingentos aureos Vngaricos nummos quiescenti surripuisse. Experrectum hospitem, rem compertam, ad iudicem loci detulisse. Cum quaesiti pecuniae loculi nulli exstarent, caupo furti crimen deprecaretur, iudicis imperio, ut par erat, cauponem in vincula coniectum: cum esset, de more, subiectus tormentis, rem ordine ut gesta erat, fassum. Mox cum diceret, se hospiti furtum reddere paratum: moderatum hominem, qui quidem suum recuperare satis haberet, quique sibi magis suae humanitatis habendam rationem, quam alterius flagitii censeret, dixisse, quo minus caupo, pecunia recuperata, missus fieret, se nihil morari. Hoc enimvero se iudicem facturum negasse, ut qui hospitii ius tanto admisso facinore violasset; etiamsi id totum pro sua facilitate, de suo iure sibi hospes censeret remittendum, impune ferret. Etiamsi illi satisfactum esset, haud tamen satis esse legibus persolutum; quae reipublicae caussa severe sancitae capitale supplicium in furti convictos constituissent. A fure eodem, et hospitii violatore, ne per unius im-

punitatem multi exemplo fierent deteriores, legibus constitutas poenas se, ut par esset, expetiturum. Ita reum, fractis cervicibus, suspendi imperasse, atque adeo, quod apud loci incolas esset in more, ubi carnifex non adesset, qui de damnato supplicium sumeret, ab eo ipso imperasse suspendi cui furtum factum constaret, tristi conditione adiecta, et barbarae immanitatis, ut si is recusaret, tum ille a damnato reo, eodem supplicio, afficeretur, quod ei subeundum esset, qui furtum fecisset. Ad mentionem tam foedae rei aliquantisper hospitem sensuum omnium stupore captum haesisse. Inde cum precibus omnibus frustra tam turpem notam nomini, et familiae inurendam avertere conatus esset: quo minus sibi pecuniam haberent, haud se illis in mora futurum, respondisse: modo incolumi fama, sibi potestas fieret inde abeundi, insignis adeo id se beneficii loco habiturum, et aliquando parem pro eo gratiam, hominem inter suos gratiosum, atque honestum iis relaturum. Id se ab iis eo facilius impetrare debere, quo magis conscius esset, nullo suo merito, innocentem se, et nullius culpae affinem, tantum dedecus subiturum, certe quod perpetuo, et sibi viventi, et posteris, foeda nota generi inusta, haereret, quod multo acerbius esset. Cum frustra omnia expertus, se nihil proficere animadverteret; quod esse mitius malum videretur, statuisse salutem praeferre iudicio imperitorum hominum, apud quos male hoc nomine auditurus esset. Hinc cum aeger animi ad Sigismundum regem profectus de tanta sibi illata iniuria questus esset: litteras impetrasse, quibus pro sua aequitate, omni labe infamiae purgatum in integrum restituebat, indignum plane ea calamitate hominem, quem, metu mortis iniecto, defunctum tristi munere invitum coac-

tumque appareret. Has Sigismundi litteras regis sapientissimi, Ladislai diplomate confirmatas, cum adiecta gravis multa esset, qui illi ioco, serio, factum opprobrarent, usque eo illi usui fuisse, ut deterriti homines paenae metu, a probro vulgo temperarent, maneret tamen apud omnes, tacite aspersa nomini aeternae infamiae nota. Neque plus illi praesidii in suorum civium iudicio, etiamsi apud illos plurimum gratia valebat, de sua integritate fuisse: creatum enim ab iis senatus praefectum, cuius est munus iudiciis publicis praeesse, a nobilitate reiectum, cum negarent, se ei verbo audientes futuros, qui se tanto dedecore suosque contaminasset (summum enim ius imperii, in nobilitatem etiam obtinet senatus Vratislaviensis) rursus ad Ladislaum, quo erat usus semel aequissimo, confugisse. Eum misericordia motum, cum caussae innocentis faveret, quo, saluis legibus, facilior aditus ad ius suis dicendum pateret, in senatum de integro adlegendum curasse, quo, post tantam acceptam calamitatem erat motus, nobilitate maxime adnitente, quae maiorum ius adversus eius postulata obtenderet. Sed ne in eo quidem, morem Ladislao a Vratislaviensibus gestum. Ita virum bonum, et cum primis sui ordinis honestum, cum nullius rei sibi conscius esset, qua re, minus integram existimationem apud suos retineret, quamdiu vixit, foro, templis, publicis urbis locis, non cum suis, non cum exteris congredi ausum abstinuisse. Reverso ex Boemia Ladislao, Anna regina anno altero postquam nuptum in Vngariam venerat, filiam Budae peperit, cui est matris inditum nomen, haud obscura potentium hominum offensione, qui pridem, per illius orbitatem salutarem futuram, ut credi volebant, Vngariae populis, in spem magnam regni libe-

randi, animos sustulissent, cui eadem mala, atque incommoda, quasi ex infelici arbore, e tam inerti rege prole succedente ominabantur: quae spes tamen ne relanguesceret animis, regno impar sexus efficiebat; Vngaris vetere gentis instituto, nisi parentum insignia in rempublicam merita exstarent, feminas a regni administratione arcentibus. Meminerant quidem maiorum memoria Carolo Regi, cui Martello fuit cognomen, nato ex Carolo Neapolitanorum, et Stephani regis filia regni honorem delatum, et ex filio nato Ludovico Regi datum, ut Mariae filiae, quae Sigismundo regi Boemiae nupserat, regnum deferrent; quod idem sorori Hedvigi apud Polonos contigerat; per cuius nuptias, primus Iagellonum Ladislaus regnum erat adeptus; sed, ut satis appareret in Ludovici filia patris merita, quae maxima in Vngarorum gentem exstiterant, valuisse, a qua laude ut vulgo ferebant longe aberat Ladislaus. Quamquam ne hoc ipsum quidem acciderat, sine ingenti armorum civilium motu, Carolo Neapolitanorum rege Parvo cognomento a magna principum parte accito, qui Ludovico in regnum succederet, uno nomine, quod vir in capessendo regno, feminae praeferretur. Eodem fere tempore iterum Turcae frustra Iaicae oppugnatione tentata, ab Vngaris victi, atque insigni accepta clade, discedere e regni finibus coacti. Cuius rei bene gestae fama cum late percrebruisset, Turcae qui, appulsa classe ad maritimas Dalmatiae urbes, totam illam oram Venetis, in quorum fere ditione est, infestam faciebant, incepto destiterunt. Atque haec quidem gesta, manente integro, atque inviolato adhuc foedere cum Baiasete, quod anno CIↃ.IↃ. cum Venetis, et cum Vngaris, in centum annos percusserat, avocatus Asiatico bello, quod adversus Persas susceptum infelicibus

auspiciis, pari cum dedecore, magna totius gentis offensione gessit; quae barbararum gentium omnium superstitiosissima, ex eventis, non ex caussis, et certa ratione rerum, summam imperii administrantibus aut adversatur, aut favet. Inde otium Ladislao per biennii tempus, nulla re domi, forisque gesta litteris prodenda, quoad Anna regina rursus uterum gerens, sollicitudinem principum auxit; verentium, ne subdititio partu haud iustus heres inviso regi quaereretur; quae res creditur parienti exitio fuisse. Ingentis spiritus femina, et in sexu imbecillo praeseferens virilem animum, ubi, mensibus exactis, sensit adesse pariendi tempus; fiduciae simul ostentandae gratia, simul eorum calumnias refutandi, quos infenso animo exspectare partus eventum non ignorabat, e principibus unum aut alterum advocandum curavit, quem si virilis sexus partus ederetur, intelligeret, multo id ceteris iniquiore animo laturum. Ita, eo praesente, et quidem minime invito (qui fuerit non traditur: non desunt quidem, qui fuisse Ioannem Scepusium suspicentur, qui postea cum Ferdinando, ab Vngaris rex creatus de regno armis disceptavit, quam calumniam Ioannis probum, ac moderatum ingenium reiicit, cui praesertim regnum ambienti minime expediebat, tam foedae rei invidia apud suos laborare) Ludovicum peperit, qui post patrem regnavit. Quae reginae importuna, verius quam necessaria ostentatio, aliis, ut fit, super alios doloribus utero exorientibus, illi rerum mortalium ultima fuit, non sine magna eorum invidia, per quos praesentes, minus quam erat aequum, licuit obstetricibus in extremo discrimine laborantem curare: cum virorum conspectum veritae minus soluto animo instituta munera obire auderent. Narrant hoc loco periti homines

Vngaricarum rerum, dignam rem, quae in tam augusta regia animadversa posteritati tradatur: raro inter homines exemplo, natum Ludovicum nudatum cute, novae rei admiratione, et tristis, ac funesti ominis, cunctis qui aderant obstupescentibus. Inde accitos medicos, aegre admotis fomentis, delinimentisque multis, cutem puero longa die obducere potuisse, neque ferenti apertum coelum nudo corpore, quod cutis praesidium nullum muniret, et remedia omnia, ut lenissima etiam essent, cum ad contactum membra trepidantia horrerent, ubi applicarentur, detrectanti. Equidem a nonnullis audivi, post longam disceptationem, in sue media per spinam secta, atque exenterata infantem, quoad bestiae calor inciperet deferuere, medicos impositum habuisse; mox in aliam, quae ad hunc usum caesa praesto esset, et exinde in aliam, eodem ordine immissum; donec manans superne cruor, ut in pustulis fieri animadvertimus, sensim in tenuem pelliculam coalescere, atque inducere cutem incepit. Rem Vngaros exsecratos, quae, haud longe a portento, et miraculo abesset, parum secundis patriae auspiciis natum puerum, aliquando suis exitio regem futurum, minime malos vates ominatos. Eodem anno, quo Ludovicus est natus, Alexandro regi Poloniae mortuo (fuit is dies XIV. kal. septemb.) Sigismundus fratrum regum minimus natu sufficitur; Ladislao qui aetatis praerogativa erat superior in petitione regni futurus, summa aequitate animi, atque insigni in fratrem pietate, de suo iure decedente. Nam, quasi parum in eo prolixus fuisset, misso ad Polonorum senatum Osvaldo Karlacio, magni consilii homine, et rerum usus, enixe illius petitioni suffragatus est. Itaque Ladislai nulla facta mentione, magno senatus. et totius nobilitatis consensu, quorum

studia constans iustitiae, et clementiae fama petenti conciliaverat, Sigismundus Polonorum rex creatur. Haec Ladislai facilitas, cum visa omnium iudicio habere temperati, ac moderati animi laudem, tum magnis illi postea procurandis administrandisque rebus subsidio fuit: ab eo enim tempore Vngaris diffisus, quorum consilio ei erat innitendum, nihil postea non fratris nutu, atque arbitrio gessit, moderatore acri indigeret, et suo non alieno consilio innitente; de bello, de pace, semper eius unius consilio usus: ut vere dici possit, hac concordia animorum, ut postea apparebit, Ladislao adversus principum conspirationem regnum stetisse, qui, iis de caussis, quae iam sunt a nobis commemoratae, omni alia sublata spe reipublicae constituendae, de abroganda illi regia potestate, ac regni procuratione exterorum regum fidei mandanda cogitabant. Inde Ladislaus Stephanum Telegdium praecipuae nobilitatis hominem, legatum Cracoviam misit, qui festum diem celebraret, quo frater rex erat insignia accepturus. Fuit is dies XIII. kal. interkalares CIↃ.IↃ.VII. Polonis in omni posteritatis memoria clarus futurus: ita enim se domi forisque gessit, per tot annos, quibus regnavit, ut inter omnes suae aetatis reges, dignus habitus sit, ad cuius exemplar ceteri reges, et rerum publicarum moderatores conformarentur. Audita Annae reginae mors varie Vngarorum animos, pro cuiusque in regem studio, affecit. E principibus quidem nonnulli, quorum minus erant recti de republica sensus, haud moleste tulerunt e medio sublatam, cum suis inceptis obstantem, tum, quamvis sexu imparem, virili animo tamen, et ingenii fiducia, id quod illi facile per viri imbecillitatem licebat, tuentem regni iura; efficientem certe, ut non sine magna invidia, et bonorum omnium quere-

la, maiestate regia, ad immanem licentiam rerum omnium abuterentur. Regibus exteris quidem, Venetis in primis accidit illius mors permolesta: ita enim adversus Turcam maritimum bellum moliebantur, ut magnam spem bene gerendae rei, per Annae reginae gratiam, quae, haud dubie, ut paullo ante diximus, virum regebat, in Vngarorum armis positam haberent. Id facile credebant futurum, ubi Ladislaus, dum ipsi viribus omnibus mari rem gererent, id quod se facturos spondebant; bello eodem tempore terra illato, barbari vires, cum infesto exercitu in fines ingressus, distineret. Favebat vero maxime Venetorum rebus Anna regina apud virum Ladislaum; cum ex Gallia nuptum in Vngariam iret, magnificentissimo apparatu ab iis in urbem accepta; ut dicere audita sit, in ea se primum civitate, sive populi et principum in se studia effusa, decretos honores, festos dies, ludos spectaret, sibi reginam visam. Interea rex, cum se hominum conspectui, abiecta spe salutis, subduxisset, obfirmatum animum adversus omne solatii genus, a regni procuratione, et sui cura averterat, nullius rei minus memor, non nominis, non salutis, non existimationis, quam se regem esse, tot gentibus populisque imperantem. Neque vero ulla caussa, tam mollis, ac fracti animi poterat subesse, quae non eo indigna haberetur, qui imperaret Vngaris, fortissimae genti, atque omnium malorum potenti, quae in hominum vitam invehat fortuna, aut casus. Vtrumque vero reprehendendum, sive mollitia animi movebatur ex eius iactura, quam amaverat; sive animi conscientia, quod eam amiserat, cuius virtute, et consilio fretus, regio muneri, tanto graviori suis viribus non succumbebat. Vtrum quidem turpius esset in procuratione regni,

et virum eundem, et regem, feminae consilio indigere; a victo mollitia animo non habere praescriptum lugendi modum, quam amabat, vix poterat diiudicari, ut cetera abessent, uno hoc nomine, parum dignus regno, quod id desperaret, sine tam insigni nota infamiae se recte posse administrare: neque enim, etiamsi sua sponte mollis, plus aequo desiderio mortuae angeretur; veriorem luctus caussam in uxoris amissione, quam in dedecore domestico habebat. Neque vero multo minor Vngaris imposita plaga, qui assueti fortissimi regis imperio obtemperare, regem agnoscere cogerentur, cui, propter debilitatem tarditatemque ingenii, femina imperaret. Aegre aliquando passus esse dicitur, cum integrum iam annum in luctu fuisset, se a Boemorum legatis, et aliarum gentium adiri, cum ad eum amicos interiores allegassent, qui eum ad sui, et regni respectum revocare niterentur. Omnibus vero erat una, atque eadem legationis caussa erigendi iacentem, ac pertinaci luctu, et moerore confectum levandi, publicis rebus, quae nullo certo regni moderatore, parum recte poterant administrari, tam segnem moram, atque infamem non ferentibus. Atque ita quidem legatos admisit, ut facile pateretur eos disertos se alloquendo, et consolando haberi: quidquid in eam sententiam apte dicerent ad excitandum eius languentem animum ad regium decus; nullum ipse fovendo luctu, agnosceret modum. Itaque ut aliquando hoc ipsum ab invito extorquerent, ad eum, communi sensu Strigoniensem pontificem summiserunt gravem hominem, et magnae apud illum auctoritatis; qui gnarus tractandi ingenium torpentis intestino malo, a religione exorsus, Collocatum illum, inquit, dei immortalis providentia in regio solio, ut tum virtute, et constantia tam excelso loco

digna, tum moderato, et iusto imperio populos regeret: quod ita praestare posset, si ipse regi se a ratione, et mentis consilio pateretur; quae quidem ita obtineret in homine principatum, ut ubi eam perturbationum humanarum quasi procella obrui pateretur, animantem in hominis forma ab hominis ingenio degenerantem, quod prodigii, ac portenti similis esset, repraesentaret. Quod si in privato turpe esset; quanto habendum in rege turpius, cuius sapientia, ut corpus anima, maximae civitates, regna nobilissima, atque imperia regerentur? Vngaros, Boemos, Silesios, Moravos integrum iam annum duo maxima unius imperio subiecta regna, quasi exsanguia corpora, quae regimen vitae amisissent, caput rectoremque desiderare. Quae offensio per se gravis, ut multo gravior videretur, efficere suorum in se insignia studia, quorum Boemi volentes, et scientes, sibi eum regem adolescentem e Polonorum regia ascivissent; e Boemorum regia, Vngaria, et quidem, nobilissimis competitoribus praeteritis, Maximiliano rege Romanorum, cuius Fridericus pater Christiani imperii summam potestatem obtineret, fratre Alberto, Ioanne Corvino, Matthiae regis patris meritis in rempublicam tantis subnixo. Neque vero suis aliam esse caussam tamdiu tolerandi tantum incommodum, quam animorum constantiam quandam incredibilem eo colendo, ornando, indies maioribus, atque illustrioribus honorum incremenentis augendo. Nam et tunc se ad illum adlegatum omnium nomine, quicumque censerentur tum in Vngariae, tum in Boemiae regno, qui laetum illi nuntium afferret, quod illi felix, faustumque esset, liberis eius, gentibus populisque omnibus, qui illius imperio parerent, ingenti approbatione Ludovicum filium infantem regem appellatum,

qui honos raro umquam in terris regi viventi habitus esset, propediemque adeo fore, ubi finito diro, ferali, et funesto luctu, animum induceret se suis restituere, et capessere rempublicam ut decoratum regiis insignibus filium in ulnis nutricis videret, regia pompa, et populi celebri spectaculo gestantis. Fructum illum maximum eo die anteactae vitae retulisse, cui esset datum, valetudine incolumi, vegetis, atque integris viribus tum corporis, tum animi, (ut spes esset, diuturnam patri hanc voluptatem futuram) videre filium in regia sede collocatum, quem libera principum, et populorum suffragia, ubi veterum more, atque instituto stari oporteret, certum efficerent regni successorem. Ita Ladislaum (quae regum paucorum felicitas esset) visurum antea regem filium, quam ulla aut indole regii animi, aut significatione virtutis, quae digna esset summo in terris honore, regnum promereri potuerit. Argumento esse, quam insignis suorum in se caritas, quam omnium ordinum propensa voluntas esset, apud quos perspecta regis patris iustitia, lenis, ac clemens animus, filio vix in lucem suscepto, pro praerogativa ad regnum haberetur. Indignam rem videri, duo regna obtinentem, imperantem tot populis, nationibus, gentibus, tam diu cessare gravi, ac letali somno sopitum: expergisceretur aliquando, memor, quantum esset onus regnare, regi etiam vigilantissimo, acerrimo, fortissimo; neu suis, qui solliciti de illius salute, hoc unum supplicibus votis flagitarent, diutius quam illius virtus, et constantia requireret, esset in mora. Ad tam laetum nuncium dicitur, et exsiluisse gaudio, et posita obsoleta veste, quam ad eum diem doloris impotens contumaci animo retinuerat, passus esse sibi persuaderi, ut ad vestitum rediret, adeo erecto, atque alacri animo,

ut ne punctum quidem temporis, quo eius voluptatis usura differretur, intercedere, voluerit. Igitur praeter omnium exspectationem, eodem die sese spectandum populo, indutum purpurea veste lautumque ostendit, confluente in regiam frequenti multitudine, (quae, odio nobilitatis regi favebat *Cod. Vienn.*), atque, ut is ipse dies, tum Vngaris tum Boemis; felix diu fortunatusque esset, laetis ac faustis ominibus precante. Magna quidem admiratione digna res videatur, quam multitudinem paulo ante diximus, incedentem per forum regem sibilo solitam excipere, tam effusa in illum studia filio ornando augendoque regio honore ostendisse; sed non illa aeque tamen illis videatur digna admiratione, qui quam sit mobile varium, et mutabile multitudinis ingenium norunt. Nullum fretum, euripus nullus, tam repentinas fluctuum agitationes habet, quam in iis quae agit sibi permista multitudo. Vnius audita vox ei faventis, quem hora ante eversum volebat, levissima aura rumoris irato populo reconciliat: unius vox ei refragantis, quem sustulerat in coelum; nulla mutandi consilii nova caussa ac certa orta, coelo ereptum devoluit ad imum, numquam multitudine aut favere, aut odisse, certo iudicio assueta. Multa quidem, et clarissima tum in Graeca, tum in Romana historia huius rei exempla. Miltiades Athenis populi suffragiis delectus imperator adversus Persarum copias innumerabiles, cum de his in Marathoniis campis clarissima victoria potitus esset; eiusdem populi suffragiis mox damnatus in carcere squalore, illuvie, paedore confectus interiit. Vindex Themistocles Graecorum libertatis, terra marique de barbaris victoria parta nulla umquam oblivione in hominum memoria interitura, et Athenis, et Graecia universa populi iudicio damnatus

exsulavit. Patria eiectus Alcibiades, cum revocatus, maritimo bello imperator creatus praefuisset, post magnas res adversus Lacedaemonios clarissime gestas, eandem exsilii calamitatem subire iterum, et taedio vitae sibi letum consciscere est coactus. In Romana civitate, vigente adhuc prisca illa maiorum disciplina, quo res admirabilior sit, Camillus patria pulsus, quam saepe victor ditionis magnitudine, atque imperii propagaverat, hostium faucibus ereptam in illius possessione haerentium exsul servavit, unus habitus dignus, quo vivente, quae hostium praeda ceciderat, Roma renasceretur. In eadem civitate Africanus, qui Carthaginienses, atque Hannibalem vicit, docuit, quam non firmo subsidio innitatur, qui multitudinis studiis, et populi suffragatione septam dignitatem habeat, atque adeo quamtumvis insignibus meritis in rempublicam partam. Quem summis honoribus, extraordinariis imperiis adolescentem ornaverat, viderat de victis hostibus triumphum agentem omnium post urbem conditam maxime memorabilem, passus est populus Romanus exsulatum ire, et (mag)num calamitatis monumentum exstare, cuius celebrandae gloriae non erat Roma, (re)x omnium gentium futura, satis. Movit inde Vngaros ratio, ut fit, post rem actam, cui locus antea non fuisset, rationis vim, et consilii obruente impetu quodam animorum in regis misericordiam inclinantium. Neque illi vero levitatis opinionem, ex mutatione consilii verebantur: quemadmodum enim credi volebant, se pietatis laudem promeritos, qui salutari consilio revocare regem ab infami luctu conati essent; sic suae constantiae, gravitatisque ducebant, reprimere consilio aeque salutari impetum animorum, quo paucorum temeritate impulsi tantum dedecus admisissent; posteris

quibus in primis prospiciendum suaderent iura omnia, quae homines colerent, rei auctores, cuius, maiorum memoria, exemplum nullum exstaret. Erant autem in eorum numero praecipui quibus aut magistratus, aut publica auctoritas, aut propria virtus animos augebat, quo illis facilius fides a vulgo hominibus haberetur. Hi palam regiorum turpes assentationes, et blanditias exsecrati, non regi eos gratificari, sed suo tempori servire contendebant, venalis linguae homines, et qui haud gratis de re tanta serere sermones in foro, ac frequenti adeo regia auderent. Pessimi exempli rem esse, et minime ferendam, si id quod essent Vngari commenti ad regis luctum levandum, sive misericordia adducti, sive errore humani ingenii, qui tamen ab recto animi studio proficisceretur, non maturo consilio, non, publica auctoritate, indictis de more comitiis, non coacto gentis concilio; tamquam legitimo iure tenerentur; nonnulli spe praemii empti, et suae libertatis, et aliorum immemores homines ab invitis extorquerent. De iure comitiorum regibus creandis ita esse severe omnia a maioribus sancita, ut iis neglectis, neque diutius regnum incolume stare posset, et convelli gentis iura, labefactari principum auctoritatem, communemque libertatem everti necesse esset. Negatum olim regnum Ladislao Postumo Alberti Caesaris filio, eiusdem Vngarorum regis, cuius adultam aetatem exspectare perniciosum reipublicae crederetur, atque eo praeterito, principum magno consensu in patris demortui locum suffectum Ladislaum Iagellonum Polonorum regem, magnae indolis et spei adolescentem, id quod eventus declarasset. Dei immortalis beneficio non versari rempublicam in eo discrimine, ut, regni rationibus id postulantibus, neglecto maiorum iure, et

retere consuetudine, esset ad nova consilia, atque eadem quidem indigna Vngarorum constantia descendendum. Ac tanto quidem flagitio, quo gravius videretur, contumeliam additam. Quasi pecudes, ac stipites essent, excogitatam fallaciam, qua per speciem solandi regem aegrum animi, falsi Vngari, vagientem adhuc infantem in cunis patri viventi collegam adderent, magna quidem regis invidia, sed multo maiore infamia gentis, si iuris maiorum, et libertatis obliti paterentur, quae principum potestas, et populi esset, a maioribus post tot saecula posteris tradita per manus, eam per ludum et iocum sibi ereptam in hereditarium regum ius transire; quo quidem in cernendis regnis, ac magnis imperiis nihil iniustius, aut minus ferendum in terris esset. In iis, quae ad summum ius regni pertinerent maxima, minima quaeque spectari oportere; cum quidem nihil minimum in eo esse posset, quod, ut nihil praeterea accederet, suapte natura maximum esset, id quod fere semper accideret, ubi de multorum populorum et gentium salute ageretur. A contemnendis initiis, ubi prima neglecta dissimulari intelligerent, progredi homines ad extrema, sensim eos fallendo, quorum ea non negligi interesset, ut prius opprimerent imparatos, quam posse opprimere crederentur. Conscendisse Ladislaum hunc primum ad summam licentiam gradum; ut si in eo conniveant principes regni, suae constantiae parum memores, haud dubitandum sit, quin Ludovicus filius sit alterum conscensurus, atque ex testamenti tabulis, non nobilitate, non multitudine consulta, ubi liberos suscipiat, quem ex his malit, regni heredem sit declaraturus. Iam, qui supremus sit futurus gradus, quando nemo facile norit in iis quae cupidius expetit habere modum, praeser-

tim qui in regiae maiestatis fastigio sibi ipse lex, et et praescriptio sit: mox secuturum alium, qui superiorum exemplo, ad audendum animo validiore, non extra regiam solum, sed extra regnum etiam, qui sibi potior, non reipublicae melior habeatur regem Vngaris, ut hortetur libido, atque ambitio imponat. Et principes quidem haec, aliaque eiusmodi multa, iam restincto animorum ardore, vulgo ferebant, ita animati, ut non temere essent in eorum sententiam descensuri, qui suae constantiae memores in incepto perstabant, haud dubie, apud Ladislaum, principem gratiae locum Vngaris praerepturi. In ea sententia Boemi fuerunt, Silesii, Moravi, alii. Sive enim temere egissent, nolebant videri ex mutatione consilii, sibi levitatis, et inconstantiae notam ultro imponere, in re gravi illa quidem, sed quae non esset ab eorum fide aliena, qui de suo iure decedentes, regi optimo, et mitissimo gratificarentur: sive recte egissent, ad id quod actum esset, addendam constantiae laudem, tuendo praeclare incepto arbitrabantur. Atque ita illi quidem adversus Vngarorum sententiam disserebant, ut videri vellent, nullius se insectandi causa verba facere, et quid secuti essent docerent, qua re statuerent sibi in susceptа sententia perseverandum. Nihil putidius videri, quam hominem poenitere consilii, cui natura, ne quando hoc accideret, esset unus rationis largita: longe vero putidissimum, cum eum, quem poeniteret, nullus usus, pudor certus ex consilii mutatione consequeretur: ita enim cogi fateri se errasse in agendo; quod in homine, cuius sunt propriae ac certae prudentiae partes, ita ferendum non est, ut illi spes omnis veniae praecidatur: nam aberrare a via, cum sit qui eunti viam praeeat, esse hominis ultro, et consulto

peccare volentis; quo amentiae qui perveniat, non eum esse in hominum numero habendum, quibus ne errent, in omnibus quae agant, etiam si minus sint ab ingenio parati, minime sit in aliorum prudentia, et fide subsidium defuturum. Cum vero hominem semper constantiam decere (scitum enim vetus illud, Turpe dicere non putaram) tum maxime in fungendo officio; in benigne faciendo, habendo honore summis regibus, qui dei immortalis vim, maiestatemque in terris referrent. Adeo vero hominis proprium esse, in benigne faciendo tueri constantiam, ut eum, male etiam collocati beneficii poenitere turpe esset: in ceteris enim esse flagitiosum peccare: in iis, quae cum dubia haberentur, omissa possent carere laude; ubi facta essent, reprehensione iusta carerent; veluti cum improbus sublevaretur, qui speciem viri boni prae se ferret; in eam partem peccandum, si hoc modo esset peccare, quae tutior crederetur. Nihil certe homini honestius, quam ubi dubia officii ratio perplexum animum haberet, in beneficio faciendo alacrem se et prolixum praebere; quo nihil magis proprium hominis esset. Se vero, quidquid Vngari se sequi dicerent, iis quae acta essent rescindendis, quorum consilium deus prohiberet, ut perstringere sua oratione auderent, et in sententia perstaturos, et in puero ornando regiis insignibus praestaturos eosdem principes partes, si modo Vngari sibi in hac pietatis laude Boemos praevertere paterentur: honestissimum enim sibi fore, ubi percrebrescat, a Boemis regnum Ludovico infanti delatum, ut Ladislao olim patri adolescenti ascito e Polonorum regia detuliscent, futurum tamquam praerogativam, ad Vngariae regnum capessendum: quod suae fidei et constantiae pignus nunc in eundem, magno illius merito regem

optimum et sanctissimum, ac documentum pietatis clarissimum ad posteritatem dedissent. Haec Boemorum constantia perfecit, ut Vngari, ne vinci in contentione officii viderentur, dicerent se, quo minus Ludovicus infans ex sua, et Boemorum sententia, regio diademate decoraretur, haud se in mora futuros. Non se quidem regis odio a Boemis dissensisse, in quo colendo omni pietatis officio, et cum Boemis, et cum aliis omnibus essent certaturi; sed studio retinendi illibatam libertatem, et maiorum iura, quae non permitterent, ut e cunis vagientes pueri ad regnum veluti hereditarium advocarentur. Quod vero consilium temerarium magis, quam vix nato infanti tradere regni sceptrum, cuius non sapientiae, non iustitiae, non magni animi, quae praecipuae virtutes in rege requiruntur, factum periculum esset, ut fieri aliquando cum spe..... liceret, exculto in spem regni, vitae cursus in multos annos esset optandus. Quae quamquam ita essent maluisse tamen se de suo iure decedere, et quidem iusta cum posterorum querela, quam videri parum faciles regi suo gratificando fuisse; quem ut aequum esset, secundum deum immortalem, divinis omnibus, atque humanis honoribus semper venerati essent. Verebantur vero ne ubi pergerent a Boemis dissentire, atque haec subita animorum mutatio ad regem manaret, ad ceteras eius offensiones, quarum plane esse immemor haud poterat, hac una adiecta, alienarent a suis rationibus illius animum, cuius commodis semper aliquanto impotentius, quam regis maiestas postularet, et suorum fides, adversati essent. Neque deerant, qui crederent, saucio iam moerore animo, ex desiderio amissae reginae, veluti per redivivum morbum, luctu, nova contumelia aucto, tantae malorum moli ferendae imparem

sublatum iri. Ita Ludovicus, vix expleto altero anno, rex Albae per Thomam Cardinalem Strigoniensem pontificem vetusto gentis more, sacro diademate redimito capite coronatur. Quae dum ad hunc modum in Vngaria administrantur; fit certior rex suorum litteris, audaces, ac facinorosos homines, cum quaerentibus rerum novandarum caussam, regis profectio opportunam obtulisset, spe conturbandi rempublicam novos excitasse in Boemia tumultus. Erant vero litterae tum acriter, et vehementer scriptae, tum copiose, et luculentis verbis, ut appareret, ab perpessis ultima omnia ad commovendum regis animum profectas. Summa haec litterarum: Pacem atque ordinum concordiam, quam paullo ante praeclaris institutis inter cives rex firmasset, victa bonorum caussa, turbatam; numquam deficiente materia seditionis (cum quidem ad tempus sopitae potius, quam exstinctae civiles dissensiones viderentur) inter animos efferatos odio, quod longa die inexorabile adversus omnem remedii vim occaluisset. Desperatos homines, cum, dilapidatis patriis bonis, omnia deficerent, honestas, nomen, existimatio, quae quibus deessent, redderent vitam invisam, unam spem salutis reliquam in armorum licentia positam habere, quae, ubi vigeret magistratus auctoritas, non dubitarent quin sibi e manibus extorquerentur. Sua sponte etiam, propter multa atque insignia maleficia, quibus sese contaminassent, magistratus, legum, ac iudiciorum severitatem odisse; satis gnaros, salva auctoritate publica, se diu saluos (manere?) non posse. Quorum ferociae nisi rex obviam iret, verendum esset, ne, corroborata tempore, ad perdendum reipublicae statum, quo eorum consilia spectarent, sumeret vires. Id credi accidere ob nimiam regis lenitatem, qua minime

ex eorum temporum ratione, usus esset improborum hominum malefactis vindicandis, parum eandem semper futuram usui, ubi non recti studio, quo raro vulgo homines ducerentur, sed iudiciorum, ac legum metu a male agendo prohiberentur. Nam probitatem bonis pro lege esse, (aeque enim illos fore in officio, ut nulla etiam iudicia legesque essent, quae iuberent aut vetarent, et praemia pro cuiusque meritis, ac paenas constituerent) aliam improborum rationem esse. Nequidquam a sapientibus hominibus tot leges severe latas, nisi rex, magistratus legum custos, iudex, idem scelerum vindex adesset, poenae, et supplicii, ex legum praescriptione severus exactor. Legem, quae vindice careret, contemni suo modo robore vigentem. Quod ubi accideret, necesse esset contemptam reipublicae pesti, atque exitio esse; cum ea deficiente bonorum consensu, nequid superesset, quod improbi vererentur: ut satius esset legem non scribi, non magistratum, non regem creari, non iudicia constitui, quo, minore cum culpa homines, flagitiosi, ac scelerati essent. Hoc vero eos agere, qui in iudicando essent remissiores, ut quibus ignoscerent, ii quidquid sibi remissum de poena, et supplicio esset, non in eo secum benigne actum, sed victas leges, audaciae atque improbitati cessisse existimarent; quo nihil accidere in civitatibus perniciosius posset. Id cum alibi in Boemia tum maxime in regia civitate, usu venisse et magna quidem cum reipublicae calamitate. Quod minus rex, pro potestate regii imperii, proque hominum scelere, et audacia, improbos ferro, igni, armis, ultus esset, id quod illi facile licuisset; creditum a sceleratis hominibus non voluntate eum, propensa ad lenitatem clementia, facilitate, sed desperatione virium fecisse. Quae tota ratio eo specta-

ret. ut augeret malorum audaciam, non frangeret: qui cum non haberent, quod metuerent a regia potestate, haud uno nomine viderentur detestandi et quod ipsi scelerati essent, et quod alios efficerent sceleris aemulatione. et spe impunitatis ad male agendum deteriores. Vt vero praevalida corpora, quae suis viribus morbi vim alerent quo afficerentur, leviora remedia non admitterent (ita enim refricari dolorem; morbum non tolli) sic opulentum regnum, cum suo robore intestina bella, et populorum dissensiones aleret, ad tollenda domestica mala non indigere clementi, ac leni, sed accerrimo, rege, et qui per multorum caedem, et nocentium hominum supplicia, qua parte respublica laboraret, si fieri posset, nuncre etiam, quod gereret maior, malefactis hominum terribilis occurreret; ut medicus secando, atque urendo corpora affecta, sic laesam reipublicae partem, caede, ac sanguine sceleratorum hominum sanaturus. In regia civitate, quam rex nequidquam paullo ante pacatam reliquisset, sopito ad tempus magis, quam sublato malo, eo ventum esse impunitatis, ut omnia improbis vi, atque armis obtinentibus, in silvas, et deserta loca viris bonis esset confugiendum, relicta urbe, quae olim Boemorum regia, atque imperii domicilium fuisset: tum sedes, et receptus, feris omnibus immanioribus, et nocentioribus hominibus pateret. Silere leges, iudicia contemni, tolli auctoritatem publicam. regni iura labefactari, maioribus receptas religiones, a rege sanctissimo instauratas, veteres ritus sacrorum, dei immortalis cultum augustissimum, divina, atque humana omnia agi, feri, misceri, turbari. Atque haec quidem tanta mala, cum ab alia sceleratorum manu, tum ab eorum maxime invehi, qui nominis delationem ob multa admissa dedecora et scelera, ubi

publica auctoritas leges et iudicia tueretur, in civitate vererentur. In ceteris discordes, in hoc uno minime dissidere, quae una certa esset improbitatis nota, ut paribus studiis adnixi, per sublata iudicia, atque eversas leges, in bonorum exitium incumberent, quorum fortunis spes esset occurri domesticis incommodis posse. Horum vero consensum, et conspirationem nefarios homines contemnere, non audacia solum, sed numero etiam superiores, prona multitudine, ubi auctor, quem sequeretur, non deesset, ad omne genus scelerum, quo quaestuosum otium, ab neglecta artis industria quaereretur, cum eius maior pars labore diurno, atque urbanis opificiis alerentur. Defendi quidem magistratuum auctoritatem ab integris, et studiosis meliorum partium, sed maioribus tamen animis, quam copiis: cum in iudiciorum severitate, non in vi, atque armis publicam salutem haberent constitutam. Eadem ratione regis instituta ab aliis convelli, quorum licentiae nulla esset, quae obsisteret, aut regis, qui procul abesset, aut magistratus, quem praesentem contemnerent, auctoritas: defendi ab aliis, quorum interesset, regi in suos integram, atque illibatam constare, qui tamen non adeo multi essent; ut cum per adeo contraria studia pax coire inter cives non posset, urgente intestino malo, brevi esset necesse, omnes in diversas partes distractos, praecipites ad exitium impelli. Ita cum res in iudicium deducerentur, atque de his iudices a rege delecti, pro sua fide statuerent, quorum integritatem, atque innocentiam anteacta vita commendaret; neque stari placere rebus iudicatis, quae nullae essent, ubi plus arma quam leges, ac iura possent, et quod obtinere iure non sperarent, vi extor-
, et per iniuriam conari. Hinc, quod necesse

esset evenire, ubi leges, et iudicia suum robur non obtinerent, egestate impellente, quae raro a nequitia, et improbitate abesset, aeque eadem vitae et morum immanis pestis, improbos eodem revolui, ac, victo bonorum consensu, ad rapinas, caedes, latrocinia converti, cum nulla essent frena, quibus tam profligata hominum audacia coerceretur. Neque intra hos fines sceleratorum hominum amentiam constitisse: elatos de plebe homines, quos et multae aliae inustae ignominiae notae, et alienum aes ad rerum novarum studium impelleret, cum nihil sibi reliqui fecissent, quod deperderent, iam pridem cum fortunis, honestate consumpta; arma adversus exsules sumpsisse, summae homines nobilitatis, atque inde Cubitum oppidum munitissimum, quo se illi vim veriti recepissent, omnibus viribus oppugnatum isse. Sed propugnatorum virtute, cum illis adderet animos imminens salutis discrimen, et studium tuendi nobilitatis decus, inconditae multitudinis impetum repressum. Inde cum diu omnia expertis irrita cessissent; coeptam oppugnationem parum secundis auspiciis, re infecta omittere, ac male multatos retro. unde discessissent, redire coactos. Exceptos tamen ab his in insidiis duos fratres Schaumbergenses, nobiles homines, atque in Bavariam abductos, unde se grandi pecunia redimere essent coacti. Ad ea omnia per eadem tempora novum malorum cumulum accessisse. Exortum Georgium quendam Copitlanseium insignis hominem audaciae, ac notum latronum ducem: qui, magna perditorum hominum comparata manu, caedibus, populationibus. exustionibus agrorum, arcium atque oppidorum eversionibus, omnia domi foris Pragensibus infesta efficeret, nemine sceleratis inceptis obsistere audente. Nam eo successu, atque audacia provectum, ut ad

moenia urbis usque praedabundus accedere auderet quod non regi contumeliosum minus. quo vivente latro sceleratissimus haec in suos auderet. quam populis miserum acerbumque esset. Saeva. ac truculenta hominum ingenia. haud posse odium explere inimicorum morte, quam ulciscendis privatis iniuriis ultimum malorum omnium, ii habeant constitutum. qui inimicitias exercerent humano more: membrorum mutilationibus in innocentes saevire, usque eo. ut per omnes cruciatus viribus exhaustis, tortores patientia malorum iis fatigarentur qui torquerentur. Efferatis odio animis celerem mortem, quae tolleret miseris supplicii moram. iis quos odissent negare; concedere paucis beneficii loco unicum perfugium in malis, iis quibus vita esset exitii caussa. Atque haec ita foris impune agi, ut nemo iam e regia urbe auderet pedem efferre, non secus, ac si hostili exercitu esset circumsessa, vix hominibus se moenibus inclusos tutos ab iniuria. et maleficio existimantibus Eodem tempore, quasi continenti incendio ex religionis discidio excitato, ardere in civitate odia hominum, quo latius in dies serpentem flammam nulla spes restinguendi esset, materiam seditiosis vocibus multitudini concionatoribus subministrantibus. quae civitatis otium perturbaret, et reipublicae statum diu nutantem labantemque convelleret. Ali tantas discordias callido artificio hominum, qui urbanae plebi se gratificari crederent, ea suggerentes, quae cum excogitata essent, non sine certa labe male conscii animi, ab impuris hominibus multitudini tecta religionis velo obiicerentur, quo minus appareret, quae intus lateret nequitiae labes. Horum vocibus imperitos homines auscultare suadentium, quae suavia essent, quo ea arctius arrepta tenerent obstrictis religione animis; qua abutentes, nullo dei immor-

talis, nullo divinarum, atque humanarum legum metu, in omnium facinorum et flagitiorum licentia volutarentur. Vnum esse telum acerrimum, quo armati improbi in bonorum caussam auderent impetum facere, munitam religione impunitatem peccandi; ut cum vitam omni maleficiorum, et libidinum genere contaminassent, neque in foro iudicem verentes, quem aspernarentur; neque sacrosanctam potestatem in homine agnoscentes, a quo dei immortalis interprete, scelerum expiationem peterent; a nullo maleficii genere abstinerent, in quo aut spes commodi, aut voluptatis illecebra existeret. Satis per se esse alacres improbos ad quodvis admittendum scelus, frustra legibus, incensis cupiditate animis, frena iniicientibus: quod cum esset persuasum, non solum nullo cum legum metu, sed cum pietatis laude etiam, iis liceret improbis esse: duci enim laudi velatam nequitiam religionis larva, exercentibus nullo discrimine, in omnes promiscuam libidinem. Neque diu futurum, quin sacrosancta virginum collegia, si quo spectarent eorum consilia aditus pateret, (prohiberet a suis deus tam dirum et funestum omen) suae libidini prostituerent. Persuasisse sceleratos concionatores multitudini imperitae, nullum deo offerri posse sacrificium gratius, quam deletam religionem sanctissimam e multorum animis maiorum conculcata sacra, profanata templa,excissa, solo aequata: quorum admittendorum scelerum si quis veram caussam quaereret, unum audiret religionis nomen, et pietatis studium iactari: si quis propius rem spectaret; per obiectum religionis, et pietatis nomen, exerceri palam teterrimum latrocinium animadverteret. Difficile esse multitudinem, ut cetera abessent, legibus frenare: quid futurum, ubi illi esset pro lege cupiditas, libido,

furor; in scelere, et latrocinio religionis et pietatis quaereretur laus? Ita vero distractos animos in factiones diversas, neque eum ipsum Ladislaum, neque superiores reges alios, frustra omnibus viribus adnixos conciliare potuisse. Novas sectas, nova factionum exorta nomina: Hussitas alios vocari; Calixtinos alios; alios Picardos; amissis veris nominibus, quibus in eadem patria iisdem essent sacris initiati: quorum omnium essent varia quidem sed aeque foeda, et prodigiosa de religione commenta: ut qui in tanta civitate vere vocari cives possent, et meliores partes tuerentur, vix unum, aut alterum liceret inveniri. Magnum ex his metum omnibus iniectum, ne ita domi, forisque respublica concussa, in extremum discrimen adduceretur, vacua Boemorum regia praeside, et custode communis salutis, qui unus, si adesset, sua auctoritate ruentem rempublicam sustineret. Quae omnia quamquam, ut essent, per se gravia haberentur, unum tamen malorum omnium gravissimum verendum, et quidem non sine acerbo gemitu, et fletu bonorum, ne Christi religione violata sceleratorum audacia, sacris aedibus incensis, quas rex magnificentissimis muneribus auxisset, sacris, profanis, humanis, divinis, confusis, aversum dei iratum numen a tam foeda, et tetra facie rerum, populorum vota, et supplices preces, deprecantium praesentia mala, atque his maiora in dies imminentia aspernaretur. Nam civiles alias dissensiones, quacumque illas de caussa susceptas facilius, aut sopiri, aut tolli posse: ea arma numquam nisi cum vita poni, quae falsi vulgo homines prava opinione de divinarum rerum, et dei immortalis cultu sumerent, cuius sacrosancto nomine saepe viri principes, et magni reges, molientes gentium, et populorum

exscidium improbam cupiditatem tegerent, id quod nuper in eadem Boemia usu venisset. Nullum vero acrius militum genus gerenda re, quam quos pietatis studium concitaret ad arma: sive recte illi, sive perperam subdolis concionatorum adhortationibus imbutis animis, de religione sentirent: doctos enim erigere in coelum animos, unde vitae praemium peterent, quod summum bonorum omnium desponsum bene rem gerentibus esset; ubi per honestam mortem esset vita defungendum, pro Christi caussa in acie pugnare praesentibus animis, irruere in ferrum, in vulnera, mortem contemnere audere, beatam sibi vitam, et sempiternam felicitatem spondentes. Dimicare vulgo alios pro eorum victoria, quibus venalem sanguinem, et vitam haberent addictam; pro his saepe, quos non amarent, quos odissent nonnumquam, incitatos una praemii spe, quod sibi vitae pretium statuerent: qua ex re accideret, ut iis levi casu spes debilitata, fiduciam minueret; vires vera virtus non adderet, ne tum quidem, cum spes praemii augeret, firmas, ac validas satis, cum verum virium robur totum ab uno recti studio proficisceretur. Horrere, memoria repetentes, quae a patribus accepissent. Sigismundi Caesaris tempore accidisse, civilia bella ob hanc unam caussam ad internecionem gesta, defectiones populorum, eversiones urbium, exercituum strages, populationes, vastitatem, incendia, quibus paene esset regnum Boemiae eversum: hunc enim finem propositum habere, huius amentiae duces, ut verbo crediti sacrosanctae religionis propugnatores, cuius nomini multitudo plauderet, re archipiratae, et praedonum duces crudelissimi, cum nullae iustae caussae videri possent capessentibus iniusta arma, per vim aliena regna invaderent, privatos fortunis evertere

e republica facerent privatam, diriperent sacra, patriae exitium, et suorum. tamquam hoc esset maximum documentum pietatis, horrendo scelere molirentur. Quorum malorum recordatione, quae nondum animis exolevissent, simul praesentium sensu, atque impendentium metu perculsos Boemos, supplices orare, ut tandem tot cladibus perculsis, tot vexatis aerumnis, quibus ferendis nullae sufficerent hominum vires, sua rex, et suorum caussa, aliquando damnatis mitioribus consiliis, quae non frangerent feroces animos, sed in amentia et scelere confirmarent, improborum hominum audaciam primo quoque tempore statueret vi sibi, atque armis comprimendam. Habere se, et multa, et gravia alia praeterea, de quibus quererentur: cum praeter unum regem, ad quem confugerent adeo afflictis, et perditis suis rebus, quod miserrimum esset, neminem haberent: cuius desiderio si diutius tenerentur, tum vero nihil sibi esse caussae arbitrari. cur non esse se omnium mortalium infelicissimos, et calamitosissimos censerent. Tela, quae in corpore haererent ita laedere ceteras partes, ut sensus mali omnis pertineret ad caput, cuius rex instar, excelso loco positus, populos, gentesque multas uno, atque eodem imperio contineret. Prospicere suorum adversis rebus non ita multos posse; quae maioribus viribus, studio acriore essent, quam quae secundae forent administrandae; plures, etiam si possent nolle; qui ita posset, ut deberet, unum modo regem esse, ubi tum sui, tum suorum, et videri, et vere adeo esse memor vellet. Non illum quidem negligere aliena, sed prodere sua, ubi clausas aures haberet suorum querelis. Regi aeque, ac Boemis, regnum flagrare domestico incendio, regi dissidere ordines; regi rempublicam distrahi, dilacerari, everti.

Quod si eo loco essent res Vngariae, ut rex inde avelli, sine magno regni incommodo haud posset, quod proximum esset, mittere legatos in Boemiam ne gravaretur, atque eos quidem cum summa potestate iuris dicundi, quaerendi de sontibus, in convictos, pro scelerum magnitudine, animadvertendi, tum de sacris pariter, ac profanis rebus, ex sua fide, et sapientia constituendi, prudentes homines, et priscae severitatis, in quibus cum gravitas, et fides, tum ad coercendam improborum hominum audaciam, coniuncta vis animi, et constantia par haberetur. Eum quidem statum rerum esse, ut nisi mature exorto incendio occurreretur, vix sperandum esset, advenienti in regnum nisi armato, et iusto exercitu instructo, aditum patere, cuius metu teterrimi latrones se reciperent in silvarum latebras extra Boemiae fines. His litteris, ut Boemorum afflictae res postulabant, et graviter et vehementer scriptis, Ladislaus maxime quemadmodum aequum erat, commotus dicitur, sed nullo cum Boemorum usu, et compendio; qui in magna rerum perturbatione, regia virtute, et magnitudine animi, non regis inani simulacro ad tollenda domestica mala indigebant. Ita vero tangebant imbecillum animum suorum querelae, ut volentem eorum accisis rebus opem ferre, averteret praesens Vngaricarum rerum status, quarum molem vix fortissimus rex, et Matthiae, quam Ladislai similis, ut cetera abessent, sustineret. Accedebat haud plane inanis suspicio de nonnullorum in se minus secundis studiis, quibus quidem male affectis sua sponte, et cupidis novandi res, materiam, se absente, ad ea efficienda, quae agitarent animis praeberi nolebat, satis gnarus, volentibus, minime defuturam, turbandi occasionem, cum ad animi studium domesticae opes

accederent, semper in privatis, merito regibus suspectae. Augebat suspicionem, eorum haud dubia conspiratio (iam enim ad regem manaverat) qui, cum proxime actum esset de puero Ludovico regni honore honestando, deliberatam rem in dubium revocare, populis aliis contra tendentibus, conati erant. Ergo cum plane crederet, in magno rerum motu, parum tutum (fore hoc) tempore ex Vngaria discedere; de suorum sententia, Ioannem, Varadinensium pontificem, cuius, ut alibi diximus, magnis in rebus erat spectata fides, quique iam inde a Matthiae regis tempore, amplissimis legationibus ad exteros reges functus, egregiam reipublicae operam navaverat, legatum in Boemiam decernit, addito collega Stanislao Olomucensi Episcopo, cuius virtuti plurimum rex tribuebat: simul Boemos in diem certam, ordinum conventum indicere, atque habere omnia parata iubet, ne sint legatis advenientibus in mora, qui statim iter capessere, atque properare in Boemiam essent iussi. Quae cum ita essent administrata: omnium opinione celerius; legati Pragam advenientes, ne quid integri Boemis relinquerent ad nova capienda consilia; frequentem principum conventum, praeter suam spem, offenderunt, haud ignari multos esse, qui conscii maximorum scelerum, non crederentur legatorum cognitioni severissimorum hominum caput obiecturi. Ita advocato concilio, Ioannes accurata oratione expositis regiis mandatis, docet: Quanto cum animi moerore rex audierit, quae post illius discessum, praeter suam exspectationem, acta essent. Neque vero magnopere constare, maiorne esset misericordia eius in viros bonos, per longam malorum seriem, a quibus minime aequum esset iactatos; an iracundia, atque indignatio in crudeles, et sce-

leratos: qui superbe spretis regis imperiis, eorum malorum auctores haberentur, quae non ferenda illata ab hostibus barbaris, nullo suo merito viri boni, et patriae amantes, per summam iniuriam a suis pertulissent: cum miseris nihil praesidii in regis maiestate positum esset, cuius nimia clementia, audaciam nefariorum hominum crescentem diuturna impunitate, in reipublicae perniciem aluisset. Ac si eius tolerantiae causa quaeratur, qua pacis studiosi homines, ad tantam improborum licentiam obduruerint, nullam certiorem posse inveniri, quam singularem eorum in regem fidem: cuius illis potior cura quam salutis fuerit; cuius vindicandae vi, atque armis a sceleratorum impetu, qui illam evertere, insigni cum reipublicae clade conati sint, non fuerit facultas volentibus defutura. Neque vero improbos solum in eo fecisse scelerate, quod ausi perturbare civitatis otium, in suos saevissent, sed etiam, quod ausi laedere regis absentis maiestatem, quae quo maiore in honore apud nationes exteras semper habita esset, eo magis suis inviolata, atque illibata esse deberet; cum satis intelligerent, in ea una, multorum populorum salutem contineri; qui non facile inducerent animum obtemperare unius imperio, nisi iis esset persuasum, eum, cui obtemperarent, esse praestantiorem. Non hostes barbaros, non Turcas, non Scythas, sed his multo immaniores Boemos, regis optimi novis institutis et legibus rempublicam constabilitam, obduratis animis adversus omnem humanitatis sensum, per conculcatam dei immortalis religionem, pessumdatas leges, sublata iudicia, erepta civibus iura libertatis, labefactare audacissime, sceleratissimeque ausos. Quorum effrenatam audaciam, eo acrius regem sibi censuisse vindicandam, quo magis

eorum scelere cogeretur vim ingenio afferre, quo nihil sibi in vita gravius posset accidere. Sua sponte enim ad clementiam et misericordiam proclivem intelligere, oblito pristini instituti in eos gravi, ac severa animadversione vindicandam, quos flecti atque emolliri sua dissimulatione, et indulgentia maluisset. Quod unum semper sibi in optatis maximum, quando per nonnullorum furorem, atque amentiam minus obtinere licuisset; ingenti quidem cum animi moerore, sed necessario tamen consilio, intelligere sibi ab invitis, vi, ferro, igni extorquendum: una enim modo ratione videri recte rempublicam posse procurari, ut quemadmodum in corpore vitiosae partes ferro abscinderentur, ne ceteris contagione obessent; per ultimum supplicium, atque eas poenas quae essent legibus in sceleratos constitutae, a reliquorum civium coetu, a quibus dissiderent capitalibus odiis, fracta animorum pertinacia, avellerentur. Perditissimam vero eorum rationem esse, qui cum sua sponte esse probi, atque insigni adeo cum laude queant, probitatem inviti sectari cum dedecore, nullam certe laudem maiorem promeriti, magistratus et legum metu cogantur. Non enim in recte agendo, sed in recte agendi caussa, inesse virtutis commendationem, quae tum vera sit virtus, cum quidem non honesti specie, sed germana sua forma nitens, aliud etiam agens, suum nitorem, et decus tueatur. Quando sua spe rex falsus nimium cum iis molliter agendo, paratiores in dies fieri ad ea audenda animadvertat, quae sint maxime evertendae omnium libertati, aspernari regia imperia, iugum legum excutere, palam caedes facere, publica iuxta, et privata, sacra, et profana loca diripere, violare, suae libidini, et cupiditati cuncta aequata habere; aliam sibi statuere rationem consilii ineun-

dam, et quae propria eorum temporum sit; ut lenitatis suae nimiae culpam, ne ea posthac improborum amentia corroborata in patriae exitium vertat; severo iudicio in sontes, et magnitudine suppliciorum animadvertendo, regii muneris simul, et suae constantiae memor. Neque vero quemquam ignorare debere, quanto gravior, atque acerbior iniuria sit, quae ab iis inferatur, qui amicorum persona fallant, quam quae a palam inimicis, qui, quo animo sint, prae se ferant. Vtrumque autem horum regi accidisse, minime tanta contumelia digno: per illius enim contemptam maiestatem, violatum summi imperii ius a palam improbis, quibus infestissimis utatur; atque ab iis, in quibus, captus fucata specie probitatis, documenta suae liberalitatis illustria constituerit; qui quidem optime de se merito hanc gratiam referant, ut, quod unum illi in vita sit molestissimum, beneficentiae eum suae et facilitatis poenitere sit necesse. Declarare illos hunc suum animum cum aliis multis nefarie agendis, tum vexandis, atque exagitandis bonis, quibus uno hoc nomine sint infesti, quod constanti fide, et eximia pietate in regem patriamque sint. Audisse quae illi consilia adversus bonorum consensum inierint; quas coitiones fecerint, abditis, et remotis locis; quae in patriam simul, et in suos cives privatim, quod non sint passi se in eorum sententiam traduci, sint moliti: exstare litteras, et quidem penes quosdam quos sciret secum in consilium attulisse, iis de rebus, quae in sceleratorum coetu sint adversus rempublicam administratae; quas sibi litteras consignari denunciatione ultimi supplicii iubeat: nihil enim regi exploratius esse, quam quae ipsi esse existimarent quam occultissima. Simul his dictis, minitabundus, cum dicentis mens vultus oculi arderent, proferri lit-

teras ac sibi tradi extemplo iubet. Mox scire, inquit se a quibus, apud quem scriptae, quo tempore, quorum signis obsignatae sint; ut nisi verbo sint audientes, atque, omni praecisa mora, iis exsequendis, quae rex imperarit animum intendant, haud ipse sit passurus a rege impositas sibi iustitiae, et severitatis partes, teterrimorum hominum maleficiis vindicandis, pro sua fide et constantia desiderari. Tanto haec maiore cum attentione audita, quanto minus a Ladislao rege exspectata; quem in publicis rebus oscitantem aut minus cognoscere, quae gererentur, aut dissimulare eadem, etiam si perspecta haberet, diffisum ingenio coniectura probabili credebant: quo impunius, et solutioribus animis, quae collibuisset, in patriam admittere auderent. Sed multo admiratio maior incessit a legati dicentis persona. Ioannes enim, cum satietas illum honorum, et publicorum munerum coepisset, quae magna cum fidei, et sapientiae laude apud suos et apud reges exteros obiisset, Franciscanorum sodalitio se addixerat, ambitiosae vitae, et curarum pertaesus, quibus per omne vitae suae tempus erat gravissimis perfunctus. Quo illi tamen vitae genere, tuto receptu, ut credebat, a publicis curis, haud diu per regem licuit frui; saepe enim interpellatus, quamquam reluctaretur, excusata procuratione sacrorum, quibus se addixisset, interesse publicis consultationibus de pace, de bello, a quibus se subduxerat, cogebatur. Quae quamquam ita essent; nulla aut commodi, aut honoris illecebra emollitus, quae fidem faceret, animum praesentis taedio, priori fortunae redditum; constanti animo in suscepto consilio, sacram vestem, eius ordinis insigne, in quem erat adlectus, retinuerat in regiae splendore, una modo opinione sanctitatis, et sapientiae insignis, quo altior

animi virtus despicientia rerum humanarum conspiceretur. Plura de Varadinensi si quis est, qui aveat scire, a Bonfinio petat licebit. qui de eo multa tradit, quae scripta quidem forte delectent, quibus legendo fessis, quasi sunt diverticula quaerenda, quibus a labore relaxent animos; robustiores non desiderant, qui legendis iis, quibus prudentia comparatur, interpellatorem non quaerunt, ut maxime iucunda narratione demulceat aures. Ergo veriti Boemi in humili persona praesentiam animi, et maiestatem regii imperii, ne si inficiando, tergiversandove tradere litteras cunctarentur, caussae per se malae accessionem viderentur pertinacia quaesisse, litteras, ut erant obsignatae multorum signis, quae nemini non erant nota, producunt, legatisque tradunt. Mox Varadinensis, non lectis litteris, non revulsis signis, non inscriptionibus inspectis, omnibus sibi ex animi conscientia, cuncta duriora, atque acerbiora sua exspectatione ominantibus: hoc, inquit, Boemi, a vobis postulat rex, cuius vobis nutus debet esse pro imperio, atque adeo (si hoc eius modo patitur maiestas) vos orat, atque obtestatur, ut ob id ne sinatis vos altius efferri animis in dies magis de patria, et de vestris civibus male merendo, quod non sit hodie passurus, suam clementiam vestro scelere vinci, et condonandis vobis insignibus maleficiis, quorum culpa vobis erat ultimo supplicio luenda, quasi pervicaci benignitate pugnare cum vestra contumacia constituat; certe non ita est rex vester de vobis meritus, ut quae debeant esse apud vos lenitatis suae et clementiae monumenta, qua vos in praesentia est complexus, patiamini ingrati animi, et nefandi sceleris monumenta esse: quod quidem est futurum, si, pro remisso vobis ultimo supplicio, contumaces in male agendo, adeo

praeposteram gratiam, regi optime de vobis merito referatis, semel vestro ingenio improbi, quod vobis satis esse ad summam nequitiam debuit, mox facti regis facilitate dcteriores, qua non erat vobis adeo pertinaciter abutendum. Rogat vos, inquam, rex atque obtestatur, quem severum atque acrem tot in vobis maleficiis vindicandis, nemo non statuat efferendum in coelum summis laudibus, aliquando tot malis, quibus patriam, immanem in modum, scientes volentesque perdidistis, aliquis a vobis statuatur modus, conversis ad pacem, et concordiam animis, quos in pravas cupiditates, et nefaria studia, partium odium distraxit. Hoc nisi a vobis regem patiamini impetrare in vos omni vestra spe mitiorem experti; tum non est vobis recusandum, quin feris bestiis, quorum truculenta ingenia non lenit, sed auget dies, quam hominibus videamini similiores, quorum est divina indoles et dei quam simillima natura. Cum vero hoc regi optatissimum continget, qui aegerrime fert, se a pristina sua clementia avocari, tum erit maxime idem vestris rationibus consentaneum. Nam hoc vobis plane verendum est, ne quando a vobis consuetudine peccandi, exhausta nimia eius facilitate, et indulgentia in tot vobis sceleribus conniventis, durius vestra opinione in obsistentes suae benignitati animadvertat. Quod illi necessarium consilium, quamdiu, quemadmodum instituistis, vos gerere pergitis, ut minus sibi necessarium in dies putet, dare vos operam oportet, illius clementem in vos animum agnoscendo, parendo alacriter illius imperio, ab iniuria, et maleficio in eos abstinendo, quibus esse subsidio in agenda vita vos divina, atque humana iura suadent. Ac ne quis vestrum minus alacriter sibi regi obtemperandum statuat, non reipublicae prius, quam vobis privatim sa-

lutaria poscenti: hoc vobis spondeo, omine tanto vestra exspectatione laetiore, per oblivionem veterum iniuriarum, pacem, et concordiam complectentibus animis. quae vos a respicienda republica avertunt, fore, ut privatae res vestrae, quae non possunt esse a republica sciunctae, eo statu futurae sint, quo ne in beatissima quidem et moderatissima civitate esse meliores possint. Simul cum haec dixisset, concerptas dilaceratasque litteras, ne colligi frusta, et legi ab astantibus liceret, disiicit in partes diversas, cum haec adiecisset, orare se deum immortalem pacis, otii, concordiae auctorem, ut quemadmodum disiici a se domesticorum scelerum monumenta, per regis mitissimi adeo lenem animadversionem . . . mi vidissent, sedulo operam darent ut simultatibus, atque inimicitiis omnibus animo oblitteratis, cum suis civibus, quos eadem patria, coelum idem, et terra eadem aleret, in gratiam redirent. Non defuerunt qui cum haec gererentur, conversis subito a iudicii metu ad hilaritatem animis, Enimvero, dicerent.....Boemos, quando minime recusare possent, quin esset sua contumacia, constantia legati victa; quo honestius victi viderentur, detracta illi tam humili sordida veste, minime indice tam excelsi animi, qui sub ea lateret, praetextam illum, etpalmatam induere debere, quae victoris, ac triumphantis esset; magis certe illius virtute (et) constantia dignam, quam obsoletam Franciscani tunicam, et agrestis hominis verius, quam sacerdotis cucullum. Neque vero squalidum, atque horridum cultum, personam, quam gerat decere, qui et pontifex, et regis legatus, a prima sua adolescentia magnis in rebus gerendis versatus, apud suos pariter, atque apud exteros aeque magnam adeptus gloriam esset. Inde Ioannes luculenta oratione, et

ad tempus accomodata, omnes hortatur ad colendam pacem, finiendaque odia, quae nihil caussae esset, cur haereditaria relinquerent posteris, quos quidem aequius esset. aemulari maiorum virtutem, iustitiam, et fortitudinem, ferendis aequo animo inimicorum iniuriis, quam ferociam, atque audaciam simultatibus, atque inimicitiis pertinaci odio, atque inexorabili persequendis; quas cum ipsi mortales suscepissent, haud dignum viris fortibus videretur. eas nullis vitae spaciis circumscriptas, definitasque habere; quasi vita etiam defunctis statuerent sibi per aeterna odia inimicitias immortales exercendas. Nam Christum, in quo uno ad conformandum vitam ad pietatem esset homini propositum charissimum exemplar, terris excedentem, nihil quod vere suum esset, hoc est plane divinum, aeternum et seiunctum a concretione mortalium rerum, praeter pacem, et concordiam suis reliquisse; in quorum numero ut censerentur, Boemis dandam operam esse. Hanc unam haberi, qua veluti compage nexa omnia quae orta essent, coalescerent, vigerent, suam vim, et robur tuerentur: hanc, qua soluta, corruerent ad interitum omnia, et perdita everterentur. Vnum vere resipiscentibus agendum, ut si vere esse homines se, si redemptos eodem Christi sanguine, habere unam, atque eandem cum iis communem patriam intelligerent, a quorum essent salute aversi; tandem, collectis animis, statuerent aliquem odiis, atque inimicitiis modum, seque aliquando restituerent suis; quos cum ad civilem societatem, in easdem vitae leges, atque instituta, quibus ipsi devincti essent, natura consociasset, quomodo se ab iis dissociari posse crederent, sine gravissima naturae iniuria, ac dei immortalis omnium parentis; cuius sanctissimum numen castis precibus, et puris

animis ab omni flagitio, et labe mortalitatis deberet coli? Quod vero tetrius, atque execrabilius monstrum, quam animantium omnium hominem nobilissimum, in feram, atque immanem bestiam degenerantem, qui, unum praestantissimum naturae opus, dei immortalis viva imago potens omnium, quae coelum, terra, mare gignit, mundi totius rector in terris, moderatorque haberetur. Quod prodigium, et portentum in terris maius, quam natum ob eam caussam, ut hominum societatem tueretur, atque adeo non solum adeundis aliis vitae incommodis, sed si usus postularet, morte etiam oppetenda, omnia agere, quae dissoluendae, atque evertendae hominum societati essent? Confundi, ac perturbari omnia naturae iura homines credituros, si in eodem corpore animam, cum aliis, alia dissociata membra pugnare viderent. Quid vero aliud futurum, ubi pedibus manus, manibus pedes, alia membra aliis negarent sui usum, quam ut omnia, deplorata spe salutis, simul in certam perniciem ruerent? Quod si in eam rabiem agerentur, ut pedem manus sauciare, frangere humeros, crura, effodere oculos, truncare aures, digladiari inter se omnia conspicerentur, quem non creditum alucinari se, spectra videre, furere, insanire? Neque vero Boemos existimare debere, ubi ita pergerent esse infesti suis civibus, prius se in alios, quam in ipsos se, crudeles fore. Qui sensus esset in laesa corporis parte, eum ad universas pertinere: quarum si qua esset, quae in communi offensione dolore careret, tamquam stupore affecta sensum amisisset, haud dubitandum, quin a reliquo corpore videretur abscindenda. Quod quidem in primis in hominum coetu observari aequum esset, ut qui alterius incommodo non moveretur, is indignus hominum societate,

a qua se ostenderet habere alienum animum, arceretur. Iam si hoc in eo esset verum, qui non afficeretur sensu alterius incommodi; quanto in eo verius, qui ipse efficeret uni inferendo iniuriam, ut sensus doloris ad omnes perveniret? Quam illa porro arcta vincula coniunctionis habenda? eandem religionem, eadem sacra, initia eadem, quibus inter se devincti, eodem Christi beneficio, a principe, et parente rerum omnium deo, in filiorum iura adoptati essent? possene animum inducere, ut et sui et suorum memores, eos haberent hostium loco, quibuscum unum, atque eundem patrem agnoscerent deum? Patriae illos, cui prius, quam sibi essent nati, ita vitam, fortunas, omnia referre accepta, ut minime deberent funestis armis dimicantes, in eius sinu constituere suorum crudelissimam lanienam; a qua in lucem suscepti primum coeli spiritum hausissent; seu caderent, seu vincerent, in magna orbitate, et luctu per amissam sui partem futura. In civilibus enim contentionibus mediam quasi matrem indulgentissimam, non posse sine ingenti moerore, armis decertantes suos spectare: sive hi enim, sive illi superiores essent civilibus armis, numquam non patriam vinci, quasi ancipiti ferro a suis confossam, et iugulatam; cum eodem tempore, quo victores exsultarent in suorum civium caede; per suorum interitum, luctum acerbissimum hauriret. Quid vero eas ipsas laetas res sibi invidentium experirentur? certe tantum hoc malum, ut vita, quam inducti pravo errore sibi beatam fingerent, contempti, invisi suis, miserrima infelicissimaque fruerentur. Neque vero esse magnopere mirandum, improbos deceptos sua spe, in agendo falli: adhibere enim illos in consilium odium, iracundiam, cupiditatem, mentis errorem, perturbatum scelere animum, cum

pessimos consiliarios semper, tum iis ipsis teterrimos, atque importunissimos hostes, quibus, falsis rerum nominibus, blandirentur. Per hos enim ali voluptatem immanem ulciscendi eos, quorum exitium, minime merentium peterent, saepe sua certa pernicie, et ruina: ut verius animorum tortores crudelissimi viderentur appellandi, quibus homines impotentes sui, se ultro excruciandos, mactandosque dederent. Odium, unde in homine exsisteret animi duritia, atque immanitas, quae esset propria ferarum, multo prius iis capitale esse, qui odio haberent, quam qui odio haberentur: eorum enim vitam, quos improbi odissent, aut aperta vi, aut insidiis peti, quam ut minus inimici adimerent, naturae decreto inexorabili, aliquando exigenti oporteret reddi: eorum semper animos laedi, qui pravo errore a recta via deflectentes, odio indulgerent; quorum cum natura immortalis esset, immortalia vulnera, et propterea insanabilia esse oporteret. Esse certos animi morbos, qui ita perderent, ut aliqua cum voluptate perderent, amorem, libidinem, Venerem, luxum, vinolentiam, somnum, intemperantiam, alia; quae quamdiu optata quaererentur, spe adipiscendi oblectarent, ubi liceret potiri, immoderate sumpta ita nocerent, ut boni tamen specie laederent, et quamquam non diuturna, ingenti eos tamen voluptate perfunderent, cum iis semel esset persuasum, in his positum beatae vitae finem. Odium, tetrum, atque insanabilem morbum, cuius sedandi per vulnera, per caedes, per sanguinem, sicas, venena, incendia, vix spes ulla esset; plane tollendi esset spes nulla, alte animo insidentis, cuius vis in homine esset infinita. Sequi odii impotentem, mentis inopem, perpetuos cruciatus e scelerum conscientia, quae semper angerent per se fla-

grantem cupiditate ulciscendi; tum tristes comites, quacumque incederet, graves curas perpetuo aculeo aegros pervellentes animos, quas non suorum complexus minueret, non allocutio amicorum, non sermo, non optatis ultro laeta occurrens fortuna, non secundae res, non convivia, non epulae, non solida voluptas ulla; saevientibus teterrimis vitae pestibus superbia, atque elatione animi, quae odium alerent iniuriarum recordatione, unde necesse esset, effervescere iracundiam, atque animi aestum, quibus rationis vis pulsa loco obrueretur. Contra, consulenti patriae, et amanti suorum, adhuc in vita propositum praemium maximum: nihil enim aut commodi ab eo, aut ornamenti suis civibus posse evenire, quin quasi diffusum in corpus universum, in eum ipsum redundaret. Nam cum esset eius pars, non posse prius de republica bene mereri, quam ipse una cum multis fructu recte a se factorum frueretur. Id si ita esse sibi persuaderi paterentur, brevi intellecturos, non se aliis prius, ea agentes quae se essent digna, quam sibi ipsos prospexisse. Neque autem se illos modo hortari ad pacem regis legatum, qui, ut nemo umquam superiorum regum, paci, et concordiae studeret, sed Christi etiam legatum, pacis auctorem, cuius imperio cum coelum, terra, maria, omnia parerent, ut peroranti postrema primis consentientia responderent, nihil suis in terris pace carius, amabilius, maius reliquisset. Cum his atque aliis multis in eam sententiam dictis, vir copiosus, et disertus tandem perorasset: ingenti plausu universi, solutis omni cura animis, quos metus ultimi supplicii angebat, certatim sua studia ad conciliandam inter cives pacem, et concordiam profitentur, officii sedulitate, locum veniae, et gratiae apud regem quaerentes: simul inter se com-

plexi spondent in posterum se adnixuros, ne aut patriae videantur defuisse, eius iura tuendo, aut civibus suis, cum iis domesticas copias communicando, aut regi, illius maiestatem unanimiter colendo, eius perferendo imperia, edictis obtemperando, ita comparatis animis, ut nullam occasionem declarandi suam in illum pietatem, et studium essent praetererituri. Deinceps concordibus animis, de religione actum, quod unum maxime urgebat, et requirebat paesens auxilium, vetitis Picardis, quorum erat in primis perdita, et profligata ratio, coetus habere, docere populum, concionari; cum iis esset certa praefinita dies, intra quam diem, nisi amentia, et pertinacia desisterent, iis capitale esset. Facta est tamen potestas iis, qui posito errore, resipiscerent, utrius mallent, seu Pontificiis, seu Calixtinis sese adiungendi. (A calice, quo Hussitae in sacra coena vulgo promiscué utendum docebant, qui eius sectae erant, Calixtini coepti appellari; quod quidem insigne, etiamnum hoc tempore, templis in Boemia illustri loco affixum, ad eorum discrimen, in quibus sacra more Romanorum peracta . . . . . , inspicitur.) Hoc quidem, ut in tam perditis rebus, mitius malum visum, sic ad conciliandam multitudinem Pontificiis parum usui fuit, multis quidem inter se dissidentibus, sed ut uno omnes, atque eodem consensu, pari odio in Pontificios ferrentur; qui caussa superiores, vitae intemperantia, eam ipsam caussam, quam arcte complexi tuebantur, non acriter, ac vehementer minus, quam adversarii oppugnabant. Actum tamen aliquid, et factum gradum ad maiora apparebat; cum hoc obtinentibus facilior aditus pateret, ad cetera perficienda, quae rex sua sponte animo agitabat, eodem modo infensus omnibus, quorum de religione non ea-

dem esset sententia, quam ipse probabat. Neque deerat Iulius Pontifex ita regi in caussam propenso, qui cum monere, hortarique non desistebat, ut, pro superiorum regum consuetudine, quorum eximia fides, et constantia fuisset veterum patrum sanctionibus tuendis, igni, ferro, sceleratorum impias coitiones exscinderet, quae christianum orbem, satis iam pridem concussum, et labefactatum regum discordiis, perditum irent. In ceteros regem lenem esse oportere, quorum scelera inclusa intra mortalitatis fines, peccantium impunitate atque amentia non excederent ad deum: in impios homines, qui gigantum more in deum intendentes scelerata arma, Christi augustissimum nomen, sacra maiorum, religionem sanctissimam evertere conarentur, per omnia suppliciorum genera, quibus spes esset, reprimi immanem pestilentiae luem, quae sensim ab infectis in integros serpendo recrudesceret, saeviendum. Vt ingenti coorto incendio, media interscindi consuevissent, ne ad extrema progrediendo, omnia hauriret continens flamma; ut crus, ut brachium secari, ne vis mali ad integras partes cum totius corporis pernicie pervaderet; ita magnitudine suppliciorum saevientem in populos perditorum hominum licentiam coërcendam, quae ubi per regum dissimulationem latius vires proferret, brevi necesse esset funditus Christianam rempublicam interire. Quibus adhortationibus rex confirmatus, sperabat fore, ut pulsis Picardis, et per eorum confossam, et iugulatam caussam aliorum viribus debilitatis, qui a pontifice defecissent, inde facilior ostenderetur ratio opprimendi universos, a quibus ita Picardi de aliis dissentiebant, ut quantum ad Pontificios pertineret, id quod iam diximus, eorum eadem, atque aliorum omnium caussa esset. Ferebantur porro de

his multa, magna cum eorum invidia, sive illa vera, sive falso ab adversariis conficta, ut nonnulli videri volebant, quae non modo religionis verior cultus, sed propter summam turpitudinem, atque obscenitatem, reiiciat ratio communis vitae Erant quidem Pragae regis homines studiosi, qui ita pontifici gratificari conabantur, cuius erat apud multos sacrosanctum nomen, ut maioris invidiae in eos conflandae caussa, multa fingere crederentur, quae monstri similia magis, quam vera essent. Nam quantum de adversariorum caussa detraherent, tantum addere suae roboris et nervorum videbantur; quae convulsa iam pridem, et abiecta per multorum defectionem in Boemia languebat. Hanc pestem Gallus quidam dicitur, e Veromanduis in Boemiam invexisse, unde eius sectatores Picardi appellati; quo nomine nunc etiam, qui eam Galliae partem incolunt, appellantur. Is, si modo haec vere de eo feruntur, se dei filium ementiendo, a deo e coelo demissum ferebat, qui in pristinum statum homines, unde unius hominis culpa essent deiecti, restitueret, ad tantam rei novitatem, undique magna hominum multitudine confluente, quorum haud contemnendum numerum brevi in sententiam traduxerat. Haec illius scita: Homini adhuc viventi affectiones animorum, quantumvis illas alte a natura insitas, perturbationesque omnes a stirpe evellendas, ut tamquam in exsangui corpore, et vitae sensuumque omnium experte, vigeret suo robore integra ac vegeta mens, tota contemplandis divinis rebus intenta, unde orta esset. Nato homini libero, divinae indolis animanti, uni naturae parendum, soluto omnibus legum vinculis, quae latae ab homine, magna cum humani generis iniuria, inter pares dignitate homines certum ostendere

discrimen; ut ex eodem genere essent qui imperarent, et qui imperantibus, mortis, et suppliciorum metu inviti parerent, quod discrimen nullum a natura esset omnium parente, cui deceret homines in omnibus obtemperare, nihil non iustum, atque aequum imperanti. Connubiorum, affinitatum, coniunctionum iura e vita hominum tollenda: inter quos naturae commune ius esset promiscuos concubitus permittendos; in communem usum alendos liberos; nisil cuiquam privatim suum agnoscendum; abstinendum vestitu, atque ornatu corporis, cuius nullum esse usum crederent, ubi nullus sensus algoris, aestus, tempestatum, ventorum, atque imbrium esset. Quae omnia, aliaque his absurdiora commenta, ea animi duritia tueri ferebantur, ut mulieres cum viris pertinacia certantes in his puellae, quarum animos neque aetas, neque sexus, fiducia virium corroboraret, non secus alacres ad supplicium irent, ac si supplicio defunctis, aditus certus in coelum pateret, quod iis a concionatoribus, et obsceni sacri ministris persuasum esset. Equidem cum in regia urbe peritos horum temporum homines percunctatus essem, de iis quae tum essent gesta (digna enim videbantur, quae accuratius explorata litteris mandarentur): audiebam sectam etiamnum eandem vigere, censerique adeo in eorum numero non solum quorum integra fama existimatioque esset sui ordinis honestos homines, atque industrios, verum etiam viros principes e praecipua nobilitate, quorum prima dignitas, atque auctoritas inter suos haberetur, certe eo ingenio homines, eaque vitae et morum sanctitate, ut minime verisimile sit, tam foeda im(ma)nia tetra religionis scita posse putari, aliunde, praesertim, ab homine obscuri nominis, quem nulla insignis conditio, ac libero homine digna

ars commendaret, in Boemiam invecta. Nam si qua alia res est, quae esse maioris momenti in vita hominum credatur, una est religio, quae ut praedicata haereat imperitorum animis, auctoritate indigeat, quae iis pro ratione est. Vsque adeo quidem apud multitudinem auctoritas potest, ut nihil quantumvis absurdum, et portenti simile, cuius auctor magnus vir, et celebris nominis sit. non magno consensu plausuque accipiat; cuius rei luculenta testimonia multa, ut nulla umquam maiorum memoria, Gallia suppeditat: cuius pestis origo a concionatoribus manat, quibus magnam auctoritatem religionis opinio conciliat, turbulento hominum genere, qui venali lingua addicta potentibus hominibus, populum, quem habent in potestate, ad inferenda patriae impia arma, illi excidium, per caedes, populationes, incendia molientes adhortantur. Interea legati, quo maior auctoritas inesset, in tabulas publicas referri decretum inter alias regum sanctiones et leges iubent: si qui contra fecisse, ac decretum esset, arguerentur, iusso de iis cognoscere arcis praefecto, atque e sua fide, et legis praescriptione, in sontes animadvertere. Quae deinceps acta in eo conventu essent, cuius indicendi multae caussae, et graves Boemis fuissent verisimile quidem est multa praeterea fuisse) scriptores non tradunt: quae res digna admiratione videatur. Hoc unum tamen eodem consensu omnes ferunt, factum esse virtute, et prudentia legatorum, ut et facile tumultus omnes in praesentia sedarentur, et, quae vitiosae partes reipublicae quasi ruinosae domus labem facerent, exscidiumque minarentur, brevi coalescentibus ad concordiam animis, quamquam attritae, et prostratae civilibus discordiis, in veterem statum revocarentur. Quibus consiliis, atque artibus hoc sint assecuti,

quem fructum maxime decet percipere legentes apud eosdem scriptores mirum silentium, nuda narratione rerum, pro tam ardui muneris functione, contentos. Ita ab his legati Boemi inducuntur de communibus malis queri; ita adhortari regem ad comprimendam, tollendamque adeo coniurationem sceleratorum hominum, ut illi persuadere nitantur, omni damnata mora, esse ad vim, atque arma perfugiendum, quibus, de medio sublatis, qui tot auctores malorum ferantur, sperandum sit, multitudinem, quae raro furit, nisi eam seditiosi homines certi duces, ad tumultum, et arma impellant, posse ad sanitatem revocari; verisimile certe haud brevi disceptatione legatis fuisse utendum, qui tot res, tam capitales, controversias tantas, domi, foris, tot admissa scelera, magistratuum furta, depeculationes aerarii, iudicum forensia latrocinia, quibus Boemiae status ruere propediem credebatur, pro sua severitate, et hominum exspectatione, essent vindicaturi. Dum haec in Boemia gerebantur, rex anxius curis, cum vereretur, ne, si quid sibi humanitus accidisset, filio ineunti regnum, opportuna aetas ad iniuriam, apud eos esset fraudi quibus praesens status rerum parum placebat: ungarici regni praerogativa Ludovicum subnixum, ornare quoque Boemici regni insignibus, ut omnis occasio novandi res, hoc unum captantibus tolleretur, optimo consilio constituit. Neque erat minus sollicitus de filia, ubi, vivente adhuc se, Ludovicus decederet, duorum regnorum heres, atque adeo quamquam Vngari, Boemique antiqua consuetudine, deficiente virili regum stirpe, muliebris sexus in comitiis regiis habere rationem consuevissent. Neque magis fore sperabat, id quod aliquando usu venit in eo ipso Vngariae regno, ut, se vita functo, valeret mortui me-

moria ad posterorum commendationem, quod ii modo assecuti ferebantur, qui maximis subnixi in rempublicam meritis, non liberis solum regnum adeundum, sed etiam virtutem dignam regni honore reliquissent aemulandam; quod Ludovico avorum memoria contigit, qui praeter Vngarorum, et Polonorum, Neapolitanorum regnum in Italia obtinuit, et Sigismundo Caesari Ludovici genero, quorum gloria in omnium gentium annalibus, litteris consignata viget. Nihil vero Ladislaus, ut quis maxime illius memoriae suffragaretur, praeter inertem innocentiam, atque eam quidem non in regia modo — in qua non est satis (tem)perare ab iniuria, cum (hoc) sit regis certum, et p(rimum) munus, magni regis p(raeser)tim, ut gentes, et po(pulos) multos suo beneficio (compre)hendat — sed in privata domo etiam infamem, liberis relicturus erat, quo freti sperarent, ubi standum esset principum suffragiis, quorum praerogativam iustis regum comitiis, solent fere populorum studia sequi, se regnum adepturos. Nemini quidem dubium erat, qui e praesenti rerum statu, atque habitu animorum faceret coniecturam, quin, ubi utrumvis liceret, alius, Ladislao mortuo, fuerit comitiorum eventus futurus, quam quem postea secutum vidimus. Sive casus hoc, sive fortuna tulit, haud plane a Ladislai rationibus aversa, sive Boemorum suffragatio; filio regnum stetit, vivente adhuc patre, regi declarato, in quo mortuo, parum erat adiumenti regnum petenti futurum. Igitur cum suorum litteris Ladislaus cognovisset, omnia legatorum virtute tranquilla in Boemia esse; tuto ubique, et pacato itinere. Pragam modico praesidio tectus contendit, secum Anna, et Ludovico puero adductis, in quibus caussa profectionis potior erat. Verisimile est, ne Vngaris oneri esset, deterritis magnitudine sumptuum,

quos immanes superiore expeditione fecissent, perpaucis secum assumptis, in Boemiam profectum, necessario magis comitatu, quam ad pompae ostentationem, et magnificentiae, cuius nullus erat usus neque Vngaris, neque Boemis futurus. Iam e Germania Fridericus Brandenburgensis princeps, cum uxore Sophia Ladislai sorore, et liberis eodem venerat; ad celebrandum festum diem magnificentiore comitatu sua sponte e Germanorum nobilitate, qui opibus, et potentia clari essent, una multis profectis. Ita puer Ludovicus, cum nondum aetatis annum tertium attingeret, a Stanislao Olomucensium pontifice de more insigni regio accepto, magno populorum plausu rex Boemorum appellatur, ob id visus dignus, cui vix nato duorum regnorum nobilissimorum insignia deferrentur, ut esset qui fortunae inconstantiae posteritati proderet illustre inter homines exemplum, e tanto fastigio, flore aetatis praeceps deturbandus. Ferunt Annam puellam, cum gestantem Ludovicum coronam auream vidisset, aemulatione augusti honoris, puerili incenso animo, tamquam quidquid maiestatis fratri accederet, sibi grandiori per iniuriam ademptum eriperetur, nec lacrymis temperasse, et interroganti regi, quaenam fletus caussa esset, ita respondisse, ut risum quidem astantibus, regi admirationem simul iniiceret: Merito enimvero plorare se, quae natu maior fratre Ludovico, cui impositum regium insigne esset, visa parum digna coronae honore, abiecta contemptaque iaceret. Hinc, iam sacris peractis, regem iussisse (nam haec inter sollennia sacrorum acciderant) illi auream coronam imponi, cum hoc addidisset, merito queri regis filiam, sibi uni insigne regium negari. Quae res tum minus animadversa, ei, ut docuit postea eventus, in regni omen vertit, ingentium

malorum, et cladium caussa sua culpa Vngaris futura. Secundum rem divinam, principes in regia convivio accepti, a Ladislao nulla re praetermissa, quae aut regiae magnificentiae significationem haberet, aut ad exhilarandos accumbentium animos apta videretur. Sed publicam laetitiam, ac regii convivii hilaritatem, ingens repente exortus inter Boemos, atque Vngaros tumultus a foedo initio turbavit. Boemus e plebe homo nefarius, atque impurus, tum quaestus genere, quo nihil exsecrabilius est, tum vitae turpitudine infamis; qui in ea urbis regione, quam Novam Civitatem appellant, lenoniam exercebat, tumultus initium fecit. Is, cum quereretur domo se ab Vngaris per vim pulsum, quod eos accipere hospitio recusasset, quiritando implorandoque popularium fidem, cuncta questu, clamore, tumultuque impleverat. Mox accurrentes hinc Vngari, hinc Boemi auxilio suis, cum, ut fit, conviciis, et contumeliosis verbis incensis animis, se ad vim parassent; eductis utrimque gladiis, in speciem iustae pugnae conserunt manus, cum leno quidem occasio certaminis verius, quam caussa exstitisset; quae tota erat posita in utriusque gentis mutuis odiis, quae in diversos lingua, institutis, moribus capitalia erant. Inde cum superante multitudine Boemorum, qui undique accurrentes auxilio, pro suis cum alienis pugnabant, infesta omnia Vngaris, nulla auxilii spes ostenderetur, non virtute, aut robore animorum, sed numero obruti, quo inferiores habebantur, fuga saluti consulere coguntur, e suis nonnullis amissis, sauciis multis. Neque tutior receptus a fuga hospitia petentibus fuit: certior enim, et, ob id, immanior caedes edita in inclusos, cum ab hospitibus nequidquam violatam hospitii religionem querentes, ac dei immortalis fidem implorantes, tanti mox scele-

ris futuri ultoris. in barbarum morem trucidarentur. Auxit Boemorum scelus, caedem Vngarorum secuta praeda: cum eius avidis materia luculenta obiecta ad inflammandos animos, faces addidisset, plurima vestis suffulta pretiosis pellibus, argenti facti, atque infecti magna vis. equorum ornatus, quem aurum, gemmae, lapilli vario artificio distinguebant, quae omnia, ut est eius gentis mos, ad augendam eius diei celebritatem, certatim quisque in pompae et magnificentiae aemulationem protulerat. Interea cum pervasisset rumor in Veterem Civitatem, quem quisque, ad ea quae acceperat, plura, et graviora addendo, augebat, per speciem tuendi suos, incensi alii praedae cupiditate, odio Vngarorum alii, in Novam armati advolant, nullo discrimine, ut in vi capta urbe, armati hostes, obvios quosque, nobiles homines praesertim, qui inter ceteros vestitu, atque ornatu equorum conspiciebantur concidunt frustra a furentibus odio, deprecantes tam indignam caedem, cum hinc aviditas praedae, hinc odii magnitudo, aures precibus occlusisset: unum Stephanum Bathorem adolescentem, cuius erat ob familiae nobilitatem, et domesticas opes, insignis splendor, callidum consilium, ab imminenti exitio vindicavit; cum pretiosa quaeque Boemis obiecisset, uti ab intentis praedae, locus ad effugium relinqueretur. Quae omnia per se foeda, atque indigna, ut nihil praeterea accederet, auxit, post sedatum tumultum, de sontibus supplicium sumptum, quos magistratus comprehendendos curaverat, laetissimamque urbis faciem multo taetrius immaniusque foedavit. Vt enim quisque conspectior sceleris magnitudine habebatur, atque inter capita seditionis fuisse arguebatur, ita atrocioribus suppliciis sceleris convictus admissum luit. Non

faces, non ignes, non secures, non forcipes, iis urendis, excarnificandisque, non alia foediora supplicia satis sufficere visa de sceleratis poenas sumentibus: cum usque eo magistratus severitas descendisset, ut vivis nonnullis mandarint deripiendam cutim, ad inferendum improbis terrorem, excogitato mortis genere taeterrimo, atque mitioribus ingeniis inusitato. Enimvero merito creditum dignum facinus, in quo vindicando, iudex omnem humanitatem exueret, ne quis in posterum spe levioris animadversionis admittere auderet. Tamquam potiti hostium praeda iusto proelio victores, non hospitum spoliis; Vngarorum pretiosis vestibus induti, quas suffultas aut pardorum, aut ponticorum murium pellibus, ingenti sumptu sibi ad domesticum usum paraverant; prodire in publicum erant ausi, cruentis adhuc manibus hospitum sanguine, per nobilitatis insignia, ipsi obscuri sceleris ac flagitii clarissimum indicium praeseferrent, ignari quantum sibi discriminis ab irato rege immineret, cuius maiestatem in suis tam foede violassent. Tumultu sedato, sancta maioribus caeremonia, regni principes, dignitate maiestati regiae proximi, in novi regis verba iurarunt. Qua re administrata Ladislaus, nequidquam semel, mox per legatos salutaribus legibus, atque institutis devincire civium animos conatus, omni alia sublata spe reprimendi audaciam sceleratorum, regiam auctoritatem, ac magistratuum iura armis munivit; quorum metu improbi deterriti, agnoscere auctoritatem publicam in regiis ministris cogerentur; interea iussis iis, penes quos esset iuris dicendi potestas, ubi privatis minus stari rebus iudicatis placeret, armis cogere, qui ad vim confugientes parere edicto recusarent. Iudicibus certam constituit poenam; qui, nisi abessent reipublicae caussa,

et regis iussu, paterentur, per suam infrequentiam, minus sedulo, quam rationes privatorum postularent, iudicia exerceri: iisdem arcium, et publicorum vectigalium administrationem mandavit, recte arbitratus, pecuniam publicam, quam ad eum diem regii ministri impudentissime depeculati essent, tutius multorum fidei, quam unius permitti, cum quidem in multorum conscientia alter, alteri quasi appositus custos iniiceret frena. Praeter haec omnia, uti ad ea intentius servanda, quae decrevisset, magistratus suam auctoritatem obtineret, eius unius iudicium, potestatemque esse voluit, ex iis, quibus administris tractanda publica pecunia uterentur, ubi minus fungendo (sibi)imposito munere suam fidem probarent, ut visum esset, coërcere, ignominia notare, multare pecunia, ordine movere, atque in eorum locum surrogare, quos magis idoneos iudicarent, in primis sedulo agere, ut aerarii ministros crebrius ad rationum calculos revocarent: re enim producta in longiorem diem, opportunitatem, unde minus suspicari liceret, admittendi flagitii captantibus, ostendi, non sine magno tum reipublicae tum regis detrimento. Aerarium ad condendam pecuniam publicam, in arce constituit, vetitis ministris cuiquam assem persolui, cui non ipse nominatim scripto sua manu obsignato numerari iuberet, aut quibus ipse hanc potestatem mandasset: quod unum ab illo edictum exceptum magno cum omnium risu ferunt: perinde enim id esse credebatur, ac si iuberet, patefacto aerario, quidquid eo per multos annos, in magna ubertate rerum esset congestum, horae spatio hauriri: unus enim ipse in summa potestate legis auctor, cuiusvis potius, quam sui iuris, ea, quam in alios tulerat lege erat coërcendus, in immensum natura ad largiendum effusus. Accedebat quo minus li-

ceret ingenio moderari, immanis atque importuna cupiditas poscentium: qui variis artibus assentando, blandiendoque sua sponte, nihil suis neganti effecissent, ut cum laudis loco impudentia flagitandi haberetur, nullus illi in dando profundendoque praescribi posset modus. Eo certe rem redegerunt, ut discessurus in Vngariam, ne nummum quidem reliquerit, cuius condendi caussa, aerario opus esset. Atque aderant tamen prudentes homines, quorum fretus consilio, disceret male utentibus regia munificentia obviam ire, certe efficere, in dando adhibito delectu, ne fovenda improborum cupiditate, quibus totus patebat, illius tempori insidiantibus, videretur male suum beneficium collocasse. Sed et hoc ipsum frustra tentatum, regia assentatorum plena, qui quo minus rex sibi statueret aliquem in largiendo modum, erant futuri impedimento, ea cupiditate inflammati homines, ut quaestuosae impudentiae coërcendae, quousque superesset, quod praedae inhiantium spem improbam aleret, nulla satis certa ratio iniri posset. Discedentem e Boemiâ Ladislaum novi exorti rumores, atque inde crebri allati nuncii retardarunt, Vngariam laborare pestilentiae luc, sive coeli clementia, sive aliunde invecta per exterarum gentium commercium; id quod saepius accidit, e finitimis populis, multis confluentibus, eorum emendorum caussa, quorum est Vngaria feracissima. Neque regi imminens inde periculum verito, licuit subsistere, quoad de eo certiora afferrentur, negantibus Vngaris, incertis esse rumoribus temere fidem habendam, atque exortam famam elevantibus: ut, quidquid contra tenderet, neque ire recusanti liceret tueri suum ius, et quasi suis emancipatus, qui nihil de celeritate remittendum censerent, vellet, nollet iter continuare cogeretur. Fe-

rox gens, et adversus omnes fortunae casus, ingenti animi robore subnixa, cum aliorum morborum genera contemnit, tum eos, quos medici populares morbos vocant, quod longe lateque contagione in proximos serpendo, urbes gentesque populentur. Et aliorum malorum omnium, et mortis aeque potentes, exteros rident, qui, pestilentia saeviente, receptum in salubriora loca quaerunt; posse quidem vitare morbi vim ad perniciem imminentis; fatum vitare, quo se cumque quis vertat, neminem posse. Sive enim domi, sive peregre agat, belli, pacis tempore, aut veneno, aut gladio, aut morbo, aut naufragio, nato homini mortem obeundam. Nam, cum maxime pestilentia grassatur, nullo territi metu, in foro, in templis, in concionibus frequentes, rusticis immixta urbana plebs, quorum promiscuo congressu morbi vis invalescit vehementius, in caupona, et ganea temere agunt; amicos et cognatos invisunt laborantes; adsistunt omnibus, contrectant tabe fluentia membra, certantes officiis mutuis non sine ingenti humanitatis laude, ubi usus poscat, nullo discrimine, aeque suis praesto futuri, atque alienis. Quam sedulitatem tantam etiam si raro impunitas sequitur, minime tamen vitae periculo a functione tam necessarii suis officii deterrentur; quae res apud eos insignem fortitudinis commendationem habet: una certe ea caussa est, ut numquam, ubi praesertim accedat infecti coeli pestilens vis sit plane vacua Vngaria a tanta clade, nullis legibus quemquam vitare cogentibus, qui sua sponte contemnat, quae intelligat sibi pestem, atque exitium afferre. Divertit Ladislaus, iter in Vngariam per Moraviam facturus, Cremsirii, ad Stanislaum Olomucensium pontificem, cui inter alios eius ordinis homines, propter summam prudentiae, et virtutis opi-

nionem, plurimum, ut alibi diximus, tribuebat. Anxius de liberorum salute, cum plus aequo metu afflictaretur, ne quid illis, quod minus vellet, accideret, tamdiu Cremsirii morari constituerat, quoad de pestilentiae saevitia mitiora ex Vngaria nunciarentur, ad animum sua sponte imbecillum, et timentem omnia patrio amore accedente, qui multa cogeret cavere, in quibus nulla esset caussa timendi. Neque vero erat una Ladislao caussa expostulandi de suis. Nam et aegre ferebat, per non magnam temporis moram, saluti liberorum parenti prospicere non licere; et multo magis, adeo esse suam auctoritatem vilem suis, ut praepostero ordine, esset regi ex eorum praescripto vivendum, in quos vitae et necis potestatem permitterent divinae, atque humanae leges omnes. Indignam semper rem esse ut nihil praeterea accederet; regem cogi; indigniorem cogi a suis; longe indignissimam, cogi ea agere, in quibus, nullo cum reipublicae usu, periclitaretur liberorum salus. Imperari sibi, quod si privato accideret, acerbissimum (fie)ri possit, ut obiiceret liberos, in quibus positum omne vitae solatium haberet, infecto coelo pestilentiae lue, inter perpetua hominum funera, urbanorum, atque agrestium turba vulgante morbos, cum in parva mora, certa sui securitas, nullo cum suorum maleficio inesset, in profectione, nullo cum reipublicae commodo, angeret animum gravis timor perdendi liberos, quos haberet vita cariores. Agnoscere se vero humanarum rerum vicissitudinem. Luctus sui acerbitatem, ex desiderio amissae reginae, ab Vngaris lenitam. ultro suis suffragiis ornato infante filio regni insignibus, quod unum illi in vita fuisset summe expetendum: mox sublatam omnis luctus memoriam, cum, magna nuper populi celebritate, principum summa frequentia, exterarum gentium magno concursu, ad sacram aram regia

corona ire dimitus pontificis manibus. ac rex a Boemis appellatus esset. Cum videretur Ladislaus rex non posse altius a fortuna efferri. eo secunda aura provectus. quo sua vota intendere esset audax. exitum docuisse. ob id esse elatum in sublimem locum. ut esset inde praeceps deturbati magis. et foedior ruina. Cogi suorum imperio regem tantum. quod privato parum honestum esset. eo ire. unde invitus detrahendus, et per vim esset, ubi ipse ultro ire constituisset; et quidem, quod indignissimum videretur. cogi ab iis. in quos omnis humanitatis expertes. rex indulgentissimus benignitatis suae, et munificentiae documenta illustria edidisset, eos commodis, honoribus, dignitatibus functionibusque or(nans) quae meritorum ingentium in rempublicam praemia essent: quibus supra omnem suam spem aucti, hanc sibi gratiam referrent. ut per eos, liberis ab imminenti vitae discrimine, prospicere non ita magna temporis mora haud liceret. Haec atque alia ad hunc modum querenti auxit animi moerorem, auditus principum obstrepentium fremitus, iam minime obscure, et per ambages, sed aperte minitantium, nisi primo quoque tempore se itineri dare induceret animum, futurum, ut minime facilis, et tutus reditus, Vngariam repetenti pateret: contemptos se, ac destitutos ab eo, quem sibi regem ultro imposuissent, cuius filium viventis, insignibus regiis ornassent, quod nemini antea maiorum memoria contigisset; quando sua sponte exsulare regno constituisset, quod tuto non posset rectore carere, quid sui iuris esset procuranda publica salute consideraturos. Non creatum a suis regem, ut unum sibi tantum delatum honorem intelligeret, sed cum eo perpetuam coniunctam reipublicae procurationem; quam quidem perpetuos perferendo labores, vi-

gilias, noctes insomnes ducendo vitae multa discrimina adeundo, vix recte posset rex fortissimus sustinere: certe iis carere incommodis, et potiri in multos populos, et gentes imperio, neminem qui vere esset rex, posse. Deplorandam eorum salutem, qui belli ducem in gerenda re quaererent, et cum in acie contra hostem armatum stare (opo)rteret, in navigando tum, cum fracto malo, et clavo amisso, agitata adversis ventis navis fluctuaret, non multo ante exortam adversam tempestatem, quaererent qui gubernaculis praecesset. Excelsum in regia locum, summum ius in multos, atque imperii potestatem, maiestatem nominis, praemia fortitudinis esse, et invicti animi ab omnibus malis, quae hominum vitam angerent: quibus virtutibus ita honos haberetur, ut in quibus desiderarentur, regium nomen, atque insignes nobilitatis tituli dedecori essent, quae iisdem artibus, quibus essent partae, multis rebus praeclare gerendis, atque illustribus sapientiae, et iustitiae documentis essent conservandae. Atque haec illi quidem: rex sollicitudine (an)xius, cum conceptum animi dolorem, quamvis alte depressum, vix posset dissimulare, perpaucos movebat studiosos sui, in quibus Stanislaus deiectum animo erigere in spem salutis omni ratione conabatur. Quando ita reditum sui urgerent, induceret animum (illis?) morigerari; liberorum curam suae fidei permitteret, diu sibi perspectae, neu dubitaret illos Cremsirii relinquere tuto loco, et salubri coelo, et quod caput esset, non procul ab Vngariae finibus, ut crebro de iis cognoscere, si quid accideret, liceret. Vacuas se illis aedes atque hortos, quorum amoenitate oblectarentur traditurum, undique aditu septo, ne locus contagioni esset, per liberum accessum ultro citroque commeantibus. Vbi, mitescente pestilentiae vi (si modo

vere ulla esset) tutus illi pateret in regiam receptus; tum ubi visum esset e propinquo loco ad se filios revocaturum. His rex confirmato animo, gratias Stanislao egit: viri boni illum officio functum, et consolando moestum patrem, anxium de filiorum salute, et prospiciendo liberis, quorum procurandam salutem, ultro tam amanter prolixeque suscepisset: pro quibus humanitatis officiis, quae eo sibi cariora essent, quo illa magis in multis desiderasset; cumulate spondebat se aliquando gratiam relaturum. Cum ita rex motus Stanislai oratione, Cremsirii relictis liberis, pergere ire in Vngariam statuisset: ne id quidem licuit illi a principibus impetrare. Ioannes Sepusius, cuius tum, ob ingentes opes, et domesticam potentiam prima erat in regia auctoritas, de ea re consultantem ab sententia avertit. Sive sua sponte, sive principum voluntate, id quod credi malebat, cum ducentis equitibus delectis, Trencinio profectus: Paucis excusato necessario officio, quod poscenti patriae, negare haud licuisset; Regem docet, Vngaros ferre iniquo animo, tam diu illum abesse a regno, quem non ob eam caussam summis regibus praetulissent, quos habuisset competitores in petitione regni, ut ablegatus a suis, minime necessariam moram, certe suis gravem, honesta in speciem caussa tegeret, a pestilentiae labe liberos (pro)cul habendi. Et se quoque habere liberos, parentes, alios propinquitate coniunctos, in quos quidem eadem esset indulgentia, quam is prae se ferret in suos, hoc naturae, hoc gentium iure, hoc ratione officii, atque humanitatis postulante; sed non tamen, ut non esset eorum pietas in patriam maior. Turpe haberi, et non ferendum adeo, accitum medicum uno hoc nomine, ut affectae multorum valetudini, si quando id casus re-

quirat, auxilio sit; ubi maior ingruat vis morbi, a se opem in malis implorantibus deesse. In qua quidem culpa regem haerere, qui secundis modo rebus, sui muneris memor, fruatur regni commodis, quasi haec illi sit una caussa regnandi, avolet idem, ubi quid accidat, quare suis adversa fortuna laborantibus oporteat praesentem aut re, aut consilio opitulari. Credere Vngaros, plane suorum regem oblitum, quos minime contemnere aequum sit; cum ob alias caussas, tum ob hanc unam maxime, quod non credant, eo absente, posse suis, illius fidei communem salutem commendatam constare. Votis omnium ita posci, ut ulterius desiderium absentis se negent passuros. Nullum vero illum certius habere argumentum sorum in se caritatis, quam ab illis tanta animorum contentione, et per adeo prolixa studia requiri, recte quidem existimantibus, in uno rege, quem auctorem publicae salutis unum colant, se dei immortalis vim, numenque venerari. Hoc videri satis ad illius emolliendum animum atque ad reditum ad suos maturandum: sed aliam tamen subesse caussam graviorem, quae memorem personae, quam gerat, cum ad mutandum sententiam impellat; nusquam enim ita cum populis bene agi, ut non, eo absente, penes quem sit summa imperii, multa eveniant, quae minime ille suis evenire velit. Citius, nullo gubernatore emergere navim posse per adversam tempestatem adversis ventis.....quam civitatem, aut regnum e civilibus discordiis; ubi is absit, qui multitudinis animos, fluctuantis ad quantumvis levem auram, et populorum turbulenta consilia, repentinosque motus, tum moderari prudentia, tum auctoritate sedare, et comprimere possit. Iam palam in foro, atque in hominum coronis exaudiri expostulantium voces: Sordere Ladislao Vnga-

riae regnum. unis Boemis addicto: despicere Vngaros qui sibi externum regem. vix cognitum fama. praelatum Maximiliano. Friderici Caesaris filio. posito in propinqua spe potiundi summi imperii. populorum omnium votis suffragiisque consentientibus. regem sibi adoptarint. Consulto rumores ab hominibus seri. non Vngaris magis. quam regi iniquis. de quo plus aequo videri solliciti velint. regnum pestilentia laborare: quae latebra regi male affecti animi in Vngaros quaeratur: neque tamen plane falso id ferri: pestem enim nullam saevire in civitates vehementius. quam partium discidia. et civiles contentiones. eas in primis. quae inter regem. et populum exortae. numquam fere non cum omnium exitio. atque interitu finiuntur: ut enim in mixtis rebus. quae ex contrariis inter se partibus coagmententur, dissoluta compage illa naturae admirabili. qua orta omnia coalescant. sequi eorum occasum necesse sit. ita in regni procuratione cuncta in certum exitium prolabi necesse esse. discidio per concordiae dissolutionem inter populos. et regni moderatorem orto. Quae quidem mala. nulla spes sit posse tolli. nisi summi imperii metu. improborum audacia repressa, ante quam longius impunitate provehatur. coërceatur armis: quae quidem arma numquam salutaria. nisi cum iis inititur communis salus. huius unius rei caussa, ubi foris cetera sint tuta ab externis hostibus, in pace, atque otio retineantur. Neque principes Vngaros dissentire a multitudine. apud quam offensio quantumvis levis gravissima habeatur, quae a rege tamquam a capite manat. Nulla illos dissimulatione palam fremere, indignari, queri se destitutos, contemptos, elusos, quod indignissimum sit, in Vngarorum regia, in qua paullo ante pater rex filium, filius patrem regem viderit, multitudo.

principum auctoritatem secuta, duos reges venerata sit, regem quaerentes, qui tot gentibus, nationibus, populis imperet, quorum (opibus) ac robore stet invictum Vngariae regnum. Inter eum, qui regno potiatur, et qui obediat regis imperio, ita natura comparatum esse, ut tam diu is, qui pareat se patiatur regi, quamdiu recte is regis munere fungatur, cui ius imperandi traditum sit. Cur Vngaros converso rerum ordine, perturbato naturae, patriae, gentium iure, quo uno semper hominum societas, ac regna, et summa imperia steterint, Ladislaum regem agnoscere debere, a quo ipsi parum digni habeantur, in quos ipse imperium obtineat? Haec principes libere, haec populum queri, et quidem, ut non dissimulent, ni quam primum maturet redire, se illum in regiam urbem, quam adeo vilem habeat, nisi coactos vi, atque armis haud recepturos. Hoc quidem se utrum regis caussa, an suorum ferat iniquiore animo, haud secum statuere posse: ut enim cetera absint, caussam quaeri, cur minus regi conveniat cum suis, tum iis, qui pareant turpe esse, tum haud satis decorum regi; cum quidem non saepius in populis, quam in rectoribus regnorum discidii culpa, caussaque consistat: certe, quod dissimulari haud possit, Vngaros, quo sanctius semper coluerint regium nomen, eo contumeliosius sibi esse censere, tamquam de sua fide in dubium venerint, se a rege contemni. Nihil vero illos medium existimare: aut enim, procul agente rege, collapsurum regnum, tamquam capite adempto prodigiosum ac deforme corpus (quod omen deus avertat), aut, alio rectore, quem haud ita diu sint desideraturi, suum decus splendoremque credere recuperaturum. Enimvero rem non ferendam videri, eo indignitatis ventum, ut Boemis, ac Moravis, qui appendices regni Vngarici

sint. inferiores Vngari habeantur fide. officio. pietate in patriam, atque in regem adeo; cuius iam inde a maioribus illustria multa. atque insignia exempla prodiderint. Ad hunc maxime modum Ladislaus assuetus suorum iniurias. et contumelias perferre. cum liberis in Vngariam rediit. languentem diuturno otio, iam inde ab eo tempore. quo pulsi iterum Turcae, ac caesi ad Jaiczam fuerant. Bajasete. quo minus animum intenderet Vngariae rebus. quibus liber ab externis bellis maxime inhiabat. parum secundis auspiciis in Asia bellum gerente. Sunt qui hoc loco nimiam in Sepusio animi fiduciam reprehendant. et superbam sui ostentationem parum: illius gloriae faventes moderationem animi maiorem certe, atque aequitatem requirant: et si enim multa in Ladislao desiderabantur, quae quis vellet conspici in rege; aderant nonnulla, quae abesse a rege satius existimaret: at erant omnia in persona, quam gerebat verenda, summum regni ius, imperii maiestas, regius honos, supremum in terris humanarum rerum fastigium, quo cum Ladislaus esset maxime Stephani patris gratia, et suffragatione provectus, haud consentaneum videbatur filii constantiam in tuendo patris instituto desiderari, qui regni Palatinus, et regii aerarii praefectus, potentia, atque auctoritate semper omnibus in Vngaria antecelluisset. Quamquam, ut quis etiam a persona hominem separaret, multa erant, quae Sepusius Ladislao debebat, mox plura fuerunt, atque ea quidem multo illius spe uberiora: ut, si quid adversus illius dignitatem, et commoda cogitaret, insignior iniuria in eum esset, qui et profusus in bene de illo merendo, et constantiae suae memor, aeque in tuendo beneficio fuisset. Equidem censeo, ut multa de Sepusio ferrentur, quae maxime studiosi illius nominis credi vel-

lent: multa contra dissiparentur ab inimicis ab illius virtute, et constantia aliena, ortum postea inter illum, et Ferdinandum de regno discidium effecisse. Multos ille vero, praeter domesticam potentiam, opinione liberalitatis, et magnificentiae sibi conciliaverat; multos alienaverat a suis rationibus, in quos dignitatis suae aemulos infestus incurrebat ex illustri loco conspectior, et magis ad invidiam exposita fortuna. Hinc animis in contrarias factiones distractis, ut fere in bellis civilibus solet, verisimile est, pro suo ingenio multos, qui ita se magnam inituros gratiam a Ferdinando, et fratre Carolo Caesare tam augustae maiestatis principe sperarent, tum haec ipsa, tum multa alia excogitasse, quae Ioannis mores, atque ingenium reiicerent, quod in eo vere regium fuisse ii afirmant, quibus ad interiorem illius amicitiam diuturnus usus, et consuetudo aditum patefecit. Neque exstitit hominum licentia in Ioannem dicendi, quam in Ferdinandum maior; atque adeo quamquam illum maximorum regnorum potentem, et quem tum disciplina maiorum, tum integer animus, ab omni sceleris, et nequitiae labe, in primis morum, et vitae sanctitas, a probro, et maledicto vindicabat. Dum ea partim in Vngaria, partim in Boemia geruntur, Italia, ingenti coorto belli incendio flagrabat, Iulio secundo pontifice maximo peracri homine ingenio, universas Europae vires excitante ad exscindendum Venetorum imperium, terra marique florentissimum. Quo quidem tempore, unus communis hostis Baiasetes, sive quod occupatus esset Asiatico bello, sive, quod religionis suae, et constantiae esse duceret, ut nonnulli credunt, non violare percussum cum Venetis foedus, quiescebat, magna omnium admiratione, qui non ignorarent, quantam tum ille occasionem, et quam opportunam omitte-

ret, vetere maiorum instituto, per nostrorum regum discordias, terra, marique imperium augendi; qua ratione maiores, a contemnendis initiis exorsi, Turcarum rem tantam fecissent, quantam nunc horrescimus memoria repetentes: sive enim in Venetos arma converteret, subito oppressos gravissimo bello; sive a terra Vngaros aggrederetur a maritimo bello securus, haud dubius erat futurus rerum eventus. Stetit tum Vngaria tamen non suis viribus, quae sub secorde, atqua inerti rege, quasi adempto capite languebant, non exterorum regum auxiliis, qui vires omnes adversus Venetos in eorum ruinam conspirantes intendissent; sed clementia fati, quae hostis potentissimi mentem alio averterat. Ac Iulius quidem Pontifex, per speciem gerendi sacri belli, callido consilio moliens in Venetos arma, iubilei annum a Bonifacio octavo in annum centesimum, mox in quinquagesimum ab aliis, postremo in XXV ab aliis redactum, in decimum revocaverat; quod tamen, quaecumque huius rei caussa fuerit, non tenuit. Creditur vero Iulius, cum nihil animo agitaret, cuius quantumvis magnum esset, atque arduum, non sibi spem faceret; de sacro indicendo bello cogitasse; ita quidem, ut Venetis victis, quos haud plane eversos vellet; adversus communes hostes regum vires converteret, opportune classe Venetorum, ubi mari gerenda res esset, qua de re dubitari non oportebat, usurus. Insigne quidem eius studium amplificandi Christiani nominis fuisse, illud documento est, cum X annos pontificatui praefuisset, non esse passum de sacro aerario assem decedere, quo fratris filius auctior, atque opulentior esset. Et in Venetos quidem, funesto bello circumventos exstitit hinc Bajasetis Turcae, fidei et constantiae, illinc Christianorum Regum odii in primis

memorabile exemplum. Eodem enim tempore a Gallia Ludovicus, ab Anglia Henricus, a Germania Maximilianus Caesar, Ferdinandus ab Hispania, magna tum gloria, ob receptam de Mauris Baeticam florentem, per Cameracense foedus, in Venetos converterant arma, quae tum uno, atque eodem consensu, ob hanc unam caussam posuerant, inter se molientes bellum, ut subito oppressos, tanta belli mole sustinenda impares, everterent. Baiasetes cum, obiectos totius occidentis viribus, ad Graeciae et Dalmatiae littora classe appulsa, nullo negotio posset spoliare maritimo imperio, cuius fines longe, lateque patebant: foederis, et religionis suae memor, ultro maritima, ac terrestria auxilia laborantibus obtulit; ut si uti vellent, non tuti solum essent futuri ab externa iniuria, sed formidolosi etiam ipsi hostibus, quamquam eorum copiae innumerabiles ferrentur. Ita cum exercitu quinquaginta hominum millium comparato, in Insubribus Ludovico regi paribus copiis instructo occurrissent: ingenti proelio victi, quidquid in continenti, per centum, atque eo amplius annos, tenuissent, tum Ludovico victori, tum Maximiliano Caesari, et Iulio Pontifici, tempori cedere coacti, tradiderunt. Stetit tamen Venetorum respublica quamvis per multos annos, tot circumventa, et convulsa malis invicta adversus tantos hostes: magna cum gloria omnibus belli exitu recuperatis, quae Ludovico, et Maximiliano cesserant, simul insignis pietatis, et religionis laude parta, qui Turcae, hostis perpetui Christiani nominis auxilia, Europae imperio imminentis, difficillimis suis rebus oblata reiecissent. Tantas Italiae clades terrae motus ingens secutus in omen vertit: qui nobilissimas urbes, insignibus in his veterum monumentis prorutis, prostratisque deforma-

vit, irato numine, ut vulgo creditum est, nostrorum immanem cupiditatem ulciscente, quorum alii in aliorum exitium ruentes armati attererent vires, quas integras, et florentes sive terra, sive mari rem geri oporteret, inmortali cum pietatis laude, certa spe potiundi maximi imperii, essent in Turcam hostem explicaturi. Neque tamen fuit eius cladis Turca expers. Byzantii eodem tempore terra movit; quae mali labes vehementer urbem concussit, et summi olim imperii maiestate, et praesentibus opibus superbam; quas immanis gens e praeda multarum nationum, et gentium eodem congessit. Movit vero multo vehementius imperitorum animos, praeter tantam ex improviso casu acceptam cladem, barbara superstitio, qua, ut ferunt, nulla alia gens aeque laborat, neque in hoc solum adeo, sed in iis etiam, quae a natura exsistunt, et quorum sunt haud obscurae caussae: praesensionem enim his inesse impendentium malorum existimant, et quoniam raro eveniunt, si quando exstent, portenti, ac prodigii loco habent. Neque vero tum iustiores ferebantur Venetorum, quam Vngarorum querelae, quorum aeque eximia merita in Christianam rempublicam habebantur. Afflicti enim Veneti ingentibus bellorum cladibus, ac magna exuti imperii parte, nondum regum immane odium expleverant; qui praepostera ambitione, et ... tate elati, ingentium malorum essent Christianis populis auctores: solliciti Vngari malorum impendentium metu, cum certum hostem haberent, cuius vires, quae erant immensae, odium aequabat, bellandi facultas, odii vim consequebatur; viribus infirmis, et perexiguis suis, si quis illas cum hostis viribus conferret, desperatis exterorum regum auxiliis, destitutos se, proditosque querebantur: ut non iustae iam solum, sed liberae eorum

voces, ubicumque Christi nomen coleretur, magna cum unius pontificis invidia exaudirentur: Duo esse Christianae reipublicae propugnacula Turcae hosti obiecta, Venetorum a supero mari, Ionio, Aegeo, Insulis a terra Vngarorum olim maiorum, et patrum memoria validissima: cum vere Christi pontifices, non elati cupiditate dominandi, sed clari sanctitatis, et sapientiae fama, Christianos reges, populosque miti, ac placido imperio haberent. Horum alterum, per pontificem Iulium concitatorem iniusti belli, oppugnatum Christianorum regum armis, a quibus esset defendendum; beneficio Baiasetis hostis, cuius maxime id everti interesset, incolume mansisse: alterum destitutum spe externi auxilii, suo robore parum firmum, quamdiu hosti visum esset, incolume mansurum; quo potentiore, an infestiore uterentur, *) haud satis constaret. Quod vero beneficium exspectari posse a Turca hoste maius, quam eo tempore abstinere ab armis, quo illi maxime sint et gloriosa et honesta, et sumpta in victos hostes futura? Ac tantum Christianorum regum dedecus nullam unquam hominum memoriam obliteraturam. Inde in Abduae campis concurrisse utrinque duas acies infestis signis in quibus centum amplius hominum millibus censerentur, quibus belli duces utrinque fortissimi praecessent, et imprimis rei militaris periti, in his rex maximus ac potentissimus, multo maiore cum sua et gentis gloria adversus Turcam hostem pugnaturus. Non enim pro Vngaris solum, qui primi obiecti essent tam potentis hostis armis, sed etiam pro Christianis populis universis sumpturum arma, qui brevi futurum esset ut per Vngarorum quasi latus peterentur, ita se-

*) Itt megszakadván a Pray-codexben az I. könyv, folytatása és vége a bécsi példányból vétetett. T. F.

rie rerum victorem trahente, ac Ludovicum quidem victoriam adeptum, sed quam illi funestam cruentamque effecissent: ut utrinque et in rege victore, et in Venetis victis luculentam plagam respublica acciperet, in Italiam. quasi totius orbis terrae theatrum a prava hominum cupiditate inductis; quo spectaculo nullum aliud Turcis gratius contingere potuisset, cuius in multas gentes imperium nostrorum perpetuis cladibus in id fastigium creverit, ut illi exscindendo impares essent Christianorum regum omnium vires. Nam Gallorum copias, qui vicissent, affectas, Venetorum, qui victi essent, prostratas atque afflictas, ut vix spes esset longo temporis intervallo, aliqua ex parte posse recreari. Quae quidem quantum illi terroris, quantum pestis atque exitii, quas clades, quas ruinas, sive terra illum, sive mari bello aggrederentur, fuerint importaturae, ubi concordibus animis, eodem consensu, Christiani imperatoris ductu, atque auspiciis adversus communem hostem excitatae essent? In Italia celeberrimis hominum conventibus, Romae maxime nihil esse magis in hominum ore, quam sacrum bellum, Christi militiam, sacra arma, unam omnium vocem exaudiri. Vngaris auxilio eundum, fortissimis propugnatoribus Christiani imperii; instruendas classes terrestres, navalesque copias, expedienda arma, tela, tormenta: ad tam iustum bellum reges e Germania, Gallia, Hispania excitandos, quae quidem una, vim habeant, ut erecti populi in spem salutis eo gravius acerbiusque afflictentur, quo se longius a salutis spe abesse, frustrari sua exspectatione, atque illusi animadvertant. Non se quidem veterum pontificum, sanctorum hominum scita: non decreta, non leges evertere, non potestatem divinam erratis hominum constitutis damnare, non dilectissimam pecu-

niam, quae vere cogatur pellendis ex Europae finibus barbaris hostibus, Christiani imperii finibus propagandis, sed execrari ac detestari praeposterum eorum usum, qui imperitos homines falsos insignibus pietatis titulis, secum praecipites in exitium trahant. Miserrimos enimvero homines, quibus tantus animis stupor insitus sit, ut non videant, quam se stipem dare in belli sacri usum credant, eam se Iulio secundo pontifici subministrare ad arma Christianis populis inferenda, ad gerenda impia bella, ad alendas inter reges discordias, inflammandam Italiam, Galliam, Germaniam, bellorum facibus, per nobilissimorum populorum exscidium, vires Turcarum fovendas, atque augendas, in omnium ruinam imminentium, quicunque in Europa Christi nomen profiteantur, sancte quidem coli ab Vngaris Romanorum pontificum maiestatem; sed eos ipsos efficere, potestate divina prave utendo, ut salua sacro sancta potestate, quam maxime illibatam inviolatamque velint, non possint facere, quin de pontificis iniuriis querantur. Hoc Vngaros queri, quod gravissimum, atque ultimum malorum omnium haud dissimulare possint. Suas calamitates, quae luctui acerbitatique sint, parentibus, liberis, coniugibus imminet patriae fatum, piis nobis, ac supplicibus precibus deprecantibus. Romanis sacerdotibus quaestui esse, pontifici maximo imprimis, qui non se divinae potestatis vicarium in homines gerat, sed Christi infestissimum hostem. Nam si vere in terris tantum munus administret, cur non etiam sibi sumat tuendi Christianos populos principes partes, fovendi miseros, afflictis rebus erigendi, copiis, auxiliis iuvandi, vindicandi ab externis bellis: quae undique impendentia ab eo hoste, cuius barbariem longe pontificis immanitas vincit; ma-

gno cum Christianae reipublicae discrimine, pari regum dedecore, atque infamia horreant? Callidum suae potentiae ostentatorem, sacram pecuniam spondere, crucis insigne militem gerentem, exercitus, arma, classes, quasi Vngaris indigentibus non verbis, sed certis peditum, certis equitum auxiliis, tam prolixis sollicitationibus standum sit, in quorum capita interea insultet hostis barbarus, immitis, crudelis, in finibus, atque in vestigiis haerens; videlicet ut dum is vicos exurat, oppida vastet, longe lateque Vngarorum agros populetur. Romani sacerdotes, ex Vngarorum aerumnis et calamitatibus coactis, suae pietatis mirificum referunt fructum, beatam vitam et curarum expertem, in victu regium cultum, laxas aedes, pretiosam supellectilem, villas instructas regia magnificentia, signis antiqui operis, hortorum amoenitate, ut in his quasi triumphum agentes, non devicto Turca, sed de caussa Christi prodita, Turcae deliciis et voluptatibus omnibus emolliti, effeminatique conspiciantur. — Haec quidem passim vulgo homines, qui quamquam tum esset otium ab externis armis, tanquam ingruentem ex alto tempestatem, longe animo prospicientes, quae hinc clades Vngaros manerent, neque a domesticis viribus paratos et frustratos spe externi auxilii miserabantur.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER SECVNDVS.

LIBER SECVNDVS.

Interea Iulius pontifex, sedandae invidiae caussa, quam sibi ingentem conflaverat, excitatis regibus ad Venetum bellum; tum pecuniae cogendae, qua immani ad bellum adversus Maximilianum, et Ludovicum gerendum indigebat; missis ad Christianos reges legatis de suscipienda adversus Turcas expeditione nihilo remissiore studio agebat. Iam ille, insigni clade fractis Venetorum animis, passus erat ab illis secum de compositione agi, magna foederatorum querela, Maximiliani Caesaris, et Ludovici regis in primis. Nam neque ille adhuc omnia recuperaverat, quae sui iuris, atque imperii retineri iniuria a Venetis querebatur; cum quidem in Cameracensi foedere diserte cautum esset, nisi absoluto bello, et omnibus recuperatis, quae Veneti foederatis erepta suae ditionis fecissent, ne cui, iis inconsultis, qui eo foedere comprehenderentur, discedere ab armis liceret, et Ludovicus non obscure Pontificem incusabat, desponsum cardinalatus honorem Helviorum Pontifici, primae apud se dignitatis, et gratiae homini negare, et, contra atque rex tenderet, ius sacerdotiorum distribuendorum in Gallia ad suum arbitrium potestatemque revocare, atque hae quidem caussae verbo obtendebantur; aliae suberant veriores; in quibus illa gravissima. Pontificem, iam de Venetis,

Flaminiae urbibus receptis, quem belli finem sibi proposuisset, plus aequo gravem exterorum regum futuram potentiam in Italia Romanis pontificibus existimantem, ad nova consilia convertisse animum; ut quorum viribus innixus, sua Venetos sibi restituere coegisset, eos Venetorum armis pulsos, spoliaret Italiae imperio, quod inter se partiti hinc Hispanus, hinc Gallus, hinc Germanus sibi perpetuum spond(eret.) Quae Pontificis ratio neque exteris regibus erat obscura, et Vngaris maxime erat invisa; qui ut vere capessenti Pontifici adversus Turcam bellum, tantum haerentem in sinu hostem, et regium aerarium, et privatas fortunas omnes essent effusuri, sic gravate ferebant, per speciosum nomen sacri belli, ad inferenda iniusta arma Christianis populis pecunias cogi. Quae quamquam ita essent; Ladislaus rex tamen, cuius permagni intererat, vere, atque ex animi sententia suscipi bellum, fide habita pontificis litteris, conventum principum Strigonium indixerat, ut ad IV. Idus Martias deliberanti de re tanta frequentes adessent, in primis Sigismundum regem fratrem hortatus, ut eodem missis et ipse legatis, per eos, communi consilio, secum de sacri belli expeditione ageret, qua de re, a pontifice Iulio monitus esset, hoc, contento studio, urgente. Strigonium se principes edicto evocasse, certa illis ad conveniendum praestituta die: ut quando non hoc minus ad Polonos, quam ad Vngaros pertineret, qui omnium maxime opportuni hosti praepotenti ad iniuriam essent; consilio sibi adesse ne gravaretur. Antequam exiret induciarum dies, qui dies esset ad XIV. kal. Iulias, constituendum, conduceretne reipublicae inducias in longiorem diem proferri; an suscipi in praesentia adversus Turcam bellum, cuius praesertim Pontifex auc-

tor esset; ut cum ad publicum commodum, auctoritas divina accederet, vix posset, sine sceleris nota, de belli eventu dubitari. Magna quidem de re consultationem institui, et maxime ad universam Christianam rempublicam pertinenti; sed quae tamen, propter hostis propinquitatem, aliquanto magis ad Polonos, atque Vngaros pertineret, qui ab illo principes bello petendi (prop)iores periculo essent; ut cum duorum regum, eadem caussa esset, fratrum praesertim, et quorum essent concordes animi atque aeque recti de Christiana republica sensus, haud consentaneum videretur, habere alterum ab altero separata consilia. Quibus cognitis rebus Sigismundus, cum nemo e suis esset, quin eadem de mittendis ad Ladislaum legatis sentiret: una gravis actio de foedere cum Moldavo ineundo, quo amico, an hoste uterentur gerendo adversus Turcam bello, permagni interesse reipublicae credebant; quo minus mature mitti legatos placeret; erat impedimento. Nemini quidem erat dubium, quin, nisi de foedere cum barbaro transigeretur, de iis, quae agenda essent in Strigoniensi conventu, institui recte legati haud possent. Fore enim, ut ex futuro tum rerum statu, de belli gerendi ratione consilia variarent. Ita cum res in longiorem diem proferretur: Sigismundus, pontificis nuncium, qui, ob eandem caussam, per eos dies erat in Poloniam, atque in Vngariam legatus, dimisit, pollicitus, se primo quoque tempore de Pontificis postulatis cum fratre rege acturum, et de consilii sententia, quid magis crederetur reipublicae conducere, constituturum; certe quando eadem utriusque gentis caussa, idem animorum consensus, voluntasque esset, nihil omissurum iis omnibus agendis, quibus, salua sua existimatione, et fide, pontifici speraret se gratificari.

Quae dum ita administrantur, percusso foedere, et pace cum Moldavo constituta, Sigismundus legatos duos summae homines auctoritatis, Nicolaum Firleium Palatinum Lublinensem, Ioannem Laskium designatum Archiepiscopum Gnesnensem, regni Cancellarium ad fratrem decernit; quibus in Vngariam iter facientibus, occurrit missus cum litteris a Ladislao, qui illos doceret, conventum Strigonium indictum certis de caussis, in IIX. kal. Iulias dilatum. Quo nuncio accepto Sigismundus, revocatis ex itinere legatis, nihilo secius tamen pergit, quod instituerat agere, ac Petrum Tomicium spectatae hominem fidei, et prudentiae, ad Ladislaum cum mandatis mittit, qui illum doceat, appetere propediem induciarum diem, qui dies esset XIIII. kal. Iulias, quas cum Baiasete pactas haberet; de quibus quae sententia fratris regis esset, se quam primum certiorem fieri, magni, et sua, et reipublicae interesse existimaret. Moveri se quidem Pontificis auctoritate praeclare suadentis, et se digna, sed non minus moveri praesentium rerum suarum statu, et vero totius Christiani orbis, qui plane deplorandus videretur, nisi deus immortalis supplicibus suorum precibus exoratus, aliquid subsidii labanti reipublicae tam necessario illius tempore afferret. Manere Maximiliano adhuc paene integrum cum Venetis bellum, atque adeo, ut perexigua spes esset, propter multas caussas, quas haud necesse haberet commemorare, brevi confectum iri. Ita cum nihil subsidii in externis armis, Vngaris, et Polonis positum esset, non videri tutum consilium, suscipi bellum, cuius tristis exitus, nullo cum pontificis usu, duorum nobilissimorum regnorum coniunctum excidium haberet; laetus non esset exspectandus, ubi, desperatis regum auxiliis, adversus Turcarum immensas vires,

domesticis subnixi suis, sumerent arma. Ad haec, verendum ne, dum inanis rumor speciem perferens veri belli, ad hostis aures perveniret; ipse terra marique potens serio praeverteret, per inanem verborum ostentationem tum Romae, tum in aliis Italiae conventibus, iactatum bellum, et in vicinum Poloniae regnum, adiunctis secum proximis Scythis, e Taurica Chersoneso, irrumperet, magna cum earum gentium, et populorum clade, quibus adversus tantam vim, atque impetum essent vires defuturae. Et hoc quidem illum sua sponte meditari molirique animo, haud ignarum, quin exeunte iam die induciarum, nisi de integro instaurarentur, hosti pro argumento essent, Christianos reges non abhorrere a belli consiliis, quod perinde esset habendum, ac si, omnibus coniunctis viribus, belli classicum canerent. Quam quidem rem veritum non opinione dubiam, sed ante oculos positam, statuisse de suorum sententia cum Baiasete agere de die induciarum proferenda, ut interea, exploratis regum consiliis, quae in praesentia longissime a spe pacis abessent, et auctus domesticis copiis, paratior, et vegetior cum ceteris, si quando, rebus compositis, id serio sibi agendum statuerent, ad bellum coiret. Accessisse ad ceteras caussas, regii aerarii angustias, quae tantae essent, ut, ne pacis quidem tempore, suppeditaretur, quantum esset satis ad alendum externum militem; quo maxime rex indigeret ad tuendos regni fines adversus Scytharum incursiones, qui, stato anni tempore, Borysthene amne transmisso, vicinas regni provincias popularentur: ut quid, belli tempore esset futurum, haud difficile esset divinare. Nam quod pontifex satis prolixe, et in belli sumptum se certam pecuniam, et minime dubia auxilia polliceretur; ag-

noscere se vero tam egregiam illius voluntatem in amicos reges, et maiestatis pontificiae perstudiosos; sed ita quidem, ut quam eius impares vires essent adeo prolixis pollicitationibus praestandis, aeque intelligeret. Quae tamen ubi etiam firmiores sua opinione essent, satius videri (in)tegras ad belli tempus reservari: quo quidem tempore, et ad conducendum ad bellum externum militem, et ad firmanda praesidiis minus tuta loca, esset futurum, ut maiore vi pecuniae foederati indigerent. Atque haec ille quidem de pontificis postulatis, haud arbitratus, tam turbulentis reipublicae temporibus reges, qui pertinacissime adversus pontificem arma retinerent, in Turcam conspiraturos; quorum attritas vires perpetuis bellis, qui sperari posse, sacro gerendo, nisi longo temporis spatio (re)stauratas pares fore? cetera acta de inito foedere cum Moldavo; cui cum Sigismundo ita convenerat, ut inter conditiones pacis, quibusdam de rebus, quarum rerum ius controversum esset, arbitrium ad Ladislaum reiiceret, cuius sententiae stari placebat. Et haec quidem ipsa actio brevis: rogabat enim Tomicius Sigismundi legatus Ladislaum, de iis ipsis controversis rebus ita statueret, ut non prius sibi spectandum censeret, quid ab illo fratris voluntas, quam quid caussae aequitas postularet: ita enim esse animo affectum, ut non gratia et auctoritate, Ladislai regis frater, et summus ipse rex, sed caussa superior videri vellet; alioqui non recusaturus, quin si secus sentiret, ac suis rationibus conducere existimaret, multo antiquiorem suam fidem omni necessitudine haberet. Reliqua erant mandata de tollendis controversiis, quae inter Sigismundum, et Albertum Brandeburgensem sororis filium intercedebant; qua de re auctor pacis Ladislaus, inter illos medius, non unis litteris, et nunciis sedulo egerat.

Iam, et hoc ipsum Iulius pontifex et Maximilianus Caesar urgebant vehementius: postulabant enim, ut Sigismundus delectos e suis ad se mitteret, quorum probatam fidem, et prudentiam haberet, per quos, facta potestate de iis rebus iudicandi, quarum ius inter illos dubium, ambiguum esset, transigeretur. Quibus Sigismundus, non sui iuris minus, quam auctoritatis tantorum principum memor, ita morem illis gerendum putabat, ut vereretur, ne, ubi facile eorum postulatis esset assensus, id, pro sui iuris praeiudicio, ab adversario arriperetur. De eo vero ita Tomicius apud Ladislaum egit: Nihil caussae Sigismundo videri, quare de suo iure decedendo, arbitrii cuiusquam faceret, quae a superioribus regibus legitimo iure possessa, ipse postremo, quo descendere adversarii superbia, et contumacia invitum coegisset, armis recuperasset. Non se fratri quod peteret negare, propterea quod de illius in se voluntate, et fide dubitaret; sed ne videretur, compromissum faciendo, caussae suae praeiudicium facere, quasi, quoniam parum caussae aequitati confideret, ad vim, et ad arma descendisset; quae quidem eventus docuisset, non adversum ius, ut adversarius videri vellet, sed pro iure esse adversus vim, atque iniuriam sumpta. Quod si tamen in ea sententia manere perseveraret, cum fratris caussa, quem coleret parentis loco, tum, ut ostenderet tanti esse apud se Maximiliani Caesaris, tanti, pontificis auctoritatem, quanti utriusque maiestatem fieri apud populos, gentesque omnes aequum esset, se Posonium tantae rei procurandae idoneos e suis homines missurum, qui ad IIX. kal. Iulias principum legatis praesto essent. Rogare fratrem, ut et ipse legatos cum liberis mandatis, et plena transigendi potestate de iis, quae in controversiam vocarentur, eodem mitteret; qui commu-

nem caussam, quando ad eum aeque pertineret, quidquid iuris Iagellonum proles in Prussiam haberet, sua auctoritate tuerentur. Postremum erat in mandatis de Opaviensi ditione, quam Sigismundus, ut videtur, a Ladislao oppignoratam, cum dies solutionis exisset, auctioni subiicere constituisset: quod ne faceret, et rem in longiorem diem differret, maiorem in modum Ladislaus postulaverat, pollicitus se, pro oppidi redemptione intra certam diem aureorum nummorum CC. millia soluturum. Quo tempore exacto, cum fides dictis non exstitisset; haud contradicente Ladislao, Opaviam cum universo eo tractu Casimiro Tensinensium regulo, eadem pecuniae summa addixerat. Quam venditionem legatus, ut Ladislaus ratam haberet, in primis rogabat, quo aequior fratri regi esset, dificillimis reipublicae temporibus vendere coacto. Quae dum ad hunc modum inter duos fratres gererentur, gravissimae expostulationes Maximiliani Caesaris de Iulio Pontifice ubique ferebantur. Eius quidem adhuc litterae leguntur, cum ad alios Christianos reges, tum ad duos fratres Ladislaum et Sigismundum reges scriptae, quorum maxime intererat, regum arma in Turcam converti, quas quidem cum his contexere visum est, ut aequi pariter, atque iniqui intelligant, Maximilianum, principem religiosissimum, non adversus pontificatum, qui illi semper, ut aequum erat, sacrosanctus fuit; sed adversus male pontificatus munus administrantem pontificem arma sumpsisse. Hoc vero erant literae scriptae argumento. Adductum se pontificis auctoritate cum ceteris regibus bellum adversus Venetos ex Cameracensi foedere suscepisse: qui alieni iuris usurpata multa per summam iniuriam possiderent, in his, quae pertinerent ad summam imperii, cuius ipse esset moderator; cuius belli primis auspiciis,

rex Gallorum Ludovicus, in Abduae campis cum iis
gnis collatis, insigni proelio victos fregisset: inde exu-
s continentis imperio, ac se recipere in proxima conti-
nti aestuaria coactos, pontifici, quas in Flaminia urbes
occupassent; Ferdinando Hispaniarum regi maritimas
alias Apuliae urbes; aliarum, quae iuris, ac ditionis im-
perii essent, sibi partem restituisse: Inde cum, iam bello
confecto, unum sibi superesset munus obeundum, ut, pro
maiestate imperii, componeret Italiae statum, quae per
tot annos quassata insignibus belli cladibus, recreanda,
constituendaque videretur: audisse pontificem religionis,
et constantiae suae oblitum, recuperatis iis, quorum caus-
sa reges concitasset ad arma; Venetos victos communes
hostes, et quidem non armis prius, quam gentium iure,
omnibus oblitteratis offensionibus, in gratiam rece-
pisse, magna cum sua, atque aliorum regum offen-
sione, quibus se iureiurando obstrinxisset, non prius
se passurum cum Venetis de compositione agi, quam
foederati reges omnia recuperassent, quae sui iuris ab
illis intercepta possiderentur. Neque vero solum victos
passum esse secum in gratiam redire, sed dignos
etiam habitos, quibus cum, novo inito foedere, societa-
tem coiret, scilicet insigni cum eorum contumelia, quo-
rum armis, impar ipse bello gerendo, vicisset, illustri
titulo foederi adscripto, ut, coniunctis viribus, et com-
municatis consiliis, Italiam, pulsis barbaris (uno enim
nomine omnes comprehendere, insigni nobilissimarum
gentium, et populorum iniuria, qui non essent in Italia na-
ti) in antiquum gloriae splendorem vindicaret. Hinc Ve-
netos, collectis animis, quos tot belli adversis casibus frac-
tos abiecissent, Patavium imperii urbem nobilissimam,
quam sua sponte a Ludovico rege victi sibi essent resti-
tuere coacti, falsis, per fraudem, portarum custodibus,

iterum occupasse, nobilissimis civibus, qui Caesarianarum partium studiosi haberentur, aut in exilium pulsis, aut ultimo supplicio affectis, aut taeterrimo carcere, ubi naturae extremum spiritum redderent, crudelissime inclusis. Neque hoc tamen illi satis fuisse: avidum Christi pontificem eorum sanguinis, quibus positis in excelso reipublicae loco tantum deberet, eadem secum religione foederis devinctis, ulterius belli faces proferendo esse progressum: conatum enim adversus Ludovicum socium regem, cuius victoriae magnum fructum retulisset, se foederis legibus solutum concitare: scilicet, ut, pulso Ludovico Maximiliani armis, mox de Maximiliano pellendo, cum aliis regibus nova consilia iniret, numquam a caedibus, incendiis, populationibus, temperaturus, quoad spes esset, per populorum gentiumque nobilissimarum excidium dominandi cupiditatem, cuius nullos sibi fines praescripsisset, expleturum. Hinc petitam Genuam maritimo bello, quae Ludovico regi pareret; quam quidem, Venetorum classe cum sua coniuncta, ne gratis videretur tantorum scelerum infamiam sustinere, speraret se suae ditionis facturum. Hinc missos ad Helvetios, qui mercede conductum militem Mediolanum adducerent, ut, hereditario iure Ludovico regi debitum principatum, mox pari virtute, et felicitate vindicatum armis eriperet, praeclarissime de se merito regi, cuius maiorum exstare in Romanos pontifices illustria pietatis monumenta Christianissimi cognomen argumento esset, hac gratia relata. Eodem impetu animi ab eo petitum Alphonsum Ferrariensium regulum, Gallorum perstudiosum hominem, uno nomine, quod a Ludovico rege, acceptus ab eo in fidem, non pateretur se avelli: cuius iniuriae tamen, si ea modo iniuria esset, potior pars ad se, penes quem esset ius summi imperii, pertineret;

cum Alphonsi maiores a superioribus imperatoribus, quorum adhuc litterae, et monumenta exstarent, maiorem ditionis suae partem beneficiario iure accepissent. Quibus de rebus cum per suos legatos cum pontifice expostulasset, monuissetque, pro summa sua, et maiorum observantia in Romanos pontifices, ut, omissis ferocioribus consiliis, pacem populis redderet, et vere aliquando de bello communi hosti inferendo cogitaret; nihil aequi ab homine iracundo, aspero, atque impotenti ingenio, licuisse impetrare: Rogatum enim maiorem in modum, ut si quid illi controversiae cum Ferrariensi esset, eius rei cognitionem ad foederatos reges reiiceret, de quorum in se fide, atque observantia minime posset dubitare; conditione se usurum negasse, qua nihil aequius tamen excogitari posset. Neque ob eam tamen caussam se passum esse Christiani regis pietatem Christi pontifice colendo, a se desiderari; cum is quidem omnium prius, quam pontificii muneris memor, se indies in amicum regem duriorem implacabilioremque redderet, praepostere arbitratus, quod rex suae pietati, et religioni daret, uti illius in se iniurias dissimularet, a metu maioris imperii .... estitutione virium proficisci, cuius quidem maiestatem imperii, ut Caesarem deceret, coleret venerabundus; sed ut non posset, sine nota violatae Augustae maiestatis, sui iuris oblivisci. Quem vero posse ferre aequo animo, qui paullo ante ad exscindendum e terris Venetorum nomen, Christianorum regum omnium arma concitasset, eum mox spoliatos maxima imperii parte, atque in paludes, et maris aestuaria reiectos, unde ad continentis imperium emersissent, socios asciscere, ad eos perdendos, quorum armis hosti sua vi adempta recuperasset? cui vero non exploratum eius in reges exteros odium? Altero quoque verbo au-

diri usurpare, ad se unum, populorum omnium votis consentientibus, delatum pontificatum, ut esset, qui Italiam aliquando, barbaris ex eius possessione deturbatis, in libertatem vindicaret: qua hominis iniuria, et contumacia tanta se adductum, cuius fidei esset summa Christianae reipublicae commendata, statuisse, cum Ludovico rege coniunctis armis, perniciosis illius consiliis obviam ire. Ita autem dei immortalis beneficio hactenus rem gestam, ut, quod satis in praesentia posset videri armis pro iusta caussa decertanti, hostium ferocia, et impetu retardato, iis, quo improba cupiditate ferrentur, non licuisset pervenire. Non se cum pontificatu bellum gerere, quem, ut deceret Christianum principem religiose, ac sancte coleret, sed, cum Iulio pontifice, qui oblitus personae maiestatis, quam gereret, et muneris pontificii, divina potestate ad perturbandum Christianum orbem abuteretur, cuius ipse rector, moderatorque esset. Id vero eo admirabilius debere videri, quo maiore pertinacia pontifex maximus, quem homines divinis honoribus venerarentur, ingravescente aetate, maximus natu in castris, in acie, in urbium oppugnationibus, inter vulnera et caedes militari ornatu conspiceretur; magno hominum terrore, qui in pontifice sacrosanctum imperium munitum armis vererentur, ignari quibus armis esset pontificis potestas munienda. Innocentiam, pietatem, religionem, sapientiam pontificum arma, non exercitus armatos, non tormenta, non tela, non gladios, quibus Iulius pontifex ferox, qui et sese ignoraret, et quo inter homines munere fungeretur, ubi continuo portae armato non aperirentur, denunciaret minitabundus, per moenia se aditum suis vi, telis, tormentis, atque armis patefacturum: Id enim soiltum usurpare, esse eiusdem pontificis, et pascendo

Christi grege, pastorale pedum, et arcendis lupis Christi gregem, ore faucibusque inhiantibus gladium gestare. Hanc animi saevitiam multo maiore cum laude, in Turcam hostem ostentandam, in quem iustius illius odium esset, quam in Christianum principem, cuius virtuti, et fidei summa Christiani imperii administranda tradita esset. Non Christi hostem a pontifice armis peti; non suscipi bellum pro Christianae reipublicae finibus propagandis; sed adversus Maximilianum Caesarem, Ludovicum regem Christianissimum, Alphonsum Ferrariensium principem, qui semper in fide et clientela Rom. pontificum fuisset, eundem Romani imperii beneficiarium, unde magna incrementa dignitatis, et potentiae semper Romanis pontificibus accessissent. Sed deum immortalem, pro ea caussa stetisse, quam ius, atque aequitas tueretur: pontificem enim, cum irriti eius conatus omnes cecidissent, hostis exitium sibi belli finem statuentis, verum, quem vellet, eventu desperato, secum de componendis controversiis, simulato ad tempus pacis studio, agere instituisse, precatum, ut Bononiam, ubi mox esset futurus, Mattheus Gurcensis Episcopus, vir summae prudentiae, et in maximis rebus spectatae, ad se, huius rei agendae caussa mitteretur. Quod quamquam minime ex animi sententia agi, sed fallaci, ac vafro consilio intelligeret: quo tamen aequi atque iniqui intelligerent, per se non stetisse, quo minus, sublatis controversiis, converterentur in Turcas arma; quod regem deceret, et administrantem Christiani orbis inperium, communicato consilio, cum regibus tum Hispano, tum Gallo pontifici obsecutum, atque, ut velle visus esset, Bononiam Gurcensem misisse, facta illi potestate, cum de aliis rebus agendi, tum de tollendis controversiis, quae integre adhuc sibi atque eaedem gravissimae cum Venetis interce-

derent. qua in re polliceretur. iis se acquissimum futurum. imprimis de Gallo rege. et Alphonso. inimico pontifici conciliando: hoc enim se iam pridem agitare animo quibus rationibus inter Christianos reges. pace constituta. eodem consensu. communibus hostibus inferretur bellum. quod magno cum dedecore. insigni cum totius Christiani orbis querela. inter Christianos reges gereretur. Cum his mandatis dimisso Gurcensi. quo maior auctoritas legationi accederet. neu ipse videretur in communi omnium caussa. separata consilia habere. egisse cum Ferdinando Hispaniarum rege. Gallorum Ludovico. ut legatos ad pontificem de compositione mitterent. quos sapientiae fama plurimum commendaret. ut eodem animorum consensu rem agerent. Qua quidem in actione gravissima eadem. et ad rempublicam constituendam. maximi momenti facile animadverti potuisse. quam inexorabilis pontifex in eos esset. quamque inexpiabili odio. a quibus semel animum. vel levissimam ob caussam alienasset: passum enim se a Ferdinandi legato adiri: ut admitteret a Ludovico rege tanto missum. nullis precibus exorari potuisse. Quae quamquam ita essent administrata: nihilominus tamen pontificem. ut fides esset. haud se abhorrere a pacis consiliis. a quibus vere abhorreret. misisse qui in itinere Gurcensi occurreret, et ut ad se venire acceleraret adhortaretur: pollicitum se, cum firmam, et solidam pacem. tum perhonorificam. et maxime ex populorum sententia. foederatis regibus. conciliaturum. Qua re cognita, Gurcensem, qui per Tridentinas alpes iam Mantuam pervenisset; de aliorum legatorum sententia, in quibus Hieronymus Vickius fuisset, qui Ferdinandi legatus ex Hispania, huius rei caussa eo advenisset; cum aliorum regum legatis, uno

Ludovici excepto Parisiorum pontifice, summae auctoritatis homine, ire properasse. Neque fuisse unam modo odii caussam pontifici Galli regis legatum non admittendi, sed alias praeterea non minus graves: in his illam praecipuam, ut, per eam occasionem, ab eo Genuam in Italia averteret, quae civitas opulentissima, quippe quae maxime civium industria et commercio exterarum gentium floreret, semper fuisset in Caesarum fide; ut non ad se minus, quam ad Ludovicum, qui ea potiretur, pontificis iniuria pertineret. Quam vero illius postulata gravia, et non ferenda essent, ob eam caussam nolle se commemorae, quod nullus tam obscurus in Europa angulus esset, quo non eorum fama pervenisset, quae essent tum in eo conventu acta. Vnum quidem haud se posse silentio praeterire: pontificem maximum, in cuius nomine, primae inter Christianos reges maiestatis, quidquid sancti homines in terris colerent, contineretur; ausum disertis verbis negare se, Cameracensi foederi, cuius ipse auctor transactorque fuisset, staturum. Quod quidem interpretari oporteret non secus, ac si, soluto vinculo humanae societatis, quae una fide, et religione officii contineretur, homines ad eadem rerum initia revocarentur; quibus quidem pro iure, et legibus vis et libido fuisset. Ergo, deplorata spe pacis, cuius amabile nomen pontifex occultis consiliis obtenderet, quae cum communibus hostibus ad convellendum reipublicae statum inita haberet, eo se recurrere coactum maiorum exemplo, sapientium hominum, quo praesens rerum status postularet, ut patrum, concilium de sua, et foederatorum sententia indiceret; cuius tamen sententiae auctores essent e Cardinalium collegio, qui inter ceteros virtutis, et sapientiae fama excellerent; quo nomine iis pontifex in-

fensus, amplissimi ordinis honorem abrogasset. Excusare se, quod, inconsultis amicissimis regibus, in hanc sententiam descendisset: veritum enim ne pontifex, odio inflammato animo, ad impediendum tam salutare consilium, certe maxime Christianae reipublicae e tot malis vindicandae opportunum, aliquid impedimenti obiiceret, praevenire voluisse. Rogare amicos reges, ut, pro sua consuetudine, bene de republica merendi, missis ad concilium delectis e suis, qui idonei maxime tantae rei gerendae haberentur, publicam caussam capesserent, quam pontifex, sacrosancti muneris parum memor, perditum iret. His Maximiliani litteris, cum fide a nobis e regio tabulario descriptis, ex quibus apparet, quantopere religiosi reges pontificis caussae favebant, discussa tota actio de sacro bello est. Neque vero cuiquam verisimile videbatur, exorientibus indies inter reges novis belli caussis, arma facile in Turcam conversum iri, quae pontifex idem belli, idem pacis auctor, omnium pertinacissimus adversus Gallum retinebat. Ita quidem erant incensi odiis animi, ut numquam longius, a pacis consiliis abfuisse crederentur, vesana quadam rabie animos rapiente, unde nullus esset a pravis consiliis receptus. Nam ad veteres offensiones, novae quotidie iniuriarum accessiones fiebant, id quod accidere erat necesse, inter gerentes arma, non solum non exstincta belli flamma spe pacis, sed vehementius etiam indies per utrimque acceptas atque illatas clades animos urente, cum utriusque eadem esset pertinacia, bellum aut hostis exitio, aut suo finiendi. Neque enim se pontifex descrebat, vir acerimus et magno animo, haud ignarus, quanta sibi esset invidia sustinenda, Maximiliano Caesare, et Ludovico rege, querelis gravissimis, per suos legatos fatiganti-

bus regum aures; quos ab inimico pontifice respiciendo avertere conabantur: Belli facem, pestem populorum, eversorem Christiani orbis, sacrosancti concilii auctoritate e pontificia sede deturbandum, quod unum telum acerrimum Romani pontifices horrerent, qui parum recte, mandatum sibi sacrum imperium administrarent. Etiam atque etiam Christianis regibus cogitandum, quorsum tenderet tam iniusta atque immanis Romanorum pontificum potentia: quibus si quantum vellent, per regum dissimulationem liceret, brevi esset futurum, id quod superioribus saeculis non semel accidisset, ut servitutis iugum magni reges subirent, privatis non ferendum, uti ad unius irati pontificis libidinem, saepe improbi, scelerati, impotenti ingenio, sibi intelligerent quae agerent dicerentque omnia conformanda, durissimas accipiendas leges, maiestatis reis caussam dicendam, regnorum maximorum possessione concedendum. Ita olim per summam iniuriam, Henricum Caesarem deiectum dignitate imperii; ita adversum unum, atque alterum Fridericum, ita adversus Philippum Pulchrum Gallorum regem universum Christianum orbem concitatum. Hoc enimvero posse ferre aequo animo, qui ius fasque homines colerent, ut inter pontificem, et reges orta controversia, sive actor pontifex, sive reus esset, sibi ius sumeret in eum pronunciandi, *quo* cum haberet controversiam institutam? ut cuius res esset, is de sua re, ut esset visum, idem reus, idem iudex statueret? Haec vulgo ferebantur, quibus irritatus superbus pontifex, infinita imperii potestate, quae apud reges exteros nondum exoleverat, facile ius suum auctoritatemque tuebatur. Itaque et apud Ladislaum per Thomam Strigoniensem Cardinalem, qui tum Romae agebat, et apud Si-

gismundum, per Ioannem Staphilaeum legatum disertum hominem, facile regum criminationes, per se satis munitus pontificii nominis auctoritate, refellebat. Eodem anno Sigismundus memorabili de Scythis victoria parta, qui perpetuis excursionibus, superioribus annis Lithvaniam vastaverant, legatos in Vngariam misit, qui fratrem regem, tum de rebus ab se gestis docerent, tum de domesticis rebus consulerent, quarum ad illum privata mandata habebant. Vixerat ad eum diem Sigismundus coelebs non sine gravi Polonorum expostulatione, qui regis fortissimi, ut regni atque imperii, ita virtutis, et felicitatis heredem poscebant. E numerosa Casimiri prole, cum Ladislaum maximum natu Boemi primum, mox Vngari sibi regem ascivissent, Albertum et Alexandrum fratres, quorum uterque regnavit, nullis superstitibus liberis, importuna eripuerat mors: Casimirum a nuptiarum studio vitae sanctitas et divinis rebus addicta mens, Fridericum Romana sacra averterant: ut unus superesset Sigismundus, in quo aut coelibe interiret, aut marito revivisceret Iagellonum proles: cuius ab interitu vindicandae, in tot fratribus deficientis, magna cura Polonos incesserat: etsi enim Ladislaus iam Ludovicum susceperat: tamquam alterius nationis, et gentis, a prima aetate in Boemorum, et Vngarorum regiam adoptatum, vix Casimiri legitimam prolem agnoscebant. Quae cum minime Sigismundum fugerent, suo ingenio facilem, et in caussa iustissima suis faventem, discedere facilius a superiore vitae instituto potuit, atque adeo, quod diuturnus usus probasset, quam iustissimas suorum querelas ulterius ferre. Ita cum non placeret, per unam delectam e suis, alias in Polonia ab se praeteritas videri, quae regnantem pari nobilitate, dispari

fortuna invitae ferrent: eo descensum est, ut ex Vngarorum nobilitate delectam, quae regiae indolis, et probitatis, ac pudoris fama excelleret, rex frater rogatus primo quoque tempore in Poloniam mitteret. Dum recenti gloria Sigismundus floreret, confecti ex sententia belli gravissimi, haec una accessio iustissima querebatur, per regias nuptias spem posteritatis in ea familia propagandae, cuius mitissimum imperium iam integrum saeculum, Poloni essent experti. Enimvero fuit hoc Sigismundi iudicium Vngaris quam honestissimum, ex quorum subole quaesitus regni haeres; fidem faceret, non fortunam solum, etiamsi esset in privato insignis, sed virtutem etiam spectatam. Excitavit quidem eius rei fama magnam in Vngaria inter regni principes aemulationem, cum sua spe quisque incitatus, aut filiam, aut propinquam, per cuius fortunam cresceret, parem regiis nuptiis fingeret; ut sibi homines, haud tacito naturae instinctu, in non optima etiam caussa blandiendo favent. Sed inter alias omnes, ubi quis discederet a suis, magno consensu Barbara virgo Ioannis Scepusii soror eminebat, non solum patris gloria, principis olim Vngaricae nobilitatis, et fratris Ioannis potentia, sed virtutis propriae commendatione; cum formae decus, morum elegantia; hanc vitae sanctitas, pudorque augeret. Vna haec in complurium delectu, in quibus maiorum nobilitatem, probitatis fama aequaret, ut aliorum, ita Ladislai iudicio digna habita, quae per Sigismundi regis torum, ad maiestatis regiae fastigium efferretur, in quacumque fortuna esset nata, ut scriptores omnes eorum temporum video affirmare, Polonos in primis, fortunae regiae par. Fertur quidem Hedvigae virginis mater, lectissima femina, per Casimirum fratrem Tensinensium ducem, cum Ladislao primum, mox, eo in

illud tempus rem distulisse, quo paene de his actum transactumque esset. Meminisse debere, cum adhortanti, ad propagandam subolem paruisset, a quo vitae genere sua sponte semper alienus fuisset; ita passum se de sententia deduci, ut tametsi iam pridem coelibem vitam, obsequutus ingenio, maritali iugo praetulisset, curam inveniendi, quae digna regio toro haberetur, is susciperet, qui auctor eius consilii esset, et frater idem et summus rex adeo, quem a primis annis sibi sanctitate patria colendum statuisset. Quod cum recepisset se facturum, eam sibi despondisse, non quam ipse maxime probasset cui esset nuptura, sed quam, ex omni Vngarica nobilitate, frater rex selegisset, natam illam quidem illustri loco, atque ex familia amplissima, sed quam regiae virtutes multae, in obscuriore etiam fortuna, dignam ostenderent, ex qua Sigismundus rex susciperet liberos, in spem maximi regni educandos. Neque se credere debuisse, temere fratrem fecisse, qui, ne quando falli tanta in re posset, cum fraternus amor, atque egregia in se voluntas, tum suorum consilium, praeter illi insitam prudentiam effecisset. Ac quamquam illius consilium alte animo condidisset, non secus, atque is vellet, facturus; conducere tamen utriusque rationibus arbitratus, primo quoque tempore rem agi; ita distulisse, multis obiectis rebus, quae volenti impedimentum, et moram afferrent; ut postremo, cum suorum preces diutius ferre non posset, hoc ipsum in dies maiore contentione, et studio a se postulantium; coactus fuerit eandem sibi despondere, quae sibi oblata a fratre tantae rei auctore fuisset. Nam cum iterum a se esset consultus; per eundem Hanelum internuncium, cuius fidem, et prudentiam spectatam haberet, multo se magis in suscepta senten-

tia confirmatum; ut non sine, gravi infamia posset, neque adeo minus fratris, quam sua, eam non ducere, de qua eius unius auctoritatem secutus, ut mitteret aliorum, quibus auctoribus in deliberando de re tanta esset usus, secum transigi passus esset: eo enim tum fuisse progressum, unde, salva maiestate regii nominis, et sua fide, quam a se desiderari numquam esset passurus, revocari haud posset. Ac cum illius pridem animus sibi ea de re exploratior esset; non dubitare se, quin ea, quae Procekius attulisset, non de sua, sed de eorum sententia sibi curasset significanda, quorum turbulenta consilia, ad perturbandum populorum otium, et quietum statum reipublicae per ordinum discidium, et nonnullorum privata studia, intenderentur. Satis quidem scire, matura usum consultatione tantum regem fecisse, ut censeret cum Scepusia domo, per affinitatis ius, amicitiae foedera iungenda; cum non ignoraret, in una ea re de utriusque regni commodis, in primis de liberorum incolumitate agi, quibus expediret, si quid patri humanitus accideret, ab eorum rationibus Scepusium non alienum esse. Vngarorum hoc esse receptum a maioribus ius, non agnoscere oblatum regem fortunae temeritate, sed delectum e multis, liberis populorum suffragiis; quae vera regum creandorum ratio, non prius gentium iure, quam naturae legibus esset in vitam hominum invecta. Quae quamquam ita se haberent, ubi, integra re, tamen, et nulla cum iactura dignitatis, discedere a suscepto consilio liceret, primo quoque tempore nuptias maturandi; quod secundo loco is velle videretur; rem in longiorem diem differre se aequissimo animo paratum: ut pro infecto haberet, quod transactum, fixum, ratum semel habitum esset, ne ipsum quidem fratrem memorem suae constantiae sib

illud tempus rem distulisse, quo paene de his actum transactumque esset. Meminisse debere, cum adhortanti, ad propagandam subolem paruisset, a quo vitae genere sua sponte semper alienus fuisset; ita passum se de sententia deduci, ut tametsi iam pridem coelibem vitam, obsequutus ingenio, maritali iugo praetulisset, curam inveniendi, quae digna regio toro haberetur, is susciperet, qui auctor eius consilii esset, et frater idem et summus rex adeo, quem a primis annis sibi sanctitate patria colendum statuisset. Quod cum recepisset se facturum, eam sibi despondisse, non quam ipse maxime probasset cui esset nuptura, sed quam, ex omni Vngarica nobilitate, frater rex selegisset, natam illam quidem illustri loco, atque ex familia amplissima, sed quam regiae virtutes multae, in obscuriore etiam fortuna, dignam ostenderent, ex qua Sigismundus rex susciperet liberos, in spem maximi regni educandos. Neque se credere debuisse, temere fratrem fecisse, qui, ne quando falli tanta in re posset, cum fraternus amor, atque egregia in se voluntas, tum suorum consilium, praeter illi insitam prudentiam effecisset. Ac quamquam illius consilium alte animo condidisset, non secus, atque is vellet, facturus; conducere tamen utriusque rationibus arbitratus, primo quoque tempore rem agi; ita distulisse, multis obiectis rebus, quae volenti impedimentum, et moram afferrent; ut postremo, cum suorum preces diutius ferre non posset, hoc ipsum in dies maiore contentione, et studio a se postulantium; coactus fuerit eandem sibi despondere, quae sibi oblata a fratre tantae rei auctore fuisset. Nam cum iterum a se esset consultus; per eundem Hanelum internuncium, cuius fidem, et prudentiam spectatam haberet, multo se magis in suscepta senten-

fortuna invitae ferrent: eo descensum est, ut ex Vngarorum nobilitate delectam, quae regiae indolis, et probitatis, ac pudoris fama excelleret, rex frater rogatus primo quoque tempore in Poloniam mitteret. Dum recenti gloria Sigismundus floreret, confecti ex sententia belli gravissimi, haec una accessio iustissima querebatur, per regias nuptias spem posteritatis in ea familia propagandae, cuius mitissimum imperium iam integrum saeculum, Poloni essent experti. Enimvero fuit hoc Sigismundi iudicium Vngaris quam honestissimum, ex quorum subole quaesitus regni haeres; fidem faceret, non fortunam solum, etiamsi esset in privato insignis, sed virtutem etiam spectatam. Excitavit quidem eius rei fama magnam in Vngaria inter regni principes aemulationem, cum sua spe quisque incitatus, aut filiam, aut propinquam, per cuius fortunam cresceret, parem regiis nuptiis fingeret; ut sibi homines, haud tacito naturae instinctu, in non optima etiam caussa blandiendo favent. Sed inter alias omnes, ubi quis discederet a suis, magno consensu Barbara virgo Ioannis Scepusii soror eminebat, non solum patris gloria, principis olim Vngaricae nobilitatis, et fratris Ioannis potentia, sed virtutis propriae commendatione; cum formae decus, morum elegantia; hanc vitae sanctitas, pudorque augeret. Vna haec in complurium delectu, in quibus maiorum nobilitatem, probitatis fama aequaret, ut aliorum, ita Ladislai iudicio digna habita, quae per Sigismundi regis torum, ad maiestatis regiae fastigium efferretur, in quacumque fortuna esset nata, ut scriptores omnes eorum temporum video affirmare, Polonos in primis, fortunae regiae par. Fertur quidem Hedvigae virginis mater, lectissima femina, per Casimirum fratrem Tenainensium ducem, cum Ladislao primum, mox, eo in

sententiam traducto, cum Sigismundo de conciliandis nuptiis egisse. Nam Ladislaus maxime fratri huius consilii auctor, Michaelem Hanelum virum spectatae prudentiae, ad eum legatum miserat, ut una cum Casimiro, qui eodem tempore Cracoviam ob eam caussam, erat profectus, de nuptiis transigeret; quibus iam Sigismundus virginis amore incensus, cum fama afferret fratris iudicio consentientia, magna in nobili virgine accessio, quam (pu)dor ornat, et dignitas formae, haud fuit in mora. Ingens quidem aut tarditas, et stupor, in re tanta oscitantis Ladislai, aut virtus et magnitudo animi notanda (si verum est, nobiles inter illum simultates, et Scepusium intercessisse) qui potuerit, soluto animo curis omnibus, quem iustus dolor, atque inde susceptum odium, et iracundia par commoveret, deligere ex inimica domo, et quidem ut etiam regia affinitas abesset, plus aequo per se potenti, quam apud regem fratrem regni honor augeret. Nam si minus sensit, regnandi cupiditate elatum hominem, per fratris regis affinitatem altius evehi, quam ut facile ad maiora contendens deiici posset; desideranda in illo prudentia, et vis consilii fuit; quae etiamsi minus a natura adesset, prudentium hominum tamen illi consilium non deerat, ne rem temere committeret, cuius esset futurum, ut, paullo post, nullo cum usu, et compendio, falsum sua opinione poeniteret; sin, cum hoc non ignoraret, animum tamen habuit in potestate; et fratri maluit consulere, quam privatis inimicitiis indulgere, magnae in eo virtutis, et plane regiae indicium fuit. Nam si qui sunt, qui in aliis parum memoriae Ladislai faveant, iidem tamen in hac una re fateantur necesse est, maximam illi laudem aequitatis, et iustitiae deberi, qui quam constanti fama excellere virtute, pudore, sanctitate morum intelligeret.

facile pateretur, per regis fratris coniunctionem, excellere honore: cum quidem, saucius animus, atque invisa inimici potentia, non esset impedimento, quominus in eo, libero iudicio uteretur: certe, ut sibi altius premendum dolorem animi, et prolixius rem agendam censeret, minime dubitandum est, quin et insignes aliae Scepusii virtutes effecerint, et comitas quaedam regia, in primis ac clementes et placidi mores, quae illi virtus ne ab inimicis quidem umquam est negata. Nam quod ad extremum in sententia non manserit, eius rei culpa omnis in Scepusii inimicos reiicienda; quorum maxime consilio Ladislaus regebatur, verentium ne inimici opes satis per se validae, ut cetera abessent, fortunae secunda aura in immensum provectae, aliquando plus aequo formidolosae essent principem gratiae locum apud regem ambientibus. Hi, cum nondum de nuptiis transactum crederetur, urgendo, obtundendoque facile a rege extorserant, qui se iis plane dedisset, ut cum aliis mandatis, Ioannem Procekium sibi fidum hominem ad fratrem legaret, qui eum ab instituta cum Scepusio affinitate deterreret, non obscura levitatis, et inconstantiae nota, et magna cum Sigismundi offensione, qui tum Polonorum principum, tum eius maxime suasu, abhorrentem sua sponte a nuptiis animum, ad virginis nuptias flexisset. Itaque cum in Vngariam ad Ladislaum eundem Tomicium legatum aliis de rebus mitteret, quas tum ab illo non ignorari, magni reipublicae intererat, privata de hac re eidem mandata dedit, querelae, atque expostulationis plena, quae non leviter commotum eius animum indicarent: Mirari se, cum aliquid accidisset, quare sibi frater censeret de nuptiis sententiam mutandam, a cuius consilio numquam discedere constituisset; in

illud tempus rem distulisse, quo paene de his actum transactumque esset. Meminisse debere, cum adhortanti, ad propagandam subolem paruisset, a quo vitae genere sua sponte semper alienus fuisset; ita passum se de sententia deduci, ut tametsi iam pridem coelibem vitam, obsequutus ingenio, maritali iugo praetulisset, curam inveniendi, quae digna regio toro haberetur, is susciperet, qui auctor eius consilii esset, et frater idem et summus rex adeo, quem a primis annis sibi sanctitate patria colendum statuisset. Quod cum recepisset se facturum, eam sibi despondisse, non quam ipse maxime probasset cui esset nuptura, sed quam, ex omni Vngarica nobilitate, frater rex selegisset, natam illam quidem illustri loco, atque ex familia amplissima, sed quam regiae virtutes multae, in obscuriore etiam fortuna, dignam ostenderent, ex qua Sigismundus rex susciperet liberos, in spem maximi regni educandos. Neque se credere debuisse, temere fratrem fecisse, qui, ne quando falli tanta in re posset, cum fraternus amor, atque egregia in se voluntas, tum suorum consilium, praeter illi insitam prudentiam effecisset. Ac quamquam illius consilium alte animo condidisset, non secus, atque is vellet, facturus; conducere tamen utriusque rationibus arbitratus, primo quoque tempore rem agi; ita distulisse, multis obiectis rebus, quae volenti impedimentum, et moram afferrent; ut postremo, cum suorum preces diutius ferre non posset, hoc ipsum in dies maiore contentione, et studio a se postulantium; coactus fuerit eandem sibi despondere, quae sibi oblata a fratre tantae rei auctore fuisset. Nam cum iterum a se esset consultus; per eundem Hanelum internuncium, cuius fidem, et prudentiam spectatam haberet, multo se magis in suscepta senten-

tia confirmatum; ut non sine, gravi infamia posset, neque adeo minus fratris, quam sua, eam non ducere, de qua eius unius auctoritatem secutus, ut mitteret aliorum, quibus auctoribus in deliberando de re tanta esset usus, secum transigi passus esset: eo enim tum fuisse progressum, unde, salva maiestate regii nominis, et sua fide, quam a se desiderari numquam esset passurus, revocari haud posset. Ac cum illius pridem animus sibi ea de re exploratior esset; non dubitare se, quin ea, quae Procekius attulisset, non de sua, sed de eorum sententia sibi curasset significanda, quorum turbulenta consilia, ad perturbandum populorum otium, et quietum statum reipublicae per ordinum discidium, et nonnullorum privata studia, intenderentur. Satis quidem scire, matura usum consultatione tantum regem fecisse, ut censeret cum Scepusia domo, per affinitatis ius, amicitiae foedera iungenda; cum non ignoraret, in una ea re de utriusque regni commodis, in primis de liberorum incolumitate agi, quibus expediret, si quid patri humanitus accideret, ab eorum rationibus Scepusium non alienum esse. Vngarorum hoc esse receptum a maioribus ius, non agnoscere oblatum regem fortunae temeritate, sed delectum e multis, liberis populorum suffragiis; quae vera regum creandorum ratio, non prius gentium iure, quam naturae legibus esset in vitam hominum invecta. Quae quamquam ita se haberent, ubi, integra re, tamen, et nulla cum iactura dignitatis, discedere a suscepto consilio liceret, primo quoque tempore nuptias maturandi; quod secundo loco is velle videretur; rem in longiorem diem differre se acquissimo animo paratum: ut pro infecto haberet, quod transactum, fixum, ratum semel habitum esset, ne ipsum quidem fratrem memorem suae constantiae sib

suasurum. Accedere ad haec omnia principum, et populorum offensionem, quos sua spe, atque exspectatione frustratos, plane sciret minime necessariam dilationem temporis iniquo animo laturos, iam imminente vere, quo tempore, propter Scytharum incursiones, oporteret regem esse in armis; atque ita hoc quidem. ut implicato bellicis curis, quibus vacare per anni rationem haud liceret, verendum esset, ne actio de nuptiis frigere, atque excidere animo crederetur. Itaque cum minime ignoraret, quanta esset fratris in se pietas, atque observantia, a quo semper cultus eximie fuisset, rogare enixe, ne induceret in animum credere, ab eo quidquam ea actione admissum, quod illi offensioni esset. Scire quidem se, a quibus haec mutatio consilii manaret; sed non ignorare simul, quae eorum ratio in ea re agenda esset: neminem enim posse fugere (minime illis improbam cupiditatem, qua flagrarent animis dissimulantibus, non eos reipublicae commoda spectare, sed privata sua, quae exercendis privatis simultatibus, et serendis inter regem, et suos discordiis, sibi comparanda statuerent: ut non solum non viderentur audiendi afferentes prava consilia, et aliena a publicis rebus, sed procul a regia arcendi (nisi) viderentur affere etiam reipublicae opportuna: eosdem enim esse, qui non ita pridem fuissent inpedimento, quo minus, ut convenisset, Vratislaviae duo reges fratres congrederentur; qui quidem congressus (ne)mo posset negare quin salutaris in primis fuisset Vngariae, et Poloniae populis futurus: scilicet, quod vererentur, ne per mutuum regum colloquium, quae scelerate in rempublicam regemque adeo ipsum animo molirentur consilia, conatusque omnes infringerentur: nihil enim sibi certius esse, quam illos unum hoc ma-

chinari, quibus rationibus, deiecto de se optime merito rege, a reipublicae gubernaculis eum ipsum, liberos, et duo regna simul exteri regis fidei tutelaeque traderent. Neque illos quae sentiant dissimulare, iam Maximilianum Caesarem designantes animis; vicinum quidem regem, et religiose colentem amicitiae iura; sed, cuius potentia quanto maior esset, tanto vicinitas propinquior doceret, positum in ipso regni limine cavendum, certe non ferendum, praevalidum regnum, ac peropulentum, non suo robore, sed unius nutu, atque arbitrio stare, qui se eius appetentissimum in regni petitione ostendisset; praesertim cum non saepius homines quid debeant, quam quid possint, velint. Iam ignorare neminem, hanc machinam admoveri a sceleratis hominibus, quibus in vi aperta nulla spes esset suppetere vires ad praesentem rerum statum labefactandum; sed unum se tamen scire, adversus improborum hominum scelerata consilia satis praesidii fratrem cum in sua gravitate, et constantia, tum in suorum sapientia. et consilio positum habere. Nam, ut minime esset de Maximiliani fide dubitandum, quae raro tamen, in optimis etiam ingeniis praestaret a dominandi cupiditate invictum animum; quam illi ipsi Maximiliano licere suscipere aliena regna administranda, Caroli nepotis tutelam gerenti, in cuius ditione tot regna opulenta, et maxima essent, ut missa fieret procuratio imperii tanta, atque aliorum, quae sui iuris essent, administratio. Vt vero illius esset egregia voluntas, unde affuturas volenti tantas opes, militem, tormenta, pecuniam, ut satis posse afferre subsidii ad tuendum ungaricum regnum, adversus Turcarum arma crederetur? quem districtum gerendis bellis gravissimis saepe aerarium deficeret, exhaustum, non solum numerosis exerci-

tibus alendis, firmandis praesidiis, urbibus, armis, telis tormentis comparandis, sed saepe minus necessariis sumptibus, a quibus natura ad dandum, et largiendum profusus cum vastus animus, atque in tanta rerum mole regenda impotens sui, nulla admitteret frena temperare haud posset? Neque tamen, quamquam undique esset otium ab externis bellis, illi facile futurum Vngaricum regnum acceptum in fidem recte administrare, nisi abiecta cura suorum, quae per longissima terrarum spatia disiunctisima, animum omnibus etiam aliis curis solutum, unius imperio regenda fatigarent. Obiectam Vngariam perpetuis bellorum incendiis, cui quidem omnium potentissimus hostis ad exitium immineret, certo praeside, et propugnatore indigere; cuius virtute et sapientia ab impendentibus undique tempestatum procellis tuta tegeretur. Grave officii pondus suscipere patrem familias, quantumvis magni usus, industrium, atque experientem, cui esset privata domus administranda: quanto gravius non unicum Vngaricum regnum, cuius tamen longe lateque fines paterent, sed multa, atque eadem regna maxima sustinere? Ac nemini iam obscurum esse, quo spectarent eorum consilia, qui haec molirentur: sperare enim impari Maximiliano, oneri sustinendo, qui tot regnorum administrandorum mole premeretur, ad eos perventuram regni procurationem, qui insigni cum gentis dedecore, auctores exstitissent regnum in provinciae formam redigendi. Ita futurum, ut vectigalia regni, portoria, metallorum fructus, quorum esset Vngaria feracissima, haberent in potestate. Eosdem hos esse homines, qui Vngariae imperio inhiantes, quo per regni exscidium modo se perventuros sperarent, domesticis viribus diffisi, et anno superiore, auctores dissoluendae actionis de Vratislaviensi con-

ventu fuissent, et nunc obstarent, fallacibus dolis utrique regno insidiantes, quo minus incepta de regiis nuptiis actio ad exitum perduceretur, quam intelligerent Poloniae pariter et Vngariae tum salutarem, tum perhonorificam futuram: veritos enim, ne per fratrum congressum perniciosa consilia, quae agitarent animo disiicerentur, id unum agere, ut inter eos novas discidii caussas serendo, aditum sibi ad ea patefacerent, unde, manente inter eos concordia, spem suam, et vota frustrati arcerentur. Quae eorum incepta, magno cum animi dolore, eo progressa cognovisset, ut iis ipsis adnitentibus, convenisset inter ordines regni, ut de iis in principum conventu ageretur, qui esset indictus ad IX. kal. Maias; quo tempore Thomas Cardinalis esset abfuturus, in cuius sapientia, et consilio maxime rex acquiesceret. Fecisse vero, pro eximia sua pietate tum in fratrem regem, tum in eius liberos, ut de imminenti illis periculo primo quoque tempore eum doceret, et, si modo relinqueret, locum monendi se, id quod ut crederet, animum inducere vix posset, etiam, atque etiam oraret, ne a sceleratis hominibus se abduci in adeo praeposteram sententiam pateretur, cui locus esse, sine certa tum Vngarici regni pernicie, tum suorum, et sua, minime posset. Id quidem cum multo ante animo providisset; optimo consilio adhortanti ad iungendam cum Scepusia domo affinitatem, se esse assensum. Fore enim sperasse, ut cum rege affinitate Scepusio coniuncto, improborum conspiratio debilitata, convulsaque langueret, qui Iagellonae familiae maiestatem, atque amplitudinem exstinctam vellent, in cuius ditione tria regna opulentissima haberentur. Nam ne videretur parum certa afferre, eorum litteris se ea habere comperta, quibus, per interpositi iurisiurandi re-

ligionem, ultro citroque missis, de communicatis inter se consiliis cavissent. Quando vero horum scelere esset factum, ut minus Vratislaviam convenirent, et de novo conventu Brunam indicendo cogitaret, qua de re per Procekium legatum monitus esset; et obtemperaturum se illius postulatis libentissime, et ad praestitutam diem affuturum: scire enim se multa inter Vngariae, et Boemiae regna intercedere, quae eadem, propter ortas controversias de Silesiae et Moraviae iure ad Polonorum regnum pertinerent, quas tolli quam primum, utriusque regni permagni interesset. Vnum rogare, ut, quod constituisset, perficere maturaret, ne, iam aestate ineunte, quo anni tempore barbarorum incursionibus obviam iri oporteret, a quibus maxime observari sua tempora non ignoraret; decedere de regni finibus magno reipublicae incommodo cogeretur. Quod ipsum tamen, ubi minus per alias regni occupationes liceret, ubicumque visum esset, se, aliis omnibus omissis consiliis, sedulo acturum: eam enim suam esse in illum observantiam, indulgentiam in liberos, ut nihil, quantumvis arduum, et magni discriminis, quod intelligeret iis commodo, ornamento, voluptati fore, eorum caussa esset deprecaturus. Atque haec quidem arcano, quae ad fratrem regem pertinentia legatus habebat in mandatis: illa palam in senatu acta; quorum erat primum caput de sacro bello: cuius cum iam spem omnem, ut iam diximus, propter regum, et pontificis discidia, abiecisset, hortabatur fratrem, ut secum aliquando, compressa Vngarorum ferocia, qui supra vires elatis animis, potentissimum hostem contemnerent, de tuendo suorum otio per longioris temporis inducias cogitaret. Nam, ut finis aliquis imponeretur intestinis bellis, quibus iam universus Christianus orbis (con)-

cussus labefactatusque (cuius rei tamen nulla certa spes ostenderetur) ita regum esse attritas vires, ut tot bellis perfunctis, una superesset reliqua cura, quibus rationibus aliqua ex parte recreari atque refici possent, spes nulla esset, ita posse recreari, ut eo tempore tuto explicari posse in Christi hostem instauratae crederentur; id quod requireret multorum spatium annorum; certe non esset eius temporis, in quo quidem barbarum hostem quiescere magni beneficii loco esset habendum. Iam quoniam plurimi interesse existimaret ad regni Vngarici securitatem, Moldavum, cuius principatus iisdem finibus a Transilvania discriminaretur, tutum agere. a Turcarum, et Tartarorum armis; rogare, ut acceptum in fidem sibi susciperet tuendum, minime dubius. quin desertus ab Vngaris, Turcis aditum patefaceret ad irrumpendum in vicinam Transilvaniam, regni provinciam nobilissimam, et peropulentam. Ita enim esse animo affectum, ut, ubi desperandum de salute esset, cum sua Vngarorum ruina coniuncta ulciscendi voluptatem esset ab eorum exitio a quibus difficillimo suo tempore esset desertus, petiturus. Nam se anno superiore, cum Tauroscytharum rege, qui Procopitae vulgo appellarentur, per suos legatos perpetuam amicitiam, et foedus postulante, ita pacem iunxisse. ut eodem foedere, multum eo repugnante, et contra tendente, Moldavum voluerit includi: id vero eo accuratius, et contentione animi maiore, quo certior a suis fieret, clam a barbaro coacto milite, copias ingentes comparari, quibus Moldavum nihil minus exspectantem. a rebus omnibus imparatum adoriretur. Neque in eo satis se visum illius securitati prospicere: delectorum militum manum e Lithvania accersitam, qui, ad subitos casus, armis oppresso a

barbaris hostibus praesidio essent, in finibus constituisse: cuius sui studii, atque officii Moldavum memorem, per legatos, quos honestandarum suarum nuptianum caussa ad se misisset, sibi, ut aequum esset, gratias egisse; fassum se illi, et suam, et salutem suorum acceptam referre: cum etiam illud addidisset, compertum se habere, Tartari consilium fuisse, ut aut filio, aut Selimo genero, qui contra Baiasetis patris voluntatem, sibi eius filiam despondisset, pulso se Moldavia, principatum conciliaret. Quod cum se minime fugeret, fretum regis fratris auxiliis, cuius eadem caussa ageretur, barbari conatibus ire obviam constituisse, ne destitutus Moldavus, cuius per se essent parum validae vires; potenti hosti, qui eius fortunis, et capiti immineret, predae relinqueretur: quod si accideret, haud dubitandum censeret, quin, successu viribus auctis, ad maiora animum intenderet, quem nulla amicitiae, aut foederis religio, quam coleret, in officio contineret. Satis vero certum illum documentum huius sui consilii dedisse, quod eo anno, id quod numquam antea facere consuevisset, citra Boristhenem amnem hibernasset; quo quidem in loco, magis contractis copiis, in omnem occasionem opprimendi Moldavum imminere diceretur. Atque hactenus quidem Moldavum dissimulato consilio, quod alte animo reconditum haberet, speciem amici principis retinuisse; quod cum violentum esset, et propterea non posset esse diuturnum; repente rediisse ad ingenium, et, aliena posita, suam induisse personam. Hominem ingratissimum, a se receptum in fidem, summae necessitudinis officiis cultum, multis insignibus amicitiae documentis, honoribus decretis honorificentissimis, non ita pridem audisse, inscio, atque inconsulto se, cum hoste paullo

ante infestissimo pacem foedusque iniisse. Id noluisse fratrem ignorare, ut statueret, de senatus sententia, qua ratione sibi esset cum homine tam barbaro, et praepostero ingenio agendum cum per se subnixo viribus non contemnendis, tum novi foederis fiducia, qua in spem rerum maiorum animum erexisset, quod quidem usque eo non dissimularet, ut vicino regi iam vix ferendus videretur. Aliud erat legationis caput de actione iniuriarum inter provinciales instituenda, quas quotidie Poloni, qui agerent in Ruthenorum finibus. sibi a vicinis Vngaris inferri querebantur. Postulabat vero Sigismundus, ut Ladislaus legatos mitteret, viros spectatae fidei, et prudentiae ad fines regni, qui cognoscerent de privatorum caussis, ac pro sua iustitia atque aequitate, de ortis inter eos controversiis constituerent: id quod pridem pollicitus se facturum, adhuc non perfecisset, ut crederet, regni curis gravioribus distentus. Id si ageret, tum delectos e suis quoque missurum se, qui communi consilio cum illius legatis, cognita re, iurgiis, et litibus, a quibus nullius auctoritate adducti haud desisterent, imponere(*n*)t finem; cui incommodo, ut quamprimum occurreretur, in primis ad quietem, et otium utriusque gentis crederetur pertinere. Rogabat praeterea maiorem in modum, ut, quod posse fieri commode a regionis peritis cognovisset, qua Ruthenorum fines ad Transilvaniam pertinerent, interiectae silvae ad oppidum Husthium usque, facto initio a Zidazoviensi agro, exscinderentur. Id si ageretur, qui mercaturas facerent, commeantes aperto itinere ad finitimorum nundinas commercii caussa, uberem proventum, et suos aeque, et Vngaros percepturos. Postremum erat caput de Iulii pontificis postulatis, quorum illud in primis in speciem honestum, et

Christi pontifice dignum, ut legati ad Maximilianum tum a Sigismundo, tum a Ladislao mitterentur, qui illum, aversum a quietioribus consiliis, ut pontifex credi volebat, ad pacem, et foedus adhortarentur; quo quidem inter Christianos reges constituto, aliquando alacrioribus animis de suscipienda in communem hostem expeditione ageretur; qua una re speciosa maxime, et plausibili, Maximilianus tegi querebatur pontificis aliena a pace consilia, alterum haud minoris momenti, ut auctoritate sua Lateranense concilium, quod adversus Pisis indictum a Maximiliano et Ludovico rege, Romam indixisset, missis ex Vngaria et Polonia legatis, comprobarent. Quae omnia, per Staphilaeum Iulii legatum agebantur, callidum hominem, et non indisertum; quo facilius Sigismundus, et Ladislaus haud dubie sua sponte pontificis perstudiosi, accusanti Iulium Maximiliano, augustae maiestatis principi, aures minus faciles praeberent. Nam ad utrumque regem missus, facile Ladislao persuaserat, Pisanum concilium non divino, non humano iure, non ex veterum patrum sanctionibus coactum, cum eius indicendi unius esset Romani pontificis potestas. Tam perditi consilii auctores delectos e cardinalium collegio unum, aut alterum turbulento ingenio homines, et cupidos rerum novarum, quos iniecta spes maximorum honorum, et praemiorum ingentium a Ludovico rege, a recta via officii, et respectu amplissimi ordinis, in quem essent adlecti, abduxisset; scilicet ne deessent, qui Christianum orbem serendis de religione discordiis, iam tertium annum perpetua procella bellorum concussum, perturbarent. Non studio pietatis concilium indici, non finiendi inter reges bella, non movendi in Turcam hostem, regum et populorum

urma, non emendandorum morum gratia, sed deii-iendi de fastigio sacri imperii sanctissimum pon-ificem, qui unus regum inceptis parum laudabilibus, ninime certe ex usu Christianae reipublicae obstaret; uae regum concordia, non armis; salutaribus consi-iis, non turbulentis, salua retineri, atque incolumis osset. A quibus vero concilium indictum? ab hosti-us pacis, atque otii, desertoribus amplissimi ordinis, ui adversus iura humana, divinaque omnia, in eius pon-ificis exitium conspirassent a quo insignibus commodis, atque honoribus aucti honestatique essent. Scilicet hoc esse institutum ambitiosorum hominum, ut quo malis artibus innitentes pervenire haud sperarent, quasi, per cuniculos tentata via, splendidis nominibus tegen-tes malam caussam pervadere conarentur. Quinque modo inventos cardinales ex omni numero, qui empti pretio, fidei et religionis suae immemores, per Chris-tiani orbis discidium, Galli regis gratia freti, et in alia sacerdotia opima, quibus se e vitae egestate, et alieno aere, quo obruerentur, vindicarent, et in pontificatum adeo invaderent; quam sibi, Iulio deiecto, animis destinarent et quidem quamquam ceteris omnibus eius-dem ordinis improbam paucorum defectionem a Christi vicario exsecrantibus; qui quando in amplissimo ordine excellere virtute haud possent; scelere excellere in nefa-riorum hominum coetu, diris omnibus, atque exsecratio-nibus, a congressu, et communicatione bonorum amoti, naluissent. His facile impulsus Ladislaus, proficiscenti Staphilaeo in Poloniam, litteras ad fratrem dederat, quibus, quae secum Staphilaeus egisset, quaeque sua e his sententia esset significabat. Nam de ceteris Sigismundo assensus, de mittendis legatis in primis, hoc unum amplius poscebat, ut quorum essent de re-

publica Christiana iidem sensus, eorum una ratio legationis esset; ut pariter, et cum Maximiliano de componendis cum Iulio controversiis agerent, et per legatos, iussos primo quoque tempore Romam ire, pontificem consolarentur, spe facta, se ei, pro sua religione, atque in pontificem observantia in his quae de comprobando Lateranensi concilio postulasset, non studio, non auctoritate, non gratia defuturos. Interea tamen Ladislaus rogabat, ut, quando Strigoniensis Cardinalis tum Romae esset, in cuius maxime fide, et sapientia, regni Vngarici summa contineretur; per eum pontifex de iis, quae pertinerent ad indictum Romae concilium sibi omnia accurate curaret significanda. Erat vero regum consilium ita Iulio in his, quae posceret, morigerari, ut non ostenderent a Maximiliani caussa alienum animum; quod in graviorum rerum consultatione difficillimum est: naturae enim instituto hominibus plus aequo suis rebus faventibus, raro is qui medium se inter dissidentes interponit, offensionem eius effugit, cui minus favet, ut maxime etiam habeat liberum a studio, atque odio animum. Id vero numquam fere non accidit, ubi eorum sunt elatiores animi, inter quos est instituta contentio, de graviore praesertim re, et maioris momenti. Nam quantumvis exiguum sit, quo in alterius caussam propendeat, ita id alter accipit, ut quasi a se ablatum per iniuriam adversario adiudicet atque alterius commodum, etiam si sit levissimum, insignem suam iniuriam faciat. Neque enim poterant fratres reges, legatos ad pontificem mittere, quin insigni praeiudicio totam Maximiliani caussam iugularent; qui sibi ius indicendi concilii sumpsisset: quam tamen auctoritatem penes imperatores fuisse iam inde a Constantini Caesaris temporibus, multis subnixus

veterum exemplis Maximilianus contendebat: contra, tanta erat pontificis in tuenda sua caussa constantia, ut qui non ostenderet a Maximiliani rationibus alienum animum, eum non secus ac si inexpiabile scelus admisisset, diris atque exsecrationibus omnibus defixum a sermone, et coetu hominum amoveret, uno Romanorum pontificum ad continendos summos reges in fide, telo acerrimo. Quidquid vero a Ladislao agebatur, id in Sigismundum auctorem, et Maximilianus et pontifex pariter reiiciebat; cuius maxime consilio tum Vngarorum res administrari non ignorabat, atque adeo, quamquam magna cum Vngarorum principum offensione, qui aegre ferebant regem cum propter animo insitam tarditatem, indigeret consilio, quo tuto carere ne sapientissimi quidem reges possunt, damnata suorum fide, ad exteros confugere; id quod in magnum gentis dedecus, et contumeliam vertebat. Hoc quidem initium simultatum inter Maximilianum et Sigismundum, de quibus alio loco pluribus agendum. Interea Ladislaus, cum de Sigismundi postulatis in arcano consilio retulisset; perrogatis sententiis, ad hunc modum Tomicio respondit: Quod frater rex celebrare nuptias aliquanto citius maturasset, quam conducere suis rationibus existimaret; accipere se vero eius excusationem aequissimo animo, quando plane id sciret, iustissimis de caussis fecisse: nihil enim sibi esse certius, quam fratrem, in quem eximia semper sua caritas, atque indulgentia fuisset, pro illius erga se amore, atque observantia, quae sibi, liberisque commodo, ornamento, voluptati futura intelligeret, et optare, et velle. Ita quamquam res secus esset acta, quam ipse agendam censuisset; sese tamen, quod reliquum esset, deum immortalem precari, ut

nuptiis fratri secundis suorum studiis, faustis populorum votis atque ominibus conciliatis, quando earum auctor crederetur, qui idem conditor rerum omnium esset deus, aeque felix eventus responderet: sperare enim ex hac coniunctione, Iagellonum prolem in Poloniae regno laeta fecunditate in multa saecula propagatum iri. De cedendo cuiquam regno, qua de re se admonitum voluisset, mirari, unde nam haec fama esset orta, minime illa quidem a vero, qua de re tamen unum modo se, quod responderet habere, temere rumoribus non esse fidem habendam, praesertim qui. nullo certo auctore, de rebus maximis ferrentur. Ita iubere illum plane de eo soluto animo ac sine cura esse. Neque sibi umquam venisse in mentem tantum flagitium admittere, et sperare in posterum, fretum pari constantia, non admissurum. Agnoscere se enimvero in tam ieiuna ac levi calumnia, malevolorum animos, qui ea de se curassent dissipanda, quae si iis quantum vellent, liceret; maxime quidem vellent ita evenire ut futura sperarent, nulla ratione fieri posse intelligerent. Quorum odium quo in se esset iniustius, eo detestandum sibi magis, atque exsecrandum. Sed ea de re, si quando daret deus, ut cum fratre congrederetur, id quod speraret brevi fore, fusius se, atque uberius acturum. Nam iam appetere diem, id quod illi per Procekium significandum curasset, in quem diem indictus conventus Boemorum, et Vngarorum esset, quo quidem ex utroque regno delecti homines essent conventuri, quibus in regis consilio dicendae sententiae de summa reipublicae ius esset; ut de minuendis controversiis agerent, quae inter utramque gentem, et multae intercederent et graves. Eo conventu peracto, in quo haud esset dubitandum, quin is rerum

eventus sequeretur, quem maxime, et Vngari, et Poloni vellent qui duorum fratrum imperio continerentur; operam daturum se ut cum fratre colloqueretur, minime dubius, quin, propter gravissimas caussas, quae hoc maxime postularent, eorum congressus, et privatim sibi, et reipublicae universae, esset magno usui, et compendio futurus. Omnia vero, dei beneficio in Vngaria esse, ut vellet. Nam et cum Scepusio sibi optime convenire, et in dies magis curae fore, ut multis officiis sibi eum devinciendo, perquam honorificam illi coniunctionem cum Iagellonum domo, et posteris adeo futuram demonstraret. Ac magnopere se dolere, Georgio Ioannis fratri, id quod illi sciret maxime esse in optatis, de Croatiae praefectura non licuisse gratificari: qua de re tamen eo minus se laborare, quo is ipse Georgii frater Ioannes, qui, cum de ea ipsa praefectura ageretur, in consilio interfuisset, suae voluntatis, et studii esse posset certior, ac locupletior testis. Haec regem fratrem noluisse praeterire; ut si qua illi suspicio in animo altius insedisset, minus sibi probari, quod esset actum, hac suae facilitatis lenitatisque significatione in Scepusios fratres perspecta, tolleretur. Haec fere Ladislaus ad ea quae Tomicius privatim egisset: quibus illud adiecit, quod uni regi arcano significari vellet: Rei iam pridem agi coeptae de Elisabetha sorore Maximiliano collocanda, qui futurus exitus esset, se adhuc ignorare; cum quidem cunctatorem illum semper suo ingenio, et tum multo magis, cum illius tempora id minus requirere viderentur, responsum procrastinaret, et diutius rem traheret, quam fratrum regum dignitati conveniret. Quae quamquam ita se haberent; non dubitare tamen, quin res ut coepta iam er(at), recte administrata, esset ex sententia

successura: quod ut accideret, esset omni ratione agendum, multis de caussis, quae fratri essent minime obscurae. Missurum se quidem quam primum ad illum legatos, qui simul de reconcilianda gratia cum pontifice agerent, simul, exploratis illius consiliis, quae illius esset de ea re sententia, ad se deferrent. Sperabat vero Ladislaus, ubi de pace Maximiliano cum Pontifice, et cum Venetis conveniret, per eius auctoritatem, Venetos de iis urbibus decessuros, quae maiorum memoria Vngarici iuris ditionisque ab iis possiderentur: sua sponte enim ill(e), se hoc daturum veteri amicitiae pollicitus erat, ut non prius de pace transigi pateretur, quam Vngaris Veneti quae per iniuriam intercepta, ut videri volebant, in Dalmatiae ora obtinerent, restituerent: cuius rei caussa etiam mitius agendum cum Maximiliano, in controversia de concilio censebat; ne si propensiore voluntate et studio viderentur inclinare in pontificis caussam; illius iam per se saucium animum pontificis iniuriis, a se alienarent. Itaque cum proxime per oratorem suum de Lateranensi concilio egisset, ita suae sententiae moderatum esse, ut prolixo responso, atque in omnem partem tuto, id quod tanti momenti actio postularet, diceret, sumpto ad deliberandum spatio, in magis idoneum tempus rem videri differendam; quam in sententiam sciret a fratre rege etiam pontifici perscriptum. Multa vero interea posse accidere, quare, integra utriusque amicitia, et nulla cum offensione, illata mentio de concilio parum opportuno tempore, tolleretur; atque hoc quidem, tametsi pontifex nulla re deterritus a suscepto consilio, rescripsisset, misso a se ad ceteros reges litterarum suarum, et fratris exemplo, uno consensu omnes sibi respondisse, neque ulterius videri

concilii diem proferendum, et aliquando serio rem agendam, in qua una facile appareret, gentium, et populorum omnium quicumque Christi nomen colerent salutem verti; quorum afflictae fortunae per tot continentia bella, nisi Deus immortalis rempublicam labantem sustineret, haud procul a ruina, atque exitio abesset. Cuius pontificis studio, ut non esset magnopere obsistendum, si (*c*) in mittendis ad Maximilianum legatis a pontifice dissentientem, caveri oportere, ne monendi illius potius, quod indignum eius nominis maiestate (es)set, iniquo animo laturus, quam rogandi caussa missa legatio videretur. Non enim dubitandum videri, quin nonnihil illius animus esset offensus, quod ad primam mentionem ab eo indicti Pisani concilii, amici reges legatos continuo, qui id sua auctoritate comprobarent, non misissent; cum eam potestatem a Constantini usque temporibus, qui principum primus initiatus Christianis sacris, Nicenum concilium indixisset, caesarum semper fuisse contenderet. Atque haec quidem de Maximiliano: cui locum relinqui ad iustam expostulationem non placebat, amico principi, et cuius ingentes opes, quid ab eo amico sperandum; quid timendum ab illius offenso, atque alienato animo, docerent. De Moldavo, e (*t*) Tauroscythis, quos foedere iunctos, se inconsulto, significaret; pro sua fide et constanti in fratrem voluntate, atque amore non neglecturum respondit. Nam sua sponte iam paratos suos (ess)e in armis, atque ubi occasio postularet, ad signa conventuros. Ad haec edicto principes ad se evocasse, quorum maxime consilio in arduis reipublicae rebus uti consuevisset, ut de eorum sententia, quae ratio ineunda adversus impendentia mala videretur, constitueret. Nam et ad Moldavum pariter, et ad Transilvanos legatos misisse, quibus negotium dedisset, ut de tol-

lendis controversiis agerent, et simul eorum consilia explorarent, ut si quando eorum auxiliis adversus communes hostes indigeret, quid de eorum in se studiis sibi esset sperandum non ignoraret. Neque tamen sibi obscurum esse quo barbarorum consilia spectarent; quorum fidem spes modo et metus, officii uterque fallax custos moderaretur: nihil enim sibi exploratius esse, quam ex aliorum eventu, positos ipsos procul a belli atque armorum discrimine, consuevisse aut spes suas fovere, aut quae metuerent propulsare; ab hoste socium, atque amicum, non officii ratione, quam nullam nossent, sed spe quaestus, et commodi discriminantes, quem unum finem gerendis administrandisque rebus propositum haberent. Scripturum se tamen ad Moldavum, quantumvis illum male animatum, et quae deficienti a melioribus consiliis imminerent, pericula denunciando, et quae speranda praemia, manenti in fide, daturum operam, ut eum in officio contineret; deterreret in primis a foedere cum Selimo et Tartaro iungendo; quibus, potitis iis quae per illius scelus, et perfidiam se adepturos sperarent, certa ipse praeda in medio positus relinqueretur. Rogare fratrem, ut interea accuratius cum suis ageret de belli apparatu, ut liceret constituere, qua commodius hostem aggrederentur, irrumpere tentantem in regni fines, neu fidem iis haberet, qui foederum religione, et gentium iure ad evertendos eos, quibus sancta essent foederum iura, abuterentur. In dubia amicorum fide, ne quando ea, aut plus quam aequum esset, aut minus credentibus fraudi esset, dandam esse operam, ut volentibus discedere ab officio, materia perfidiae subtraheretur; verendum enim proprium scelus, cum aliorum pernicie coniungerent; id quod accidere necesse esset, ubi temere iis

haberetur fides: religioni suae consulentibus, ne, quorum per se voluntas egregia esset, ea nimium diffidentium culpa, in animi alienationem, et iustum odium verteret: nullam enim haberi offensionem maiorem, in magnis animis, quam malam hominum de eorum fide existimationem: aliarum rerum iacturam ferri posse, quibus amissis, non ob id tamen sit ab hominum coetu exsulandum; non posse quemquam agere in hominum societate libero et soluto animo fide amissa, quae vitae agendae ex hominis dignitate, sit tamquam basis, et firmamentum. Vtrumque vero facile posse vitari, ubi inter beneficium, et iniuriam, inter superbum amicorum fastidium, et nimiam indulgentiam, aut prorsus nimium morigerando, aut adversando nimium contumacibus modus aliquis constitueretur. De controversiis provincialium finiendis paucis respondit: Iam superiore anno se ad regni fines oratores misisse, cum summa potestate, qui de his cognoscerent, ac pro sua prudentia atque aequitate, ut visum esset, constituerent: quod quidem ab his praetermissum se magnopere mirari: sed rem ulterius non dilaturum; neque hoc Polonorum caussa solum, sed suorum etiam, quibus implorantibus suam fidem, salua regii imperii maiestate, deesse haud posset: missurum enim primo quoque tempore legatos, quorum probitatem, et prudentiam cognitam haberet, qui expostulantibus, atque a se opem implorantibus, sua auctoritate, et consilio adessent, gravi, ac severa animadversione in pacis, atque otii perturbatores vindicaturi. Qua de re ob eam caussam se fratrem certiorem facere voluisse, ne illius legatis, si forte praeverterent, maturius advenientibus sui essent in mora. De aperienda nova ad commercium via, non eadem Vngaros, et Polonos sentire: queri enim

et superioris, et inferioris Vngariae civitates, hanc unam rationem esse excogitatam a Polonis, ad antiqua emporia tollenda, quae magno privatorum, et regii aerarii emolumento instituta, ubi alia negotiatoribus patefieret ad commercium via, pari reipublicae et populorum incommodo, propter exterorum, et indigenarum infrequentiam, brevi esset futurum, ut tollerentur. Vberes enim percipi fructus e portoriis quae tum ex peregrinis, et adventitiis mercibus omnis generis, tum ex iis, quas ex Vngaria exteri homines ad finitimas gentes importarent, exigerentur. Quae quamquam ita essent; non defuturum se tamen fratris postulatis; de quibus sponderet se quam primum in senatu relaturum, minime dubius, quin, cognita eorum aequitate, non secus, atque ipse speraret, cuperet certe, sui essent pronunciaturi. Inde exploratis suorum sententiis, enixurum se, ut nullo cum reipublicae detrimento, fratri gratificaretur, cui in omnibus rebus, quae suae potestatis essent, et a iure gentis non abhorrerent, maxime indultum vellet. Cum hoc responso Ladislaus Tomicium ad Sigismundum remisit; quem sollicitum de fratris, et liberorum salute una cura torquebat, ne deditus nimium suis, aliquid de se, et de liberis statueret, quod indignum maiorum gloria revocari sine magno dedecore, et ingenti rerum motu haud posset. Nam et si Ladislaus negabat, (id quod erat ei agendum, quem inter(dum) tanti flagitii suppuderet) res ipsa evicit, haud supervacaneam Sigismundi sollicitudinem de tam foedo fratris consilio fuisse: coniicitur enim ex his, quae Germani Scriptores tradunt, in his Cuspinianus, actionem de iungenda, inter Maximilianum et Ladislaum affinitate, de qua anno XV. est postea transactum, aliquot antea annis esse institutam,

atque hoc quidem clam, credo ob simultates, quae minime obscurae inter fratrem et Maximilianum intercedebant: satis enim sciebat, propter eas caussas, quas Tomicius exposuisset, Sigismundum minime eam affinitatis coniunctionem probaturum: sic enim rex prudentissimus iudicabat, Maximiliano Ladislaum, arctiore coniunctione devinctum, non recusaturum, quin de illius sententia, duo regna, quae in sua ditione essent, administrarentur: quod ubi accideret, haud magni faciendum putabat, Maximilianum cum re vere rex esset, nomine regem non haberi, quo quidem tam splendido titulo Ladislao cederet non invitus, ita quidem insignibus titulis, et multis honestatus, ut unus esset, a quo, propter imperii ius, et maiestatem, tituli ab aliis atque illustria ad posteritatem nomina peterentur, Enimvero non nomina rerum sapientibus, sed res spectari, quibus nomina imponerentur. Neque probabile videbatur, Sigismundum tam acriter in auctores eius consilii invehi, nisi certa res illum moveret, atque adeo, unde crederet, certum exitium regno Vngariae imminere. Raro enim, quantumvis obscura, et recondita, quae agantur, non ad regum aures manant, quibus aliud etiam agentibus, exploratorum ingens manus, quos in regia ingentium praemiorum spes alit, omnium quorum habent suspectam fidem, pectora recludit; quae caussa est, qua re admodum raro ex sententia succedant adversus magnos reges inita consilia, nisi eorum intolerabile regnum, morum immanitas, et multa documenta saevitiae consilia ineuntibus facilia reddant. Nam ne laetum eventum sortiantur, ut cetera absint, et eorum domestica potentia, quibus insidiae intenduntur, et lubrica hominum fides facit, ubi spe quaestus, et compendii sollicitatur. Et si vero magna

praemia proponantur commissa tegentibus, tamen qui tam levi ingenio sunt; auctionantium in morem, unde maiora sperant, fidem venalem addicunt. Interea Scepusius, ad ceteram potentiam, in qua erat satis nervorum, et roboris, ad maiora praesentibus audenda, ut dictum est, Sigismundi affinitate tumens, cum fortunam suam agnosceret, facto semel in regiam gradu, Ladislai animum neque sua spe, neque opinione multorum rem maiorem, per interiores amicos, de Annae filiae nuptiis tentavit, nondum decimum annum agentis, adiuvandam fortunam ultro faventem consilio, et magnitudine animi arbitratus. Omnia vero in uno erant, cumulate quae adspiranti ad regnum opportuna haberentur; nihil quod a spe consequendi quae concupisset, ut supra aliorum etiam spem essent, animum deterreret. Quod in viro principe maximum est, idem difficilli(mum), cum divitiis, copiis, clientelis, ditionis magnitudine, nobilissimae provinciae procuratione, in omnium oculos incurreret; perfecerat cum sermonis affabilita(te), tum vitae elegantia, comitate, ac facilitate morum, ut invidia non obesset, quam domesticis virtutibus superaverat, et omnium iudicio dignus haberetur, cuius, deficiente Ladislai prole, in regiis comitiis ratio haberetur. Nam si Vngari moverentur exemplo, erat recens Matthiae regis memoria, in quo quidem nihil fuit magna laude dignum, sive ab ingenio manaret, sive a parentis disciplina summi viri, quod quis in Ioanne desideraret; cum haud dubie Matthiam, maiorum nobilitate, et familiae splendore superaret; qui a patre Ioanne Hunyade modo Matthiae illuxit, tanto quidem maiore cum illius laude, quanto sibi ipse fuit clarior, atque illustrior suae fortunae auctor, sed obscurae originis tamen, unde virtute innixus ad summos

honores pervenit. Qua in re non erat Ioannes Matthia inferior: nam ea fuerant Stephani patris merita in rempub. ut satis suffragationis in his filio regnum petenti, qui multis praesertim niteretur suis, relinqueretur, quae illum merito gratiosum apud omnes ordines redderent. Nam, ut rex maxime esset a suis rationibus aversus; non diffidebat Sigismundi auctoritate, penes quem unum summa consiliorum erat, fratrem regem, iam animo deleta offensionum memoria, posse in sententiam traduci: id quidem quo honestius, petitae nuptiae ab ea domo viderentur, quam frater rex vinculo affinitatis sibi iunxisset. Ad reliquam spem propensa quaedam Sigismundi in Vngaros voluntas accedebat, iam ab eo tempore perspecta, quo Ladislaus frater eum Silesiae, atque Austriae praefecerat: qua in provincia administranda ita se gessit, ut et ipse Vngaris ingens desiderium sui reliquerit discedens, et Vngari ab eo tempore pari cum benevolentia sint domi forisque prosecuti. Sed quidquid ipse suae spei faveret, ea modo animo voluendo, quae adiuvarent altius sese efferentem ad regiae fastigium; quo minus tamen id Ladislaus sibi persuaderi pateretur, suspecta iam pridem nonnullis eius potentia faciebat, qui non magis regis studio, quam Ioannis odio (non enim deerant in magno numero, qui illi parum aequi domesticam gloriam inviderent) dandam operam censerent, ne quando (plus) aequo gravis reipublicae officeret, Ludovico in primis regni haeredi, quem aetas magis, ubi maturius opinione hominum, per regis patris mortem, aditus patefieret ad regnum, reddebat iniuriae opportunum. Nam et rex sua sponte hoc sibi persuaserat, auctum Sigismundi affinitate, ut minus illi etiam tanta accessio quaereretur, vix se ferre posse in se regem suos-

que incumbentem: ut si ad domesticas opes, accederet, per filiae nuptias, aucta potentia, plane desperaret, quamvis alioqui moderatum hominem, et fortunae suae potentem, posse in officio contineri. Quis vero crederet, avidum imperii, si modo eo morbo laborabat, ullo propinquitatis iure posse flecti ad pudoris, et officii respectum, cuius laude frui quam regno mallet! Neque interea deerant illi ipsi parum Scepusio aequi, qui crebro illa Ladislai auribus insusurrarent: Videret quo progrederetur, nimium eo fovendo, atque ornando, cuius quantae essent opes, non ignoraret; quo spectarent consilia, si quantum vellet liceret; e minime dubiis argumentis dubitare minime posset. Cognationum atque affinitatum iura facile a privatis coli, et quorum sint pertenues opes, quibus ubi ea sibi statuant violanda, raro ullum par sceleri praemium sperandum sit: aliam rationem esse eorum, qui aut male parta regna, malis artibus tueantur, quos ne liberorum quidem caritas, arctissimum naturae vinculum, securos a vi aperta, atque insidiis reddat; aut alienis immineant cupiditate regnandi. Inter eos, qui de regno contendant, posse affinitatem contrahi (nihil enim facilius) non aeque facile contrahi amicitiam posse, quae tam sancto sit digna nomine; quam quidem non honesti finibus, sed suae cupiditatis definitam habeant, quae nullis certis circumscribi finibus queat. Omnia vero ad utilitatis rationem metientes, quae fallax norma, raro officii rectas regiones teneat, in foeda flagitia, saepe immania facinora transversos agi. Nam si quando accidat, ut, parvo filio relicto, pater rex, ut sunt res humanae, impleat vitae fatum: quanto laxiorem campum Scepusio genero, quam privato ad res novandas, qui tantum domestica potentia ceteris ante-

cedat, esse patefacturum? Magno totius orbis discrimine, visas olim concurrere armatas Romanorum acies inter socerum, et generum de imperio terrarum dimicantes: inter hos vero modo? Saepe inter parentes, et liberos de summa rerum armis decertatum; quo nihil arctius, in his quae a natura exsistant, possit excogitari: ut iam minus prodigiosum debeat videri, saepe fratres adversus fratres gravissima gessisse ad internecionem bella: a quibus, pertinaci fati vi invitum trahente, ne Ladislao quidem tuto licuerit esse, qui per omnia exempla moderati animi, pietatis iura in suos semper, sanctissime coluerit. Atque horum omnium exemplum peti e Turcarum regia licere: in qua fere per eadem tempora Selimus filius a patre magno proelio victus imperio patrem victorem primo, mox provectus sceleris successu, vita deturbarit. Neque in eo Turca mitiores Christianos reges tamen umquam fuisse, quorum scelere, saepius quam rebus hominum expediat, violatum naturae ius, monumenta illustria scriptorum litteris consignata testentur. In Gallorum fastis adversus Ludovicum Pium a Lothario, Pipino, et Ludovico liberis sumpta arma, captum patrem, atque in custodia habitum, et mox abdicare se imperio coactum: cum impiis fratribus Carolum Calvum natu minimum congressum, ultorem admissi in parentem sceleris, a fratribus expetiisse poenas, Antisiodorensi proelio, post hominum memoriam maxime memorabili, amplius centum hominum millibus interfectis. His addendam Bernardi conspirationem in avum Ludovicum et mox convicti, et damnati caedem, ut Pius rex quem probitas, et sanctitas morum (ia)m nobili auxerit ad gloriam cognomento, sui immemor in effundendo suorum sanguine sit visus. Iam illa recentioris memoriae,

et quorum Ladislaus possit meminisse: Carolum Septimum, Ludovico filio capitali odio a se dissidenti, adversus regni iura, et maiorum instituta, Pio Secundo Pontifice eum legibus soluente, adimere successionis ius haereditarium conatum: Ludovicum a Carolo fratre bello petitum, cum sociatis armis cum Carolo Burgundo, et Francisco Britanno, ad eas conditiones victum descendere coegissent, quae victo durissimae et plane indignae regio nomine impositae essent, qui eundem victorem, mox fallaci foedere deceptum, veneno de medio, ut tum creditum est, (su)stulisset. In Henricum olim Caesarem filium eodem nomine armatum; proelio victum a filio patrem; redactum in potestatem; situ, et squalore carceris finire vitam coactum. Non minus clara scelerum documenta, ex annalibus Anglorum: Isabellae reginae discidium a viro Eduardo; fugam in Galliam, arma ab uxore viro illata; regno eiectum a filio patrem, captum, coniectum in carcerem, positis regiis insignibus regno se abdicare coactum. Quid illa? Ricardi in fratris liberos scelus, oppressos a tutore pupillos, a patruo fratris filios; tot bella, tot caedes, tot clades, neque exterorum, quam suorum magis, quae legentes, propter scelerum magnitudinem, horrore perfundant. Neque tamen magnopere mirandum, ita in suos efferari hominum ingenia: ubi enim sint speranda, et maxima, et multa; cupiditatem, quam spes foveat, excitari; qua elatos ita ad ea quae expetant praecipites ferri, ut nulla satis valida ratio futura sit, quae ab exitio sustineat, suo scelere, et flagitio ruentes: quam quidem rationem obtinere suas vires, ubi vigeat cupiditas, et animi intemperantia haud saepe consuevisse. Raro vero pietatem, et fidem non requiri, ubi felix, et fortunata perfidia sit: ut enim arcem, deie-

cto praesidio, hostibus patere: sic fraudibus, dolis, insidiis, malis artibus patere animum, quem non fides, iustitiae, atque innocentiae custos, tueatur. Citius conuerso naturae ordine, amnem rapidissimum recurrere ad fontes, quam praecipitem cupiditate animum ad officii religionem, ubi semel a recta via deflexerit, posse reuocari. Nihil enim verius, quam quod sapientes ferant, NVLLAM fidam regni societatem; et qui regno potiatur, consortem non pati. Quae cum ita se habeant, haud videri eos falli, qui statuant, maximos saepe reges in terris, nisi illos hinc summa virtus, hinc benevolentia populorum tutos reddat, qui esse credantur omnium mortalium beatissimi, mortalium infelicissimos habendos: quantam enim illam calamitatem, hinc amicorum catervas, hinc armatorum agmina post se trahentes, vix unum aut alterum, in magna hominum multitudine agnoscere, cui tuto vitam credant? vitae alimenta, aliena fide, suo periculo sumere assuetos! Haec crebro callidi hominnes inculcando, quae speciem officii prae se ferrent, imbecillum regis animum alienare a Scepusio conabantur, per unius inuidiam crescere sperantes, cuius magnitudinem suae tenuitati officientem non ferrent. Neque haec Scepusius ignorabat, ita contumeliae insolens, ut multa sibi danda tempori, dissimulanda multa, devorandaque adeo statueret, non ignarus quamquam spe etiam regiarum nuptiarum deiectum, iis omnium consensu se dignum haberi, quos iniustum odium a suis rationibus non alienaret. Et tulit tamen iniquo animo repulsam, et inde conceptum dolorem, imo pectore condidit; si qua se occasio daret, non dissimulaturus. Nam etiam si nullam iustam querendi quantum salua fide posset, habebat, quod filiam rex, cui visum esset negaret; quem vellet sibi

asciscceret generum, non pater solum, sed rex, qui multa sibi statuit cavenda, quae tuto negligat privatus; negatam tamen ab illo affinitatem, quam Sigismundus rex frater, eo ipso auctore, suis nuptiis honestasset; ut solent fere semper homines, iudicandis suis rebus, sibi plus aequo blandiri, in deteriorem partem accepit. Ita quidquid Ladislaus in Scepusiam familiam studii per fratris regis nuptias contulit, totum filiae negandis corrupit, in omnium animis, nisi iis moderetur excellens virtus, tenacius iniuriae, quam beneficiis memoria haerente; quae cum tristem habeat recordationem ei obnoxii animi, a quo est beneficium acceptum facile gravis, et molesta effluit, nisi continuo, per gratiae relationem, tamquam alienum aes, quidquid eo nomine debetur, dissoluatur: cuius rei non semper voluntas; raro cum voluntate facultas adest. Cum hic rerum status in Vngaria esset; dubia primum fama, inde certi nuncii ad Ladislaum Byzantio afferuntur, Selimum imperio potitum, patre medici opera quem promissis ingentibus onerasset, veneno sublato. Nam fratrem Achomatem Baiasetis liberorum natu maximum, quem pater imperii heredem designaverat, praeteritum Ianizerorum suffragiis, penes quos, vetere instituto, deligendi regem summum ius potestasque est, facile petitione deiecerat, sibi debitum patris iudicio principatum haud dubie, ut credebatur, repetiturum armis, quem frater per summum scelus, atque iuiuriam invasisset. Quae causa Selimo fuit omittendi in praesentia consilia de Vngarico bello; quod agitare animo, Sigismundus fratri regi, Baiasete adhuc vivente, significaverat, benigno nostris fato eum rapiente in Asiam, ne convulsum, eodem tempore, nobilissimum regnum domesticis discordiis, sub rege im-

perii impare; Selimo praeferoci homine ingenio apud Turcas hostes, rerum potiente externis armis, collaberetur: satis enim constat, nondum adeptum imperium, ad conciliandos sibi militum animos, male in patrem affectos, iis de inferendo bello Ladislao spem fecisse: invitos enim, et imperium detrectantes Baiasetes edixerat, se in Asiam adversus Persas educturum, avidus delendae ignominiae, quae superioribus annis, male gesta re, Turcarum nomini inusta haesisset. Qui habitus animorum cum minime Selimum fugeret, inde nactus occasionem criminandi patrem, et militarem sibi praerogativam ad capessendum imperium conciliandi, et alia multa, et magna haec cum illius invidia commemorasse ferebatur. Instauratum a patre bellum susceptum semper adversis suorum votis, populorum infaustis ominibus; numquam non infeliciter gestum, utinam non aeque semper patriae funestum futurum; scilicet ad nobilitandos Asiae campos suorum sanguine; augendos Persas perpetuos hostes gloria, optima praeda, regiis spoliis, Turcarum victores; quibus maiorum virtus totius orbis terrarum imperium destinasset. Hoc enim egisse Baiasetem, imperatorem tantum, ut partam gloriam apud nationes exteras, maximis olim rebus terra marique gestis, aeterna nota infamiae afficeret. Neque tamen Turcam hostium virtute vinci: itineris longinquitate, fame, siti, iniquitate locorum sua invictum virtute vinci; quibus quidem malis ferendis posse militem referre fortitudinis laudem, quamdiu vires adsint, quibus illa ferantur: ubi deficiant vires, virtutem in recto animi studio laudandam, qui ea audeant; quae sint adversus vim, atque industriam hominum sua natura invicta; apud prudentes homines tristis maneat nota temeritatis, (ma)iora hominum viri-

bus ausos certe non sine nominis, et gloriae iactura, quam sive virtutis et fortitudinis praemium, sive fortunae, et felicitatis, sibi praeripiant victores. Locorum imperitos, fessos longinquitate, atque asperitate itinerum, squalore, illuvie, frigore, fame enectos, pugnaturos adversus hostes vigentes animis, recentibus viribus, a milite, tormentis, a commeatu paratos, iuxta in campis, atque in montibus, alio armorum usu, aliis bellandi artibus pugnare assuetos, quibus impune Turcam hostem (f)rustra superbum, virium fiducia ludificentur. Periculum virium faciendum, ubi essent, quae vinci possent: adversus vim tempestatum, asperitatem locorum, inopiam rerum, quae non consilio, non ratione moderari homines possent, si quis sibi statueret pugnandum; cum non secus videri facturum, ac si quis classe in summis Alpium iugis, in mediis Aegaei fluctibus, equitatu pugnare se cum spe victoriae speraret. Non quaeri laudem viris fortibus, sed corrumpi partam; amitti, non quaeri decus; ubi sibi agenda susciperent, quae essent viribus hominum maiora. Non adducturum patrem suos fuisse ad delendam suorum ignominiam, sed ad hostium gloriam augendam, foediore alia, atque insigniore accepta clade; quod adeo triste omen a Turcarum regia Deus propitius averteret. Adducturum se militem multo patris meliore consilio, si dignum modo se censerent, quem imperatorem, belli ducem sequerentur, ad certam victoriam, adversus Vngaros, ac finitimos Illyrios, ubi opulenta praeda, laetissimi campi, ferax regio rerum omnium copia, atque ubertate, nihil esset, quod non facilem explicatamque victoriam sponderet, inerti obtinente regnum, non equitatu, non peditum robore, non tormentis, non belli ullo apparatu, et praesidio munitum; quae etiam

cum adsint, ubi prudentia, et vis consilii desideretur id quod tum accidat, nulla habeantur. Imperaturum militi fortissimo, se ducem iam cognitae virtutis, abesset verbo arrogantia, et quidem adversus eos, quibus nullus esset rei militaris gloria clarus dux, usu, consilio, belli artibus, nullus qui maiorem virtutem, aut insigni de hostibus parta victoria, aut alio militiae decore tueretur. Nam in rege nihil esse paesidii, qui ne regio muneri succumberet, rectore ipse, et duce indigeret, iis artibus destitutus, quibus recte magna regna, atque imperia administrarentur; ut omnia exposita victoris virtuti, et felicitati benigno adspirante fortunae numine, propitia fata portenderent, cui invicta virtus, et magnitudo animi summum in terris imperium pollicitaretur. Patrem gravem annorum mole, cum corporis viribus, vigore animi senescente, imparem rebus gerendis, veluti in tranquillam stationem, ad privatae vitae otium ablegandum; ubi senem satius esset supremo vitae munere defungi, rebus coelestibus intentum, quam per fortissimorum militum caedem, quorum invicta virtute staret Turcarum imperium, florentissimas copias, reipublicae nervos, et robur, una cum gentis gloria interire. Atque haec Selimus ad suos, ingenti quidem cum nonnullorum offensione, veteranorum praesertim, apud quos nondum Baiasetis maiestas obsoleverat; sed magno idem tamen cum multorum plausu, quos aversos ab Asiatico bello, spes uberioris militiae, novo duci conciliaverat, cuius ferociam bene sibi de illo ominantes, in magnitudinem animi, et sui fiduciam vertebant. Quarum rerum fama latius indies percrebrescens, perculsos Vngarorum animos in primis terrore implerat, immanis hostis ..... impotenti animo formidolosas

vires perhorrescentium; quae ne obstarent, male adversus vim imminentem, atque impetum munitis, positum in eius ipsius voluntate sciebant, quo infestissimo utebantur. Sed eam famam, ut diximus, disiecit Baiasetis subito audita mors; nutantem sedem imperii, non prius se fulcire posse Selimo existimante, quam ut patrem veneno, sic fratres, in his, Achomatem, qui inceptis unus maxime obstaret, tolleret armis. Neque in Vngaria modo constitit fama, sed egressa Germaniae finibus, quacumque pervaderet, vulgo hominibus ad ea, quae audirent, multa affingentibus, ubique ingentem ciens motum, pervenerat Romam, multo initiis progrediendo maior: nihil quidem certius credebatur, quam potitum Selimum Vngariae regno, id quod erat verendum, rationem eorum temporum aestimantibus; armis subactis, quae interiecta victoriam morarentur, infesta signa Romam illaturum. Tum primum coeptum solito aliquanto acrius, diligentiusque de indicendo Sacro bello agitari, ac de Vngaris vere auxilio iuvandis; quibus ita pontifex prospectum volebat, ut facile appareret, eius unam esse curam a tam immani hoste belli procellam erumpentem, ab Italia, atque ab urbe avertendi, quo nemo, ut diximus, dubitabat, quin barbarus, everso Vngariae regno, ut numquam antea memoria maiorum, et externis, et domesticis malis labefactato, immineret animo: una enim erat reliqua Vngaria Turcae obiecta arx, cuius neglectum praesidium, aditum superbo victori ad Italiae, et finitimarum gentium excidium aperiret. Auxerunt Romae terrorem missae a Ladislao ad pontificem litterae, per Martinum Colocensem internuncium, hominem navum, et industrium, quibus ad copias contrahendas, et conducendum externum militem, tamquam imminenti certo a Turca

bello, atque ad cetera comparanda, quae requireret belli usus, postulabat, ut potestas fieret, per tributi collationem, sacram pecuniam cogendi, quae ingens e sacerdotiorum decumis in Vngaria percipiebatur, religioso rege, quamquam suae potestatis esset, tributum sacerdotibus, sacrosanctis hominibus, nisi per pontificem liceret, minime imperare audente. Sed quo minus de regis postulatis transigeretur, Iulii pontificis mors interpellavit, Christianae reipublicae peropportuna, ubi in successore deligendo, magnam ostentatam occasionem eius liberandae a praesentibus malis, cardinales animo complexi non praeteriissent. Fessi populi per tot annos longa bellorum serie, quae diu Christianum orbem universum exagitaverant, non iam occultis votis, sed apertis studiis, dignum excelso in republ. loco pontificem poscebant, qui clarus sapientia, et sanctitate vitae sacrum imperium administraret, in primis, qui non sibi, et suis, sed Christianis populis susciperet pontificatum gerendum. Iam pridem tenuerat hic mos, magna cum Christianae reipublicae pernicie, per pontificatus honorem, obscuros saepe homines, facinorosos nonnumquam, et flagitiorum, ac scelerum magnitudine infames, ad summos honores ac maximarum civitatum imperia evehendi, cuius modi, patrum memoria, per Alexandri pontificatum, Caesarem filium est Italia experta; qui incensus immani dominandi cupiditate, per fratris mortem, cuius ambiebat locum, principum caedes, urbium incendia, populorum excidium, ad Italiae imperium adspiravit, omnium qui umquam fuerunt latronum, paricidarum, proditorum homo sceleratissimus. Hinc parti privatis nobilissimi principatus; maximorum regum quaesitae affinitates; bella gesta; insigni cum Italiae clade; neglecta Vngaria,

deserta, ac praedae relicta immani hosti; hinc Turcae imperium, vires, potentia aucta, et per nostrorum perpetuas aerumnas constabilita, liberae civitates in servitutem redactae; innumerabilia mala in Christianam rempubl. importata; quorum adhuc finem videmus nullum, deteriora semper praesentibus visuri, nisi illa communem temporum conditionem miseratus a suis deus propitius avertat. Iulio mortuo, cardinales de more, comitiis habitis, Leonem decimum pontificem ex Medicum familia suffecerunt; raro exemplo vicissitudinis humanarum rerum, eodem die, quo superiore anno captus in potestatem hostium venerat. Et varia quidem, ut solet, de eo hominum iudicia ferebantur, neque in Italia solum, sed apud exteras nationes etiam, apud Ladislaum maxime, cuius permagni intererat, propter impendentem a Turca belli tempestatem, quam maxime idoneum moderandae reipublicae pontificem creari, per tot annos, quibus pontificatum Iulius administravit, perpetuis belli fluctibus iactatae. Ac nonnulli quidem capti admiratione maximarum virtutum, quae novo pontifici vulgo tribuebantur continentiae, pudoris, sanctitatis non desperabant illius pontificatum, maxime ex usu reipublicae fore. Ita quidem prudentes homines de eo praeclare sentiebant, ut mandatam olim sacrosanctam potestatem feroci ingenio homini, sperarent aliquando successoris moderatione, et sapientia, cuius fidei credita esset, futuram populis salutarem, a quibus virtutibus longe Iulius abfuisset, cuius totus pontificatus, per strepitum armorum, et continentia bella, atque ea mala, quae bella sequerentur, suis pariter, atque exteris formidolosus esset traductus. Ingentis spiritus vir, et qui eam potestatem, quam gerebat, etiamsi infinita esset, cupiditate, et elatione

animi aequaret, Italiae imperio inhians, cuius se vindicem ferebat, de medio sublatis, quae spei tantae obstarent, belli incendium excitaverat, quo, si vita productior contigisset, esset Christiana respublica conflagratura. Quae hominis immanis cupiditas, ut insignior ad infamiam esset, Veneti, praeter ceteros efficiebant, quibus semper sanctissima pontificis auctoritas fuisset; ut si esset de iis rebus disceptandum, quae in controversiam verterent, religiosa civitas non recusaret, quominus de his, omissis ferocioribus consiliis, aequo iure disceptaretur, in eius potestate, cuius res esset, quo nihil aequius excogitari poterat, futura. Neque vero ut reciperet a Venetis interversas urbes, id quod tamen ipsi negabant, satis subesse caussae credebatur, per funesta arma evertendi eius civitatis imperium, in qua una esset positum summum Italiae decus; quae a supero mari, perpetuis classibus, aditum communi hosti obstrueret, Christiano nomini infestissimo; ad quem ex Europa pellendum, si verae gloriae aestu pectus flagraret, decebat Christianum pontificem regum vires concitare; neque tanta cum hominum invidia, sacro bello tantopere a gentibus populisque omnibus expetito, praevertere iniusta arma: in eo enim uno bello, non Vngariae solum regnum, sed communis omnium etiam salus vertebat, qui eandem cum Vngaris caussam, eadem sacra religionis colebant, quorum illum unum principem, et Christiani populi moderatorem, nominis magis, quam muneris maiestate, a quo longe aberat, tot malorum auctor, agnoscebant. Nam si antiquissimum quodque ius spectari oporteret, Ladislaus, ut nemo alius iustius, adversus Venetum Senatum, ius maiorum in Dalmatiae urbes armis erat repetiturus. A quo tamen tantum abfuit; ut cum iis ipsis Venetis a Baiasete vexatis

maritimo bello, superioribus annis passus esset sibi persuaderi aequis conditionibus foedus ferire, pacemque firmare, Thoma cardinali Strigoniensi eius sententiae auctore. Exstant vero apud eius temporis scriptores, quo haec gerebantur, populorum eaedem de Iulio pontifice querelae, omnium illum malorum auctorem agnoscentium, quibus per omne eius pontificatus tempus erat Italia vexata. Hominem exsecrabantur impotenti ingenio, ferocem, iracundum, in primis dominandi cupiditate elatum, ut non pateretur quemquam eo progredi augendo imperio, quo avidum animum dominandi intendisset, eius personae, quam gereret oblitus; qui suis non regna, non potestates, non imperia, sed pacem, qua nihil vellet haberi in terris maius aut melius haereditate adeundam reliquisset. Hinc illa iusto dolore expressa commemorabantur: bellum pernitiosissimum in Gallos comparatum, lacessiti armis nobilissimi Italiae reguli, Bononia obsessa, aliarum urbium exscidium, caesi exercitus, belli duces viri fortissimi, calamitates cladesque innumerabiles populis invectae, quae superbo titulo vindicandae in libertatem Italiae a pontifice maximo obtenderentur, quem non Itali modo, quasi iis tantum creatus pontifex esset, sed Galli, Germani, Hispani, Vngari, universus Christianus orbis adeo certum custodem pacis, religionis, et sacrorum praesidem agnoscerent. Neque eum malorum finem. Nam Gallis ex Italia pulsis, novos alios quaesitos hostes, alia icta foedera, novas coitiones, perniciosa alia inita consilia, et quidem adversus eos, quorum armis sua recuperasset: ut nisi deteriora animo molientem per opportunam mortem tolleret deus, misertus tot malorum, quibus vexata respublica, iactataque esset, nullus esset eorum in Europa futurus finis. Quae om-

nia quovis tempore deploranda ut acerbiora foedioraque viderentur, faciebat praesens Vngariae status, quo quidem erecti animi in exspectationem Sacri belli, inter spem, et metum, quasi ea mala praesagientes, quae inde postea essent eventura, anxii torquebantur: Adesse vicinum hostem, in quo quidem ita potentia voluntatem, voluntas potentiam aequaret, ut vix coeuntibus omnium regum viribus, et paribus animorum studiis in unius exscidium gerentium arma, sperari posset debellatum iri. Odio quidem inexpiabili in nostros elatum, quod in immensum adversa religio, et barbara superstitio augeret, ita flagrare cupiditate proferendi imperii, ut per Christianorum regum ruinam crescere, quam per eorum mallet, in quos illum aliae belli caussae, eandem colentes religionem armarent. Hunc tantum hostem, quod portenti simile esset, a Christianis regibus contra pacis studium obfirmatis animis maxime formidolosum Vngaris, et vicinis, Germanis imminere, eos Iulio pontifice excitante; qui animo infestiore in Ludovicum Gallorum regem, quam in communem hostem ferretur, praepostera ambitione, per regum et civitatum discordias viribus afflictis, quibus Christianam rempublicam stari acquum esset; nam Ludovico regi maxime infestum, qui metu indicti in Etruria concilii sperasset, tamquam freno iniecto, cogere exsultantem ferocia ad officium redire, a Pyrenaeis Hispanos, Anglos a Britannico Oceano, diversos Belgas, Germanos, Helvetios ad vastandam populandamque Galliam evocasse, nequicquam rege, nullo suo merito, se deseri atque oppugnari adeo per summam iniuriam querente; qui fatale Christiani orbis incendium, ubi diutius vixisset, terra marique pontificia auctoritate superbum, atque indomitum gerentem

animum, esset perpetuus hostis bello persecuturus. Atque haec quidem de Iulio, non vere minus, quam libere, metu homines per illius mortem defuncti, querebantur: neque iidem tamen, quamquam de illo secus fama ferretur, sibi multo meliora de novo pontifice spondebant. Commemorabantur, quae iam inde a Cosmo proavo, maiores in patriam admisissent: in suos cives malis artibus quaesitus principatus; maiore invidia gestus; Petri fratris superba dominatio, aeque patriae, atque familiae infelix. Tum illa invidiosa magis, quo recentiora et quae propterea maiore cum offensione, in hominum oculos incurrebant: comparatus multorum caedibus in patriam reditus; Pratensis urbis in Etruria exscidium; direpta, atque incensa templa, atque adeo, inspectante pontificis legato, sacrosanctae homine potestatis, in cuius unius pietate, ac religione positum victis perfugium oporteret. Quid vero Vngaros de eo posse sibi polliceri, qui, quod regnum in libera civitate quaesisset, suorum oppressa libertate; amisisset avare, et crudeliter imperando; armis patriae illatis repetiisset; per suorum ruinam, atque exitium recuperasset? Neque verum esse, qui ita foede in suos pietatis iura violasset, infestis armis patriam invasisset, victam parere suorum imperio coegisset, cum de Vngarorum salute, exterorum hominum, de Turca hoste pellendo, de sacro indicendo bello, quod magna cum gloria olim maiores gessissent; pietatis, ac verae, et solidae gloriae studio incenso animo cogitaturum. Iam et illa ante oculos obversabantur, extorris triste exsilium, proscriptio, belli incommoda, fuga, captivitas, multorum annorum res adversae, vita acta in castris, inter vulnera, et caedes; quae fidem facerent, ab omnibus aliis curis alienato animo, auctas

vires potestate infiniti imperii, ad bellum, atque ad arma conversurum, quibus suis crudelem atque iniustam in patriam dominationem constabiliret, non suis ipsum, quam Iulium exteris (ut in mali aemulatione homines deteriores fierent) aequiorem. Atque haec quidem quisque pro suo ingenio, atque animi studio. Interea Ladislaus initio Leonis pontificatus, cum XIV. Kal. april. honorem iniisset; honorificentissimam legationem Romam misit, qua pontificem de more veneratus, id quod iam coeptum erat agi Iulii pontificatu, tum de cogenda sacra pecunia, tum de foedere ineundo moneret, haud dubia spe, quin ubi Selimus audisset, reges, quod tot iam annos verbo magis, quam re agitatum esset, pace sancita in sacri belli expeditionem consensuros, esset a belli consiliis discessurus. Summa vero haec legationis, cuius adhuc exemplum exstat, quam quidem ob eam caussam placuit litteris prodi, ut posteri intelligant, huiusmodi per ea tempora pontifices Christianae reipublicae praefuisse, ut viderentur cum Turca hoste, dum Vngaros prolixis pollicitationibus, et magnificis verbis ludificarentur, collusisse. Ladislaum enixe pontificem orare pro Christi religione sanctissima, cui moderandae pontifex praeesset, proque ea virtutis, et sapientiae opinione, quam iam inde a prima sua adolescentia, apud gentes, nationesque omnes de se concitasset, aliquando, quod superiores pontifices neglexissent, serio suscipere Vngarorum caussam induceret animum, cum qua esset coniuncta communis multarum gentium, et populorum salus, atque adeo, si eorum praeclara merita, atque illustria in Christianam rempublicam multa exstarent, quorum Romanos pontifices oblivisci minime aequum esset, qui Vngaros Christianae reipublicae propugna-

tores fortissimos, praeclare de Christianae reipublicae salute meritos; quorum monumenta gloriae illustria in omnium gentium annalibus, de Turca hoste insignibus partis victoriis, consignata exstarent; saepe verbis amplissimis, ac decretis honorificentissimis appellassent. Tanto vero illum maiore cum gloria, iis afuturum, quanto maiore cum dedecore Christiani nominis, essent a nonnullis proditi, illusi, derelicti, qui cupiditatibus suis magis inservire, quam sacrosancti muneris, quo fungerentur, habere rationem maluissent. Bellum sua sponte honestissimum, et gloriosissimum, meliore reipublicae statu, et ab omni belli clade integris viribus, adversus immanem hostem susceptum, efficere rationem communium temporum necessarium; non suscipiendum illud quidem, pro Christianis imperii finibus propagandis, sed, quod ultimi discriminis esset, pro tuendis aris, et focis, dei immortalis sanctissimis delubris, coniugum, et liberorum salute, quibus servitutem indignissimam, certam pestem, atque exitium, immanis barbarus, nondum expleta dominandi cupiditate, per tot caedibus haustum suorum sanguinem, minaretur. Vnam hanc Vngaros expeditionem reliquam manere in qua aut una cum libertate victi in acie caderent, aut eam ipsam a servitutis iugo durissimo (id libere suis ominari) Leone pontifice sacram potestatem gerente, vindicarent. In eo uno consilio verti communem omnium salutem, Christiani imperii decus, populorum omnium et gentium securitatem, quibus per Vngarorum exscidium, Turcarum arma imminerent, ut per contemptum mortis, servitutis metu superato, quae non ferenda liberis hominibus, minime omnium ferenda Vngaris esset, infestissimis barbarorum hostibus, statuerent sibi . . . suorum capitibus arcenda

pro patria pugnandum, pro Christi religione, quam caste colerent, cuius templis augustissimis taeterrimus hostis, quacumque longe lateque protulisset imperii fines, ad ultimas usque gentes esset funestas faces subiecturus. Longe eos falli, qui in eo crederent Vngarorum modo salutem verti, quod periculo propiores, exorienti incendio principes obiicerentur. Hoc enim esse regibus exteris statuendum, in neglecta Vngarorum salute, Christianae reipublicae universae salutem prodi, quod qui non videret, plane esse expers omnis sensus videretur. Esse enim Vngariam quasi Christiani imperii terminum finemque circumscriptum, quem si per regum discordias hosti praepotenti liceat transcendere, quin, ubi visum sit, finitimas provincias, Turcarum arma populentur, nemo sit prohibiturus. Quemadmodum vero in eadem navi, cum naufragium impenderet, non prora, non latera, non puppis, non alia ulla eius pars ita expers periculi esset, ut navi, aut fluctibus obruta, aut scopulis illisa, sperandum esset, eius unius iactura, partem ullam incolumem fore, ita in eadem Christi navi, ad cuius gubernacula Leo pontifex maximus gubernator accessisset, sive illa rectum in portum cursum teneret, sive fluctibus iactata obrueretur, quod deus omen averteret, unam omnium salutem, unum omnium discrimen agi. Peti quidem primos a Turca Vngaros, quibus non vicinitas modo obesset, unde hosti oriretur odii occasio maior, sed gloriae etiam aemulatio, atque imperii. Primos Vngaros futuros, quorum urantur agri, exscindantur urbes, templa incendantur, coniuges, virgines filiae, liberi in servitutem rapiantur; primos, quorum fortunam homines deplorent, lugeant fatum, pestis, atque exitii eadem sibi ominantes mala, misereantur; quae mala necesse

esset illis eo graviora accidere, quo inexspectata magis ac minus provisa, imprudentes imparatosque opprimerent, facta illis a Christianis regibus spe auxiliorum ingentium. Nihil hoc verius: sed ita esse tamen Vngaros primos, ut continentem belli flammam, ubi prima conflagrarint, nisi proxima corripienti, summa ope occurratur, intelligant, magna cum populorum ruina, et strage, longe lateque Europam omnem depopulaturam. Per Vngarorum ruinam, si hoc modo sinerent nomini Christiano iniqua fata, petitum iri Germanum, Italum, Gallum, Hispanum, et haud meliore fato futurum Britannum; quamquam illum a ceteris alio orbe divisum; qui omnes non pro sua victoria inter se concurrerent armati, sed, quod vix verisimile esset eos non videre, pro victoria communis hostis, in omnium perniciem incumbentis; quam quidem illi victoriam, per mutuas caedes viribus fractis, multo sua spe efficerent faciliorem. Vnum postulare Ladislaum, postulareque adeo Sigismundum regem fratrem, cuius pietas, et religio par, caussa eadem esset; flagitare eodem consensu populos, gentesque omnes, quae in Christiano orbe continerentur (quo enim non pervenisse longe lateque iactati, numquam suscepti belli famam) ut, quae potestas uni mandata esset, Christi rempubl. moderandi, tuendi pacem, otium, ea ut multis populis, gentibus, nationibus salutaris esset. Id futurum, ubi Christi pontifex operam daret, finiendo bella, pacem firmando, foedera inter reges sanciendo, ut ad suscipiendum tam necessarium bellum, id quod dignum summi pontificis pietate, et sapientia esset, converterent animos. Neque vero Leoni pontifici tam honestum ad posteritatem futurum, capessere rempub. per Alexandri et Iulii pontificatum

tumultu bellorum quassatam; quam turpe, pati a Christiani imperii moderatore, fovendis tuendisque suis, in rerum omnium ultimo discrimine agentibus, pietatis officium requiri. Potuisse Iulium, depravato animo falsae gloriae titulo, reges exteros concitare ad arma, atque adeo non ad pellendos Turcas hostes, non ad tuendos reipub. fines, sed ad opprimendos Christianos populos, ad gerenda immania bella, effundendum innocentium sanguinem, Europam universam ferro ignique vastandam: desperaturum Leonem, omnium mortalium summo consensu divinam inter homines potestatem adeptum, in eum hostem convertere regum arma, qui, unus bello victus, propter immensas opes, multos simul reges maximos, ac potentissimos vera, ac solida gloria, fama, nomine, magnitudine imperii esset expleturus? Neque honeste, neque tuto inter eos bella geri, quibus unus communis hostis, aeque potens, atque infestus cavendus pariter omnibus metuendusque esset: utervis enim eorum caderet, quo in discrimine necesse esset eos versari, qui infestis signis armati concurrerent, eum suo exitio efficere communem hostem ad victorem opprimendum validiorem. Non a Iulio Venetos fractos armis Gallorum; non armis Helvetiorum, Gallos; sed auctas Turcae vires, hostis potentissimi corroboratam spem delendi Christiani imperii, cui uni agendae rei iamdiu immani cupiditate inhiaret. Si verae gloriae aemulatio incitaret Leonis animum, si cuius virtutis decus voluerit in tam specioso nomine apparere, eam sibi amplectendam animo putaret; quanto maiore cum gloria Vrbanum illum Secundum, cuius illustre nomen, per tot saecula vigeret, pontificem eundem vere maximum, optimum, sanctissimum, quam Iulium Secundum pontificem, Chris-

tianae reipub. eversorem verius ignoscendum libera oratione de eo pontifice agentibus, qui secus de se noluerit agi, aemulaturum? Hunc simul cum pontificatu vita functum. tristem sui memoriam posteris reliquisse: illum a cuius pontificatu quingentesimus iam annus. et septuagesimus numeraretur, in omnium ore esse. praedicari. efferri laudibus. vocibus, scriptis doctorum hominum celebrari. Per hunc vere Christi pontificem. auctorem tantum, excitatos universos Europae principes. ad liberandum terarum orbem a barbarorum servitute, atque ad propagandam Christianam rempublicam coisse. cuius in praepotenti urbe sedem, et domicilium barbara gens, atque immanis armis invasisset: uno animo, eodem consensu belli duces clarissimos, fortissimum militem ex Italia, Germania, Gallia, ultima Britannia, relictis patriis sedibus, cum una esset omnibus patria, ubicumque coleretur Christi nomen, in tam longinquam expeditionem profectos. Eodem animorum ardore suscepisse grave, difficile, arduum bellum; gessisse pari cum pietatis, et fortitudinis laude; potitos clarissima victoria; in sacrosanctae urbis moenibus. atque augustissimi templi penetralibus victricia signa fixisse. Inde perfecisse arma circumferendo, ut, cuius essent sedes coelestes orbes, summo, ac celsissimo mundi vertice, is in terris ubique gentium victor Christus regnaret. Eandem esse belli caussam pontifici Leoni, quae Vrbano fuisset; vires quae illam tuerentur maiores: ut minime dubitari oporteret, quin esset penes eos victoria futura, in quibus pro optima caussa gerentibus bellum, cum viribus, quae essent praevalidae, ubi eas in aciem eductas non attererent alter in alterius perniciem armati, esset iunctum pietatis studium par. Sive mari res esset gerenda, paratam a

Venetis instructissimam classem; qui non essent a maiorum perenni gloria discessuri, quorum semper eximium studium tuenda maiestate Christiani nominis fuisset: paratam a Ligure, Hispano, Gallo, atque eo quidem vincere magna cum gloria Christi hostes assueto, sive terra esset concurrendum, affuturum militem veteranum, multis clarum victoriis, multis duratum, et corroboratum malis; belli duces, qui rei militaris scientia, maximorum bellorum usu, clarissima virtutis insignia adepti, digni essent; qui cum veterum laude coniungerentur. Accingeret se tanto moliendo operi, cui perficiendo, unum illum vere pontificem maximum, aetate, opibus florentem, fungentem augustissimo, atque amplissimo in terris munere, dei immortalis, atque hominum consensus destinasset, pontificatus praemium nullum aut maius, aut uberius, quam inde partam gloriam apud gentes omnes, quae Christi religionem sanctissimam venerarentur, percepturum, atque adeo etiam si suis magna regna, atque imperia conciliaret, quibus potiti in altissimum dignitatis locum eveherentur. Alterum esse Ladislai postulatum, in quo uno ne longiore oratione opus esset, et qui concederet pontifex, et qui impetraret rex pietatis laude esset certaturus: ut per pontificem liceret, ex sacerdotum, et pontificum censu, lustrato regno, sacram pecuniam cogere, qua uteretur ad bellum; cum in magnis aerarii augustiis, quae ex regiis vectigalibus perciperetur, aut nulla aut perexigua haberetur: laborari aere alieno, ubique angusta fide, et, propter impendentis belli metum, minus ab exteris Vngariae emporia frequentari; ex qua una re, aut uberior proventus, aut augustior, qui totus e mercium portoriis, et scriptura constaret, esse consuevisset. Nam, propter feracitatem soli, non solum

abunde suppeditare Vngaris necessaria vitae alimenta, sed etiam frugum magnam vim, et vini copiam ingentem, tum ad vicinos Germanos, tum ad Polonos, et septemtrionalem usque Oceanum incolentes populos asportari. Hanc summam regis postulatorum esse; quae minime dubitarent, quin aequissima pontifici sapientissimo viderentur. Itaque volentes, et prudentes se illam orationis partem, missam facere, quae tota precibus atque adhortationibus constaret, quam quidem tanti pontificis tum pietas, tum sapientia minime necessariam redderet. Iam antea Leo sua sponte, inito pontificatu, ad pietatis, et religionis opinionem sibi conciliandam, Thomam Strigoniensem cardinalem legatum, cum summa potestate, Pannoniae praefecerat: ut nondum literis regiis acceptis, ultro oblati muneris laudem promeritus multo maiorem videretur. Hinc pontifex, tamquam plane explorata regi sua voluntate, cuius illi adeo insigne documentum dedisset, ad hunc maxime modum respondisse fertur: Quam prolixo animo, et quam propenso in regem esset, quando iam satis re ostendisset, declarare longiore oratione supervacaneum duxisse. Quae rex quereretur de conditione praesentium temporum, eo sibi graviora accidere, quo magis intelligeret, ea ab illis ipsis manare, a quibus, maiore cum pietatis laude arcenda viderentur. Optime se intelligere, et quidem non minore moerore animi, quam sollicitudine, et cura, verissimum esse, quod rex commemorasset; non Vngariam solum, et finitimas Vngariae provincias, quae et multae, et maximae essent; sed Europam universam in magno rerum discrimine versari: Scire quorum culpa esset factum, ut Christiani reges, quorum, ut idem periculum, ita idem animorum consensus tuenda communi salute esse debuisset, minus laboranti rei-

publicae subsidio fuissent; minus in praesentia essent: sed illud etiam non ignorare, deum immortalem, cuius sanctissimam religionem barbari hostes impiis armis oppugnarent, pro suorum caussa vigilare, supplicibus precibus ab eo opem implorantium; neque passurum diu ab illis impune in suorum capita insultari. Daturum se quidem operam, ut quas partes sibi impositas esse, aeterno consilio intelligeret, cuius personam in terris repraesentaret, eas Christiani populi a se ne desiderarent. Acturum quidem per suos legatos cum Christianis regibus, quorum nemo sibi eximius futurus esset, quem non pietatis, et religionis fama commendaret, ut aliquando letali somno experrecti, in Turcam communia arma converterent, quae in sua viscera elati immortalibus odiis, ad eum diem intorsissent. Vt numquam alias maiorum memoria, peropportunam occasionem ostentari, pellendi barbarum ex Europae finibus. Quod quidem quin brevi esset futurum, minime esset dubitandum, ubi aeterno pacis foedere coniunctis animis, unum iustum hostem agnoscerent, quem sibi armis petendum, nihil de contento studio remittentes, debellandum communibus viribus statuerent; quibus in mutuam perniciem distractis, pertinaci studio rempublicam perderent: tamquam enim hosti barbaro stipendia facientes, non inter se gerentes bella, eas vires conficere, quae, pro Christi caussa, in communes hostes explicatae, salutem populis, regibus immortalis gloriae monumenta, atque ex victi hostis exuviis aeterna ad posteritatem erigenda trophaea po(llicerentur). Vt, magno excitato incendio, quam primum flamma adhaesisset, ii accurrerent, quorum domos ulterius serpens flamma esset continuo correptura; ita eos Vngaris ire subsidio aequum esse, atque adeo non sua minus quam eorum caussa, quos

sua ope sibi iuvandos statuerent, qui ardentibus belli flammis, incendio proximi, brevi post intelligerent, nisi mature iis opem ferrent, se una cum a se desertis perituros. Quae cum se minime fugerent: nihil sibi prius fuisse in Iulii demortui locum surrogato, quam, ut ex pontificum collegio delectos viros, et spectatae prudentiae, ad reges mitteret, per quos, discordiis, et controversiis sublatis, id quod omnino brevi fore speraret, tum spe divini auxilii, tum regum virtute confisus; ad conficiendam tam taetram, atque immanem belluam, concordibus animis, adhortaretur. Id si minus ex sententia succederet (maioris enim molis rem, quam ut spes esset facile transigi posse), tum vero se per amplissimi ordinis homines, quo legationi auctoritas maior accederet, pro sua pietate in Christianam rempub. et muneris maiestate, ut inceptam rem perageret, et ad tam salutaria arma Christianos reges impelleret, omnibus viribus adnixurum. Nam de summittendis auxiliis, quibus implicati reges propriis bellis adhuc ipsi indigerent, ut maxime esset praeclara voluntas, nihil habere se, quod in praesentia responderet, cuius rei deum immortalem haberet testem: neque desperare tamen, brevi spe maiora Vngaris, atque firmiora auxilia suppeditatum iri. Ne nimium demitteret animum, neu plus aequo viribus suis diffideret, quas deus immortalis, pro cuius caussa staret, quemadmodum perenni benignitatis suae aura provexisset, fovissetque semper, ita praesens, et propitius suis, esset corroboraturus. Meminisse debere, eosdem esse Vngaros, quorum maiores vir(i) fortissim(i), insignes saepe de eodem hoste victorias, quamvis multo numero inferiores, freti constantia, et animi magnitudine retulissent. Eosdem ipsos triumphos, monumenta eadem

gloriae, statuas, imagines, honoris titulos posteris aemulandos, profligata e terris tam taetra, atque importuna barbarie, manere. Neque vero tum fuisse Vngaros alios, alios nunc esse: vigere in his eandem animi virtutem, pietatis eundem sensum, eadem pectora incensa verae gloriae studio; ut nihil causae esset, quare maioribus partam militiae gloriam inviderent: neque fuisse tum alium deum; nunc esse alium, pro cuius gloria, et suorum salute pugnarent. Vt semper fuisset, fore eundem semper aeternum, immortalem, praepotentem, vindicem suorum hostium acerrimum; cuius forti dextra fidentes Vngari, contra hostem superbum hinc maximarum virium fiducia, hinc Christiani orbis discidio, saepe steterint invicti. Cur vero dubitaret Ladislaus rex conferre cum eo hoste signa, quem cum alii saepe, tum Ioannes Huniades, patrum memoria, militem hinc Capistrano in acie adhortante, hinc Ioanne Carvaiali pontificis legato, vicerint, fuderint, castris exuerint? Et quidem Mahemetem hostem tum in acie stetisse, cum multis aliis victoriis clarum ducem, tum superbo titulo tumentem maximae captae urbis, in qua sedes imperii, et domicilium per tot saecula fuisset. Nihil autem verius, quam uno eo proelio, una cum domesticis viribus, quas imminens in Europae excidium ostentaret, eius animum fractum, quo esset universum terrarum orbem complexus. Idem coelum, eadem esse hominum ingenia, vitae eundem cultum, instituta, leges: ut nisi eadem virtus atque ardor animorum in iis spectaretur, quorum maiores tanti fuissent, haud prodigiosius monstrum videretur, quam ex aquila, avis imbellis, aut ex leone cervus, hinulusve natus. Iam pridem Vngarorum annales, quae monumenta rerum in omni posterorum memoria essent du-

ratura maiorum virtutem testari. Namque et apud omnes alias gentes, et Romae maxime, evolui doctorum hominum commentarios, Vngarorum victoriis, et triumphis refertos: plures certe iam festos dies in pontificum fastis eorum memoriae consecratos haberi, quam toto anno profestos numerari. Nam de pecunia transmittenda, nihil se habere aeque in optatis: sed multo infra optata positam agendi spem, volentis quidem praeclara molientisque adeo, sed ita, ut volentem vires deficerent: sui enim muneris esse, hoc est Christi pontificis, et vero sui etiam ingenii, omnibus quicumque in Christiana repub. censerentur, ut voluntate, et studio, sic beneficio, atque subsidio adesse, eos in primis, quorum perpetuis custodiis, et vigiliis Christiana respub. adversus hostem potentissimum inniteretur; sed quo minus efficeret, quod vellet, rationem paesentium temporum obstare: quem enim sperare a Christianis regibus aut auxiliis exteros, aut pecunia in belli sumptum posse iuvari, qui quererentur, ea ipsa sibi ad belli usum deesse, quae a se poscerentur? Ali ab his iam tot annos numerosos exercitus, tum quibus sua tuerentur, tum quibus ultro hostem lacesserent quiescentem, corruptis animis, falsis gloriae titulis; quasi dedecus esset, cum Christiani reges funestum inter se gererent bellum, ex his priorem ponere arma, et non instar insignis victoriae esset, pro Christi caussa integrum ab omni belli clade, superbo, et contumaci hosti arma inferre. Inde factum esse, ut neque quibus rationibus sumptum tolerarent, neque quibus exercitus hostium intra fines vagantes alerentur, illis amplius superesset. Exhaustos populos tributis conferendis: non percipere ex agris fructus, privatos, deustis, et vastatis per tot annos perpetuis hostium incendiis, ac

populationibus. Iam, ne qua pars reipub. vacua esset praesentibus malis, magnam opificum manum, qui armorum licentiam praeferrent diurno labori; tabernis occlusis, atque opificiis relictis, castra, et bellum sequi: quo quidem perfuncti, iam liberioris vitae dulcedine imbutis animis, se ad latrocinia conferrent; ut quorum industria esse usui patriae consuevisset; scelus et audacia, pesti, atque exitio esset. Nam, quo uno populi maxime ditari, et liberae civitates consuevissent, sublatum exterorum commercium: ut omnia armis obtinentibus, neque privatim, neque publice hominum industria, ut maxime se ad pristina vitae instituta converterent, suis quaestuosa haberetur. Itaque neque qui conducerent publica vectigalia, neque redemptores publicorum munerum, in civitatibus inveniri (si qui essent modo, qui accedere ad hastam auderent) ut quam minimo etiam licitantibus addicerentur, cum tot fracti malis, imprimis crebris tributis pendendis non essent soluendo. Iam, sua sponte ad primos belli motus, Thomam Cardinalem Strigoniensem designasse in Vngariam legatum, qui apud regem, cui maxime esset hominis fides, et prudentia probata, suo nomine ageret; ut quibuscumque in rebus, suo consilio auctoritateque indigeret, de iis aut ipse statueret, quid magis ex usu reipub. esse existimaret, aut, si mallet, se de iis faceret certiorem: ex eo quam egregia voluntate, et flagranti esset in Vngarorum gentem, facile intellecturum. Amplissimum sibi munus in terris, dei immortalis consilio, et providentia delatum, id quod se credere iuvaret, daturum operam, ut aequi, atque iniqui intelligerent vere divino consilio, et providentia administrari. Id sperare se effecturum, ubi in tam saeva, ac turbulenta tempestate iactatam tot malis

rempub. iis artibus, quae dignae Christi pontifice essent, pro sua pietate, et religione sibi temperandam, moderandamque statueret. Ita quidem se constitutum cum animo habere, pro Christi caussa vita defungenti, nullam maioris honoris accessionem, si ulla modo maior esset speranda, summum pontificatum gerenti, nullam apud posteros potiorem laudem, gloriae titulum nullum clariorem additum iri. In hanc sententiam scriptae litterae, quae adhuc in Leonis monumentis leguntur, neque regi gratae acciderunt, et querelas Vngarorum auxerunt, quorum afflictae res per tot annos, quot regnabat Ladislaus, ut praesentem exposcebant opem, sic prolixis pollicitationibus ostentatam, quam desponsam verius, quo praeter spem elusis acerbior frustratio esset, reiiciebant, multa addentes, quae iustus animi dolor, et longa patientia malorum suggerebat, quibus sanandis, praeter magnificam verborum pompam, nihil sibi subsidii positum in Romanorum pontificum auctoritate querebantur. Non grandibus, et phaleratis verbis duci viros fortes, quibus inter urbanas delicias diffluerent Romani sacerdotes, sed quae gerendo bello, et hosti potentissimo propulsando essent, armis, telis, tormentis, exercitibus, classibus, in primis quibus sumptum tolerarent, pro communi salute Christianae reipublicae Vngari arma gerentes. Et erat quidem Leo pontifex, ut tegendorum consiliorum, quae alte condidisset animo egregius artifex, ita eorum a quibus abesset, ostentator idem, et simulator acerrimus. Cuius rei, quamdiu vixit, et alia dedit documenta, et illud unum maximum, quod quidem illius litterae, et diplomata ad reges multa, eo vita functo edita in lucem declararunt. Ita enim se gessit per omne pontificatus sui tempus inter Carolum His

niae, Franciscum Galliae Regem, duos acerrimos Romani imperii aemulos, ut variis artibus se utrique venditando, a Gallo per affinitatem regii sanguinis luculenta munera, peramplas ditiones, atque opima sacerdotia referret, quibus suos augeret, spe iniecta (quod regiae munificentiae praemium esset) sua suffragatione se petenti imperium affuturum; ita paciscerētur cum altero, ut si opulentum principatum fratris filio armis conciliaret, eum legibus solueret; cum veterum pontificum sanctionibus Neapolitani reges ab imperii petitione excluderentur, quibus Carolus tenebatur, non multo ante Neapolitano regno potitus per Ferdinandi avi materni mortem, a quo illi nullis virilis sexus liberis superstitibus relictis, hereditate obveniebat. Accessit vero ad pontificis augendam invidiam fama eorum, quae Romae acta per idem tempus ferebantur, quae neque alios, et minime omnium Vngaros fallebant, quorum maxime intererat non falli: quo enim die, de more, ad Laterani, pontificatus insignia accepit, tantum dicebatur pecuniae profudisse, ut sive liberalitatis, et magnificentiae famam captaret, ea urbis annonam per annum tueri; sive sacrum bellum vere spectaret, quod unum omnium maxime credi volebat animo agitare; alere commode per annum ingentem manum militum posset. Nam si quis apparatus magnificentiam intueretur, ludos, pompam sacrorum, facta signa ex aere, et marmore antiquo opere, quibus ornatum forum Romanum, sacrae aedes, et viae publicae visebantur, nullum umquam diem lactiorem Romae illuxisse existimaret, et quidem cum vere Roma, imperium in populos, et gentes omnes obtineret: idem si haberet rationem eorum temporum, quibus ea agerentur, fateri id, quod res erat cogeretur, neque foedius, neque

maiore cum invidia distrahi pecuniam publicam a novo pontifice potuisse: ita enim erat magna cum invidia a Iulio coacervata, ut tamen et belli, et pacis tempore ad necessarios usus aeque esse compendio reipub. posset: certe, ut quis mitius de eo statueret, minime dignam rem pontifice maximo censeret, Italiae afflictis rebus exhaustis populis per bellorum perpetuas clades, privatis, et publicis fortunis, Romae in totius quasi terrarum orbis theatro, uno die tantum, in ostentationem inanis potentiae effundi, quantum unius infinita cupiditas, per multos annos, universum Christianum orbem bellorum incendiis miscendo conflasset, quasi esset hoc unum benignitatis, et munificentiae munus, quoquo modo exhaurire refertum sacrum reipub. aerarium, quod quidem ad tristia tempora et graviores reipub. casus aequum esset reserari. Haec omnia Vngari non vehementer magis, quam vere, inde futura mala horrentes animis palam ferebant. Neque vero poterant sperare, se diu tutos fore a Turcarum armis, manente foedere superioribus annis cum Baiasete icto; cuius subita, ac violenta mors, et Selimi barbara perfidia, icta foedera, quacumque de caussa, aut cum Vngaris, aut cum Polonis rescidisset. Namque uni omnia inhianti, nihil praeter vim, atque arma, non religio, non fides erant futura impedimento, quo minus, occasione oblata perveniendi quo intenderet animum, ab iniuria, et maleficio in quenquam temperaret. Vna quidem erat illi religio, eodem loco tum exterorum, tum suorum sacra habenti, ut ex ratione suorum temporum, rerum gerendarum momenta captaret, sive quid fraude, fallaciis, dolis, sive quid aperta vi moliretur, quae cupidius averet, foederis, iurisiurandi, fidei, omnium quaecumque sceleratis inceptis obsistere(n)t, superbus

centemptor. Ergo cum solliciti Vngari de patriae salute vehementius angerentur; aequiora illis fata omnium spe, atque exspectatione, Selimum ab Vngarici belli consiliis, cuius gerendi suis spem fecerat, restitantem, et tergiversantem, nunciis acceptis de patris morte, averterunt. Ad longinquum bellum profecturus, quo gerendo maturato opus erat, ne frater nactus tempus ad contrahendas copias, regni successionem dubiam faceret moram trahenti; nihil a tergo relinquere volebat, quod intentum gerendis rebus in Europam avocaret; quae gravior cura, quam ut dissimulari posset, ne vehementius torqueret animum, et cum Vngaris, et cum Venetis induciarum foedus, ut mox dicemus, percussit. Quod barbari consilium, sive fama in Vngariam perlatum, sive, quod probabilius est, praeceptum coniectura prudentium hominum, qui rationem temporum, et rerum gerendarum secuti, eo illum descensurum credebant, cum aliorum omnium animos in Vngaria, tum Ladislai maxime, cura ingenti levavit, dei immortalis providentiae acceptum referentis, quod nullo hominum consilio explicandum malum, praeter omnium opinionem disiecisset: dilatum magis in praesentia, quam sublatum, ea, quae aliquot postea annis evenerunt, non insigniore Vngarorum clade, quam Christianorum regum, et pontificum infamia docuere. Selimus igitur per Baiasetis patris mortem, et cruentam regiam suorum sanguine Turcarum imperio potitus, Byzantii regni insignia accepit; eius fines per ingentem populorum, et gentium stragem, et maxima exscissa, atque eversa imperia, longe lateque propagaturus. Inde, compositis domi rebus, milite donativo, populo congiario delinito, quem, propter admissum in patrem scelus, paricidâ crudelissimus, plurimum a suis rationi-

bus alienaverat, magnis instructus copiis, expeditionem in Asiam parabat, Achomati fratrum uni maxime infestus, qui gravis imperii aemulus supererat cum liberis de medio tollendus. Et Achomates quidem, cum imparatus a rebus omnibus fratrem irrumpentem in Asiam, sua, et omnium spe celerius, vix se posse sustinere speraret: sese in minorem Armeniam, quam appellant, atque Amasianos montes receperat: quo, propter locorum asperitatem, Selimo minime facilem accessum futurum rebatur. Hinc finitimarum gentium fidem implorando, cum, in magno rerum discrimine, adire quemque supplex, tanto infra maiestatem regii nominis, cogeretur; intentiore cura copias cogere, militem mercede conducere, auxilia accersere, arma, tela, tormenta ceteraque comparare, quae adversus fratris ingentes opes rem gerenti explicatum, et facile efficerent bellum. Quibus cognitis Selimus, cum, anni tempore exclusus a rebus gerendis, desperaret intentum fratrem adornando bello de summa rerum in certamen descensurum; et ipse in magis idoneum tempus expeditione reiecta, retro conversis signis redire, atque hiemare in Bithinia constituit: iam enim, exacta aestate, late campi longe patentes, atque altissima montium iuga nive, geluque obriguerant, magno futurae impedimento ducenti exercitum gravem impedimentis, intra Taurum, et Caucasum montem, praegelidis locis, atque obiectis saevo, atque inclementi coelo; ut haud facilem fore receptum in Europam, ulterius moranti intelligeret. Ac ne districtus cura Asiatici belli, parum tutam a tergo Thraciam, et Moesiam relinqueret, quibus terra infesti Vngari perpetuis excursionibus, mari Veneti classe imminebant, cum Ladislao, et Sigismundo, et mox cum Venetis foedus renovavit, quibus iam pridem pater cum

Baiasetes inducias erat pactus. Qua quidem re administranda, quamquam invitus, et suo maxime necessario tempore eo erat confugere coactus, haud tamen ab insita ingenio superbia, et animi contumacia recessit: ita enim prior legatos misit ad duos fratres reges, ut in edendis postulatis, legati imperantium magis, quam postulata edentium speciem prae se ferrent, certe, ut facile appareret, nihil Selimum de animi ferocia remisisse. Hoc vero argumento erant scriptae litterae, quas legati afferebant: Mittere se ad illos internuncios, fidos sibi homines, per quos iis optionem daret, utrum inire secum pacem, an gerere bellum mallent. Vtrum horum sibi agendum statuerent, et constantem se illis amicum, et hostem acerrimum fore. Inter haec medium nihil esse. Agnoscerent, quamdiu liceret, laetam suis rebus aspirantem fortunam; quae raro diu sereno vultu respiceret hominum res: non eandem illis occasionem, hac neglecta, ultro poscentibus datum iri. Ne attollerent animos, nec nimios sibi spiritus sumerent, quod domestico bello implicatum diu se abfuturum existimarent. Grave quidem sibi bellum gerendum non negare, cuius laetus exitus victori maximum in toto orbe terrarum imperium spondeat; tristis, certam ruinam victo, atque exscidium importet; sed affuturas dei immortalis beneficio, et vires, et iis animum, et virtutem adeo bello gerendo parem, quae ardua, et difficilia multis, explicatissima atque factu facillima redderet. His auditis Ladislaus, quo minus de pace transigeretur, haud fuit in mora, iis de caussis, quae iam sunt a nobis commemoratae. Iam ne Veneti quidem abhorrebant a pacis consiliis, cum per tot annos ingentes clades perpessi, quarum iam finem respiciebant, tum pacis magis, quam belli artibus, ubi per finitimos hostes liceret, tueri fines

imperii assueti: neque erat ab eorum sententia. Sigismundus alienus: qui domestico bello propulsando. quod a Moschis imminebat, ita intenderat animum; ut vix credendum esset, bellum suum proprium facturum. quod susceptum communibus regum viribus, vix esset cum spe victoriae gerendum. Stetit enim hoc semper Sigismundo, quod illi postea in magnam sapientiae opinionem vertit, ut tametsi eum Romanus pontifex monendo, hortando, castigando nonnumquam liberius, ad arma (com)pelleret: sponderet Christianorum regum auxilia, voluntarium militem ex Italia, Gallia, Germania; quod foedus, melioribus suis rebus, cum Turca icisset, nostrorum parum laetis, pari gravitate, et constantia tueretur, optimo ille quidem consilio, cum certus hostis tantus Turca urgeret; certa auxilia Christianis regibus ne volentibus quidem subministrare liceret, magna cum invidia, atque insigni totius reipublicae incommodo, aeterna inter se gerentibus bella, cuius hostes impune, quam visum erat, arma circumferendo, a suis proditam impune lacerabant. Nihil quidem verius erat, qua et Polonorum, et Vngarorum gentem vere eadem velle, quae Pontifices Romani velle videri volebant, ut laboranti reipublicae qua maxime quassata, et convulsa erat fulcienda, vera, non simulata ad tempus religione tacti opitularentur. Nam toto fere Leonis pontificatu unum verbo visum est agi, qua ratione. pace inter reges constabilita, hostes barbari ex Europae possessione pellerentur; unum vere est actum, ut pontificiis opibus aucta Medicum familia, domi foris opulenta, regna, principatusque iure, iniuria Iuliano, fratri, Laurentio fratris filio quaererentur; quae praepostera ambitio universo Christiano orbi, sed inprimis Italiae, infinitas aerumnas, cladesque invexit. Quae

res cum minime Sigismundum fugeret, in eo quidem suam religionem constantiam que retinuit, ut idem crebro pontifici urgenti, nunc unam, nunc aliam caussam afferendo, quare diceret sibi minus, quod vellet, licere, haud contumaciter, superbeque repugnaret: certo consilio absisteret ab armis, quae cum necessaria etiam efficeret, ultro bello illato, praepotens hostis; per tolerabiles conditiones, et, cum sui iuris etiam iactura aliqua, essent ponenda. Lacessere enim ultro hostem quiescentem, terra marique succinctum maximis viribus, infestum, acrem, eius est, qui validior bello gerendo, spe certa vincendi nitatur. Nam qui potentiorem aggreditur, eum certo periculo, dubia spe, belli aleam subire, in qua raro inconsultam temeritatem laetus sequitur eventus. Iam qui spem victoriae faciebant belli capessendi auctores, Rom. pontificem, Gallum, Hispanum, reges alios, quorum nomina, et illustres tituli, quasi hoc permagni fieret, magna bella gerentibus, quae firmas vires, nervosque requirerent, apparebat longe ab eorum malorum metu abfuturos; quae quidem, si quid durius accideret, id quod erat verendum, Turcarum vires, et nostrorum spectanti, victos Vngaros, et Polonos, qui haererent in finibus, manebant. Lacessitum enim armis Turcam verisimile erat primum in eos belli impetum effusurum, non in exteros reges, aut in Romanum pontificem, qui ingenti maris, et terrarum tractu ab eius armis tuti agerent. Hae Sigismundum caussae, aliae praeterea Ladislaum movebant, quae maximae et gravissimae haud Selimum fugiebant: meminerat enim barbarus inertem regem, et suo ingenio, pacis, atque otii amantem, meliore suo tempore, cum, patre implicato Persico bello, illi tum esset armorum ratio explicatissima, acbietis ferocioribus consiliis,

pacem fecisse: ut haud quaquam videretur, multo deterioribus suis rebus, petenti ultro pacem, se difficilem praebiturus. Sed, quaecumque barbari sententia fuerit de nostrorum rebus, quae de illius rebus nostrorum; intuenti animo statum eorum temporum, nulla umquam videtur nostris ostentata occasio maior, nulla opportunior, ac certior ratio sacri belli suscipiendi: quae enim hostibus reliqua salutis spes, quantumvis magnas copias viresque Selimus hostis ostentaret, ubi terra marique hinc Ferdinandus Hispanorum, Franciscus Gallorum rex, hinc Venetus Senatus, ceteri Italiae populi, a Sarmatia Sigismundus, Ladislaus ab Vngariae finibus, eodem tempore divisis partibus, longissime ab Europae finibus gravi, ac difficili bello distentum, terra marique essent adorti? Nam Vngari, tametsi corrupta maiorum disciplina, aut regis aut temporum vitio, a patria virtute nonnihil degenerassent, in omnium tamen conspiratione tanta, quo propiores periculo, hostem in finibus haberent, regno exscidium, populis servitutem, atque exitium minantem, eo minus videbantur quieturi, nondum plane in ferocibus animis maiorum virtutis memoria exstincta, quae, insigni semper cum gentis gloria subsidio Christianae reipub. terrori hosti barbaro exstitisset.

VNGARORVM MORES. Ac quando ad hunc locum ventum est, non erit alienum a suscepto scribendi munere, pauca de Vngarorum moribus, atque institutis commemorare, quorum res gestas suscepimus litteris consignandas. Namque et narratio erit legentibus iucunda, et plurimum conducet cognoscendis rebus, de quibus deinceps nobis agendum est, quae quidem huiusmodi fuerunt, ut, nisi nos amor fallit, ex earum rerum admiratione, in nobilissimam gentem sus-

ceptus, aeque eius virtutis faciant fidem, unde manarunt, ac virtus fidem facit roboris ac virium, quae in bene excultis ingeniis virorum fortium animos ad rei militaris laudem, atque ad res tantas gerendas, quarum fama implevit terrarum orbem, excitare consueverunt. Sunt Vngari, ut non ita instituti ad hanc vitae mollitiam, cui fere populi exteri student, Galli, Itali, Hispani, quos molles nonnumquam, et effeminatos libere et salse dictis salibusque perstringunt, ita eo ingenio, ut et nosse videantur, quae apud alios habeant elegantiae laudem, et, quod summae laudi est dandum, iudicio eadem videantur aspernari: horum enim intentiore cura, fluere delinitos animos, atque a rei militaris studiis avocari existimant, cui uni maxime a pueris assuescunt. Ab his enim sibi credunt suppeditari tum corporis vires, tum animorum robur, quo maxime indigent, cogente eos non solum ferocia insita animis, cuius haud facile potentes sunt, sed infesto etiam semper Turca hoste, belli artes praeferre pacis artibus, quas tamen magno in honore habent. Humanitatis, atque hospitalitatis iura, ita sancta habent, ut non patiantur ab exteris ultro citroque commeantibus, ulla apud se officia, quibus constat hominum vita desiderari: quod quidem eo dignum maiore admiratione est, quo magis barbaris undique gentibus circumfusi, in colluvione rerum omnium, quae feros mores, ritusque invehunt, ius, fas, officii religionem, et optime norint, et caste, ac religiose colant. Cetera quae adventitia, atque aliunde importata sibi alii parant ingentibus sumptibus, ita non aspernantur, ut modice utentes, et se posse aequo animo carere ostendant, et contemnant nostros, et merito quidem, qui ea putent vitae usum necessarium habere. His se exercent plurimum, quae

alendis viribus, et augendo robori conducere credantur, venatione, cursu, lucta, equorum agitatione in primis, quos immani sumptu paratos, impenso studio alunt. Non illis temere mollis stratus, non intertexta vestis auro, non picta phrygio opere; vix apud principes Belgica aulaea, Syriaca, et Memphitica tapetia, alia pretiosa supellex, pictae tabulae, signa ex aere, ex marmore: quarum rerum usque eo nostri cupidi sunt, ut vita citius, quam his posse carere credantur. Summa hieme, cum usus requirit, sub dio pernoctare, strato nivibus solo, pluvio aeque, et sereno coelo, ita adversus omnia incommoda obduratis patientia animis, ut etiamsi propinquus sit receptus in tecta, eos qui iis utantur, nisi id adversa valetudo extorqueat, tamquam fractos, mollesque aversentur. Iidem explere sitim aqua, ubi non sit vini facultas, cuius tamen sunt avidissimi, quo maior laus constantiae sit, in expeditione, et bello praesertim, et quidem ita in eo sibi imperantes, ut, quod non semel agere gregarios milites, et ex plebe homines vidimus, e scrobibus in quibus restagnare aquas pluvias videmus, et cum corruptae adeo coeno putrescunt, summa aviditate hauriant. Nam si qui sunt, qui in Germania, Gallia, in primis in Italia versati, peregrinos mores adamare in vitae cultu animadvertantur; cavillis, iocis, acerbe dictis nonnumquam, et contumeliosis verbis tamquam mulieres e virorum caetu abiecti contemptique exploduntur. Itaque ne sint ludibrio suis, nimis exactam victus curam, tamquam minime virilem, et mascula Vngarorum virtute parum dignam, aversantur, atque adeo ut cogantur saepe redimere populi convicia, abiectione eorum, quae maxime probant, quaeque usu meliora esse noverunt, haud raro insigni valetudinis iactura, cuius ne tum

quidem ullam habent rationem, cum ventum est in vitae discrimen: assuescere enim vitam contemnere, virorum fortium existimant, ut qui militiam colant; quibus sit crebro in castris, et in acie agendum, unde aditus ad decus, atque ad veram gloriam patet, usque eo humana omnia contemnant, ut maiore capitis parte abrasa, etiam cum vehementissima frigora tenent, et quae vix in hypocaustis vitantur, tecti levissimo pileo, nudo saepe capite incedant. Vnum illis praecipuum armorum studium, quae culta, ac perpolita cura acerrima, fortitudinis laudem habent; probro, ac dedecori neglecta ducuntur. Nam qui in ceteris delicias contemnunt, certe magni haud faciunt, curandis ornandisque equis, numquam sibi faciunt satis; usque eo, ut auro saepe, torquibus, ac gemmis et lapillis tecti conspiciantur, haud mollius, et delicatius, quam quae apud nos magno in honore habentur. Itaque passim multos invenias, quibus pluris stet equus, quam domus, aut fundus: cum sit eorum haud exiguus census: quod quidem eo est admirabilius, quo regio tota, et aliarum rerum omnium, et equorum feracior habetur, quos optimos gignit, et ad bellicos usus, atque itinerum laborem pernicitate, et viribus insignes; quae caussa est, cur ab exteris cupide expetantur. Neque ob id tamen suis contenti, minore studio e peregrino orbe quaerunt: petunt ubicumque fama sit, e generoso pecore, aptiores ad belli usum ali: in his, quorum prima apud illos laus est, e vicinae Thraciae armentis; quos idoneos nacti, quo minus potiantur, numquam magnitudine pretii deterrentur, atque adeo etiamsi vendendus ager, aut fundus sit, unum illud vitae subsidium reliquum habenti: neque hoc illi tamen sine certa caussa, militares homines, crebris excursionibus ita cum hoste

Turca proeliari assueti, ut virtuti semper, ubi bene res gesta sit; saepe minus gesta ex sententia salutem uni equo referant acceptam. Litteris se minus dedunt, sed ut magno eos honore prosequantur, qui sive ex suis, sive ex exteris, atque hoc quidem ne videantur facere contemptione, studiis ingenuarum artium excellant: Matthiae regis tempore certe, id quod testantur exterorum hominum monumenta multa, quae illi inscripta leguntur, nulla in toto Christiano orbe regia frequentior doctis hominibus fuit, nullius regis nomen maiore cum gloria, et apud suos, et apud exteros est pervagatum. Incensus quidem huius laudis studio, bibliothecam luculentam in primis construxisse fertur, accitis undique, e Graecia praesertim, qui magnis illecti praemiis veterum scripta ad se afferrent; quae studio acerrimo asservanda in urbe regia curavit. Quod vero Vngari minus cupidi huius laudis, quam ceteri videantur, facit, ut alibi diximus, Turca hostis in vestigiis haerens, qui non patitur, quo animi propendent, in aliarum ingenuarum artium studiis, quae sunt pacis atque otii versari anxios metu mali imminentis, qui ad rei militaris gloriam, et bellicas artes capessendas, aliis neglectis omnibus, volentes nolentesque impellit; posse aeque (vi)ros tum subnixos ingenio, tum studio gloriae incensos pervenire, quo ex aliis nationibus multi, eorum scripta docent, qui, rege potiente rerum perstudioso doctorum hominum, et favente ingeniis, in pacato, et tranquillo regni statu, frui securo otio, et vacuo omni cura animo scribere potuerunt. Languent vero inter arma mitiora studia, et, ubi ab hoste datum pugnae signum auditur, obstrepitur in scholis sapientiam docentibus, quae non campum, solem, aciem, pulverem, sed Lycaeum, Academiam, Porticum requirit,

quae praeclara nomina immani Turcarum barbarie e terris sublata, in scriptorum vix monumentis exstant, quae lues teterrima ne ulterius serpens inficiat universum Christianum orbem, una Vngarorum virtus, et fortitudo efficit, quae tamquam arx munitissima praepotenti hosti obiecta, non multum spatii excolendis ingenuis artibus maxime etiam volentibus relinquit. Atque eadem haec illis caussa, cur minus laute, et luculenter habitent, minusve studeant aedificiorum elegantiae, sacrarum aedium, thermarum, aliarumque substructionum pompae, quae tanto studio hoc tempore ab exteris gentibus expetitur, ut huius aevi homines inter se, ambitiosa aemulatione certantes ingenii, atque industriae laude, veterum gloriam aequare credantur. A qua ne Vngari quidem abhorrerent, et animi magnitudine, et copia atque affluentia rerum omnium exteris pares, ni, praeter bellica munera, quibus administrandis ab omni alia procuratione publicae, et privatae rei animi avocantur, certa ratione, quo minus in eo sibi indulgerent, adducerentur, ita proclives suopte ingenio, ad magnificentiae laudem, ut in eorum contentione, quae insignem virtutem, atque altitudinem animi requirant, pares non ita multos, ferant superiorem neminem. Male credunt Vngaros ab aedificando sumptus magnitudine deterreri, qui hoc existimant, planeque videntur praesentem rerum Vngaricarum statum ignorare: eo enim in discrimine Vngaria versatur, ut iis, qui aedificent (tam triste omen propitius deus in hostium capita avertat) verendum sit, ne magis in eo hosti barbaro, quo nihil magis in terris invisum habent, quam sibi, et posteris videantur prospexisse, quod ultimum malorum omnium maxime detestantur: abesse a tam foedo animi morbo, docent perpetuis motibus bellorum eorum af-

flictae, atque eversae fortunae: quarum iactura (ut certare in his constantia, et fortitudo cum fortuna videatur) potius illis auxit, quam imminuit animos: donando enim, largiendo, munificentiae, et liberalitati studendo, nulla ex parte maiorum gloriae, laudique concedunt. Plebem habent servorum loco, eos praecipue qui agros colunt, quibus cum ita severe agunt, ut apud eos, quibus minus gentis mores, atque instituta perspecta sint, et multitudinis ingenia non noverunt, raro a crudelitatis invidia absint, praesertim cum insita barbaries multitudini, agrestium animos efferavit. Ita enim a natura vim rationis habet, ut nulla educatione, ac disciplina severiore exculta, neque ad ea quae sunt digna homine erigat animos, et ad pravum usum detorta, ad feritatem, et vim maiores sumat vires, minus obfutura si rationis usu careret, qua una re a bestiis differt. Inde fit, ut cum habeat neminem, quem in vivendo ducem sequatur, nullosque norit officii fines, quos intra sua commoda habet definitos, aegre, nisi coacta mali metu, quod proprium servorum est, ius fasve agnoscat. Nam si quando videtur fidem colere, et humanitatis iura; id ab invitis extorquet subeunda mox sceleris poena, quae animo terribilis obversatur; quo freno uti nobiles homines consueverunt, non secus, ac si iis sit cum feris bestiis agendum; quorum caussam multa sunt, quae tueantur: si qui enim sunt qui credant plebem, ut officium colat, religione magnopere moveri, longe falluntur, vix rudes homines acri, et severa legum censura in officio continente: non enim deum, quem vere nullum norunt, sed carcerem, et tortorem horrentes animis, ab iis abstinent, quae avidius expetunt, deterriti, ut dictum est, poenae metu, qua intelligunt male admissa expianda. Potest *agere* religio

in mitioribus ingeniis; quibus a primis annis ad pietatem, et vitae elegantiam excultis, neque magnopere magistratu opus est, neque lege, quae iubeat, aut vetet; cuius metu improbi inviti fidei, atque officii iura, et agnoscere, et colere adeo coguntur. Ferunt quidem, patrum memoria, Leonem pontificem, cum audisset apud Germanos in sontes immania supplicia decerni, adhortatum principes, et liberas civitates, ut iuberent aliquanto mitius cum iis agi (verendum enim ne defunctos corporis poena animarum iactura sequeretur) hoc responsum retulisse: facinorosos homines apud se non morte, sed mortis genere a male agendo retardari. Accedunt ad cetera incommoda, varia hominum ingenia, quibus ad servitia Vngari utuntur, in agris praesertim, qui, ut origine, sic diversi ingenio praeter odium iis a natura insitum, qui serviunt, in eos qui imperant, (nemo enim, ubi utrumvis liceat, ei facile parere inducat animum, cui se natura meminit parem) afferunt varios mores, aeque tamen barbaros: ut mirum non sit, eos dissidere animis, qui lingua, moribus, studiisque diversi dissideant. Misti homines ex colluvione barbararum gentium, quibus undique Vngaria ambitur, praeter domestica mala, habent quae inter se mutuentur, quaeque contagione, atque usu fiant deteriora, ut improbi sint, et domestico suo, atque intestino malo, et ab aliis invecto; hinc Illyrii montani homines, et procul a maritima ora, fines Vngariae accolentes; ut nullo fiant commercio exterarum gentium mitiores, quo plurimum homines perpoliri solent, id quod accidere videmus maritimam oram incolentibus; illinc Getae detestandae barbariae homines, in quos nisi domini obtineant suum ius, cum iis aspere, et duriter agendo, nulla spes sit sua sponte ad meliora vitae instituta flecti, multis nominibus miseri, sed uno maxime,

quod neque habent cognitum, quid sibi fugiendum, quid expetendum sit, neque expetunt, quod vere sibi agnoscendum, cognitum comparandum putent. Viget in primis apud Vngaros, cum in vulgo aliis, tum in claris feminis in primis, matronale decus pudoris fama tuenda: cuius sunt adeo severi vindices, ut in stupri compertas, quamquam insignes nobilitate, id quod raro quidem, sed nonnumquam tamen accidit, capite animadvertant; e plebe mulieres vivas defossas, humo certatim vulgo aggesta obruant. Eadem capitis poena in viros comprehensos, constituta: neque enim severe minus a viris castum genialem torum, quam ab uxoribus requirunt, quibus cum imbecillior virtus culpam minuat, non tamen minuit poenam: sive enim vir sit, sive uxor, admissum dedecus, nullo sexus discrimine censent sanguine, et morte, cum nominis perpetua infamia luendum. Vereor, ne quod sum dicturus, in magna eorum omnium licentia, quae aetas, et libido suadet, exteris videatur minus fide dignum. Tantus est apud Vngaros pudoris cultus, neque in molli solum, atque imbecillo, sed in virili etiam sexu, quae maior laus ut videri debeat, efficiunt iis vivendi permissae laxiores habenae, ut feminam prius nosse, quam quis sibi legitimam desponderit, in turpibus, ac probrosis rebus habeatur; quod ipsum tamen homini diu inter illos versanti, neque novum, neque dignum adeo magna admiratione umquam potuit videri; adeo expetitur omnibus haec promiscua laus. Ad excitandam inventutem, ad rei militaris gloriam virtutis aemulatione, laudes maiorum fidibus canunt, rebus ab illis gloriose gestis in carmina per certam temporum seriem, tamquam in annales redactis, quae a pueris memoriae tradita, ita haerent, ut nulla certiora monumenta rerum habeantur, nunc apud Vngaros, quo-

rum magna pars, cum Vngariae regia conflagravit, quam quae his carminibus consignata exstat. Neque illud silentio praetereundum: cum in gerenda in hostem re, nemini militaris rei laude, atque animi magnitudine concedant; in sermone, et mutua consuetudine, nihil illis mitius, atque humanius haberi. Nulli clamores, nulla verborum iactantia, dissimulata animorum ferocia, quae in campo, atque in acie adversus hostem armatum subito effusa, quo minus exspectatur, terret, ac percellit hostem magis: sedatus sermo, atque aequa bilis, et compositi, ac moderati animi index; ut inter eos qui militiae student, et qui urbanas artes atque agros colunt nullum fiducia animorum ostentata, faciat discrimen.

Sed ut ad institutum revertamur, pactas cum Selimo inducias varie, pro cuiusque ingenio, Vngari accepere. Prudentes quidem homines, et Sigismundi consilium laudabant, qui auctor fratri quietis, atque otii fuisset, et censebant deo immortali gratias agendas, cuius providentia factum credebant, ut ferox hostis, difficillimis Vngarorum rebus, et quae facile bellum explicatum efficerent, alio arma converteret; minime dubii, quin, ut tum res erant, barbaro inferente bello, fuerit magna accipienda clades: contra alii, unius modo praesentis temporis memores, et implicati hostis longinquo bello, difficili certe, et numquam fere non maioribus infausto, et funesto, quo Selimi potentia terribilior, ex propinguo loco imminebat. ubi cum fratre debellasset, eo gravius praereptam sibi occasionem querebantur, per fallacem religionem foederis, se a perpetuo belli metu vindicandi, quae non tolleret, sed differret in vestigiis urgens malum. Omnium unam vocem exaudiri bellum atque arma poscentium, neque hominum modo, sed eorum etiam, quae muta atque inanima sensu omni carerent. Occasi . . .

quae haud contemnenda erant, receptum iri.
nequidquam apud regem agebantur, qui totus
ddictus, auctori pertinacissimo servandi foede-
rcs belli consiliis occlusisset, cuius non initia
quamtumvis ea laeta fortuna ostentaret, sed
etiam sibi esse spectandum censebat: quem
esse dubitare, quin Selimus ex bello Asiatico re-
eo esset vehementius in Vngaros exarsurus,
ficiliore suo tempore, captata belli occasione,
s sui imperii provincias armis essent agressi?
sperandum, petitis bello Vngaris ab hoste acer-
affuturos auxilio Christianos reges, qui quere-
r se vires deficere, non quas in Turcam intende-
Christiani orbis liberatores, sed, quibus inter se
odia exercentes, cum sua coniungerent reipu-
ruinam, quam nullae hominum vires eundem eti-
locum contractae, essent facile imminentem pro-
turae. Quod fratris consilium tamen, optimum, ut
ea dies declaravit, haud facile rex multis probabat,
ut diximus, raro caussas intuentes, unde tuto iudi-
prudentes homines de rerum eventu noverunt, de
quae inconsulte, et temere sibi suscipiunt agenda,
ne temere atque inconsulte laetum sibi finem, aut
em spondent. Ita iam populus numquam non ma-
endo disertus, regis tarditatem, et cunctationem,
us in immanem verborum licentiam carpebat, ne-
in privatis locis modo, sed in foro etiam, atque in
a adeo hominum frequentia; quorum licentia clau-
is aures, quae iam pridem suorum maledictis
unt, nequidquam fatigabat, ita adversus furer
firmati, ut quidquid aculei inesset, id i
scepta sententia removendum, sed ad
in eo consilio valeret, quod, ut optim

si quis se ultro dantem agnosceret, ea etiam quae timidis eodem modo semper formidolosa essent, quantumvis dura, atque aspera molliri. Contra quae in praesentia facillima temporis ratio efficeret, ubi bene gerendi rem occasionem sibi effluere paterentur, cum nulla spes esset amissam revocandi, poenam certam, atque animi moerorem, quem nulla poenitentia levaret, subiectura. Vix satis acriter, pro eorum stupore, et tarditate, eos posse reprehendi, qui religione foederis a belli consiliis regis animum deterrerent, quasi cum eo hoste res esset, cui sanctum esset gentium ius, fas, religio; cuius imperium tam longe, lateque patens, non armis prius, quam perfidia, fraude, fallaciis, dolis, perque iis datam, et proditam fidem, quos in amicitiam receptos defendendos sibi susciperet, esset partum. His permulti incensi, quorum erant ferociora ingenia, quique per armorum occasionem in spem rerum novarum erexerant animos, quidvis potius, quam ut quiescerent passuri, videbantur, ubi per se inclinatis ad seditionem animis, dux multitudini concitatae non deesset. Augebat regis invidiam per eos dies bene gesta res, certis nunciis allatis, ex Croatiae praefectura (quem Banatum vocant) Vesprimiensis episcopi ductu rei militaris peritia clari hominis, insigni clade affectos Turcas, atque e finibus eiectos: certe digna victoria visa, quam rex frater Ladislao, misso Budam Tomicio legato, gratularetur. Inde maior nobilitatis pars, in primis Thomas cardinalis, qui proxime Roma redierat (verisimile est, quod per hanc rationem speraret se Leoni pontifici gratificaturum) auctor regi erat, ut potitus de hostibus victoria, territis instaret, certa spe, ex finitimis provinciis pulsis barbaris, reliqua quae Turca insidiatus Vngarorum temporibus in finibus occu-

passet, quae haud contemnenda erant, receptum iri. Sed haec nequidquam apud regem agebantur, qui totus fratri addictus, auctori pertinacissimo servandi foederis, aures belli consiliis occlusisset, cuius non initia modo, quamtumvis ea laeta fortuna ostentaret, sed exitum etiam sibi esse spectandum censebat: quem enim posse dubitare, quin Selimus ex bello Asiatico reversus, eo esset vehementius in Vngaros exarsurus, quo difficiliore suo tempore, captata belli occasione, finitimas sui imperii provincias armis essent agressi? Scilicet sperandum, petitis bello Vngaris ab hoste acerrimo, affuturos auxilio Christianos reges, qui quererentur se vires deficere, non quas in Turcam intenderent, Christiani orbis liberatores, sed, quibus inter se mutua odia exercentes, cum sua coniungerent reipublicae ruinam, quam nullae hominum vires eundem etiam in locum contractae, essent facile imminentem propulsaturae. Quod fratris consilium tamen, optimum, ut postea dies declaravit, haud facile rex multis probabat, qui, ut diximus, raro caussas intuentes, unde tuto iudicare prudentes homines de rerum eventu noverunt, de iis quae inconsulte, et temere sibi suscipiunt agenda, aeque temere atque inconsulte laetum sibi finem, aut tristem spondent. Ita iam populus numquam non maledicendo disertus, regis tarditatem, et cunctationem, effusus in immanem verborum licentiam carpebat, neque in privatis locis modo, sed in foro etiam, atque in magna adeo hominum frequentia; quorum licentia clausas regis aures, quae iam pridem suorum maledictis occaluerant, nequidquam fatigabat, ita adversus furentes, animo obfirmati, ut quidquid aculei inesset, id non ad eum e suscepta sententia removendum, sed ad confirmandum in eo consilio valeret, quod, ut optimum

censeret, unum certum argumentum credebat, multitudini non probari. Itaque omissis praesentibus, ad veteres querelas, per occasionem rerum praesentium, recurrebant, unde maiorem in regem conflari invidiam arbitrabantur. Eo ventum in Vngaria longa patientia malorum, ut quae caussa primis hominibus fuisset, submittendi colla unius imperio; eadem, unius socordia, atque inertia, cui in se vitae, et mortis potestatem permisissent, Vngaris esset, se ab unius imperio vindicandi. Delectum olim unum e multis, quos eodem rationis munere, dignitate pari, natura honestasset, qui iusto, atque aequabili imperio populos civitatesque temperaret; neque eum delectum, qui aut corporis, aut animi robore, sed qui virtute, constantia, sapientiaque inter multos emineret, ut esset, cuius consilio, et auctoritate, multitudini tuta libertas, salusque constaret: nunc, male uni creditam, qui aeque negligeret et aliorum salutem, et suam, plurium consilio videri permittendam, eo de custodia deiecto, qui procurandae reipublicae parum idoneus, aeque parum dignus regio imperio haberetur. Apud Ladislaum nullum esse aut temporum, aut rerum discrimen; nullum belli aut pacis; ut norit, quo tempore sit salutaris pax, perniciosum bellum; perniciosa pax, bellum salutare; tempore efficiente, et natura rerum, ut nihil in terris perpetuum, et stabile sit, quare idem sit semper ratum, firmumque habendum. Otium praeclaram quandam rem esse, et populis aeque, et maximis regibus expetendam, quorum salus sit cum salute reipublicae coniuncta: sed ita si honestum otium sit, si tutum, si cuius operae pretium exstet a rerum gerendarum studio quiescentibus; cuius ratio propterea habeatur, ut securi homines a metu belli, ea meditentur pacis tempore, quae

conducant ad arma redeuntibus, id quod accidat, ubi mens, quae alatur honestis studiis, vigeat suo robore, semperque agat, aut moliatur aliquid, quod suis civibus ornamento, et compendio sit. Vere enim illud de summis viris dici, et quos insignis virtus in excelso gradu honoris collocarit, numquam minus, quam cum plane vacui esse credantur, otiosos esse: aeque eos in agro, in venatione, in silva, in abditis, et remotis locis, atque in foro, et in curia agere semper eodem modo praeclare consuevisse, ac, ne sua quidem caussa adeo magis, quam suorum; memores, se ea lege natos, ut quantum ingenio, usu sapientia valeant, totum id patriae se debere intelligant, sibi partem sui minimam debere existimantes. Quid vero aliud videri cessare, Ladislai more, quem nemo umquam, ne in summo quidem reipublicae discrimine, letali somno experrectum viderit, quam migrare e vita adhuc lucis usura fruentem? in homine vivente imaginem mortis circumferre? Ita oportere magnis viris esse tempora divisa, ut laetis suis rebus, (quae esset temporum vicissitudo) se animo ad subeundas adversas compararent: pacis tempore meditar(entur) quae conducerent gerendo bello: ne cum usus requireret, et virtutis esset periculum faciendum, tamquam subito procellae impetu perculsi, quod accideret imparatis, everterentur, eo minore cum hominum misericordia, quo magis licuisset adversus subitos casus pectus fortitudine ac constantia munientibus, minime hominum misericordia indigere. Non esse dissimilem eorum rationem, qui summa imperia gererent, atque eorum, qui navi gubernandae praeessent, quorum certum munus haberetur, superatis navigationis incommodis, quibus multis, et variis essent perfuncti, in portu saluam navim, atque incolumem si-

stere: ut enim illi, cessante adversa tempestate, non propterea cessarent, memores eorum, quae essent passi, sed in maris tranquillitate reficerent, quae adversa tempestas corrupisset: ita cum bellum praeclare gestum consequeretur certa pax, animum debere intendere populorum moderatorem, instaurandis reficiendisque iis, quae belli vis affecisset, legibus et iudiciis in primis, quae inter armorum strepitum, militum clamorem, clangorem tubarum conticuissent. Vnius vero, atque eiusdem munus esse, et belli tempore severe exercendo militari imperio, et tempore pacis, domi aequabile in omnes iure retinendo, suos in officio continere; quorum neutrum praestaret, qui, nullo temporis discrimine, inertia, somno, et languore animi perditus, quasi veterno, infami otio conficeretur. Facile vero eos, et magistratibus domi, et in castris ducibus obedientes esse, qui vigilanti regi, acri, sui muneris memori parere assuevissent. Turpe otium esse, cum esset honestum bellum: perniciosam pacem, cum salutaria arma haberentur. Quid autem aliud esse inertem regem, quam ferculum in pompa inani specie ornatuque spectandum? Enim vero dignum illum potius, qui in scena tragicum Thyestem, Atreum, Agamemnonem ageret, quam qui regiam potestatem inter homines administraret. Vngaros viros fortissimos, haud prius agnoscere regem ex sceptro, id quod a fortuna saepius, quam a virtute manaret; quam a sapientia, iustitia, animi magnitudine, quae verae regiae virtutes efficerent, ut qua quisque fortuna esset, sive in privata domo, sive in regia natus, is dux, imperator, et rex esset habendus. Nam aeque lapidem, et truncum posse purpura, et regni insignibus ornatum, tanquam sacram rem pompae, et spectaculi caussa populo ostendi. Vt procero corpori

adnexum pusillum caput, prodigii atque ostenti simile repraesentaret; ita imparem regem magno gerendo imperio, efficere turpe, atque immane monstrum. Nullum vero haberi portentum, aut prodigium maius, quam fortissimae genti socordem, atque effeminatum regem imperare. Eum dignum regio munere, qui nosset, non se sua caussa, sed aliorum regnare; qui meminisset, ita sibi administrandam regiam potestatem, ut regni commodis populi fruerentur, ubertate, copia rerum, otio, securitate: ea quibus haec pararentur, vigilias, curas, labores, belli incommoda rex princeps subiret: quibus perfungendis ne animo deficeret, sciret magnum sibi propositum praemium, gloriam, nomen, consentientem omnium famam, numquam apud posteros interituram laudem; quae, natura mortales homines, vita functos immortalitate quo intenderent animum impertirent. Cum vero illa omnia tum unum maxime regem decere, ita in otio esset paratus, ut tamquam ex altissimo vertice, quae mala impenderent providendo, iis consilio, et ratione occurreret: in primis, si qui male affecti in rempublicam haberentur, iis ultro obviam eundo nihil integri relinqueret ad iniuriam, hostis ipse metuendus improbis; amicus omnibus expetendus exoptandusque: quorum caussa, sua sponte . . . . . non leges conditae essent. Vngaris rem esse cum hoste potentissimo, a primis annis versato in maximis bellis, ingenio acerrimo, vigilantissimo, cuius cum essent immanes vires, exercitus, classes, copiae innumerabiles, et quid vellet neminem praeteriret, et quid posset ipse intelligeret, cum sua sponte Christianis populis infestus, tum domesticis viribus, et Christianorum regum discordiis invictus. Odium quidem inexpiabile in nostros ita maiores posteris reliquisse;

ita semper hereditate adiisse posteros, ut multis partibus auctum, in longam nepotum seriem, transmiserint suis hereditate adeundum. Quieturum vero illum quamdiu expediret, et foederis religionem ex suo, non ex aliorum tempore ratam habiturum: ubi vires extenuatas Asiatico bello, haud diuturno otio instaurasset; in eos ipsos, per quorum turpem dissimulationem affectas reficere licuisset, non foederis, non religionis, non famae, non nominis memorem, terra marique belli impetum conversurum. Ita Vngaros partim regis secordia, partim fato quodam inexorabili, cui obsistere nulla virtus, nulla vis consilii posset, elapsam e manibus magnam opportunitatem conficiendi tam truculentam belluam, deploraturos. Quam diversam vero Ladislai regis, et barbari hostis gerendo bello rationem fore, si id accideret, quod usu venire posse nemo non videret, qui quidem quis esset rerum status in Vngaria eo tempore non ignoraret? Veteranum ab altero militem eductum iri ad bellum, longo militiae usu exercitatum, duratum omnibus belli incommodis, frigore, aestu, inedia, itinerum labore, diuturna patientia malorum omnium, unde materia viris fortibus ad gloriam suppeditaret: Vngaros militem obiecturos feroci hosti, qui incisis longa inertia industriae nervis, insuetus bellicis laboribus ferendis, non rei militaris peritia, non usu ad rem gerendam in hostem paratus, nomine modo maiorum virtutem tueretur, quam quidem, ante Ladislaum regem, incorruptam per tot secula a labe infamiae, et quasi traditam per manus, a maioribus accepissent, nullo suo vitio exolescentem, sed unius regis culpa, cuius constantia, et magnitudine animi, ubi altius sopita langueret, fuerit excitanda: ut etiam si nulla alia caussa ostenderetur ad bellum tam necessarium susci-

piendum, una deberet videri gravissima, eluendi sempiternam maculam, quae Vngarorum nomini, magna cum regis infamia haesisset: a quo uno tamquam a capite in subiectas partes, tam dira, ac tetra pestis, in Vngaros sui, et maiorum immemores, manasset: tamquam enim cum Mathia mortuo rege fortissimo, exuissent maiorum ingenia, Ladislai induissent; sic aversos a maiorum virtute ad nequitiam; a recto cursu gloriae, a virili ac militari cultu, ad mollem, et languidum; a labore, duritia, tolerantia ad turpe otium, ad vinum, ad crapulam defluxisse: ut nisi contrariis studiis exorienti famae Vngari obviam irent, verendum esset, ne, magno cum gentis dedecore, cuius clarissima monumenta gloriae, apud gentes omnes litteris prodita exstarent, ad posteritatem transmitteretur. Nihil tum haberi contemptius milite Vngaro, cuius fortitudine propagata olim rerum gestarum fama ad ultimas gentes, nihil fuerit illustre, aut celebre magis. Vbi gerenda res esset, in campum, atque in aciem eductum iri novum militem, indole virtutis, et nativo robore, sub inerti rege emollito; non graviore ulla disciplina ad rem militarem, non ad civilia iura, non ad leges, et mores maiorum conformatum: neque tamen, ut eorum esset egregia voluntas, ullam esse spem, tyronem, veterani aemulatione excitatum ad conserendam cum hoste manum, allaturum animum alacriorem. Inane modo veterani nomen iactari; virtutem, et militare robur frustra in ganea, ubi consenesceret, atque inter pocula quaeri. Huius militis virtute patriam ab hostium armis vindicandam, quorum invictae vires, tum militum ferocia, tum ducis fortitudine, constantia, magnitudine animi adversus vim omnem haberentur. Nihil verius esse, quam quod a sapientibus usurpatum est,

ad regum exemplar, eos qui parerent regum imperio, conformari. Quasi cum regni insignibus reges sumerent eas virtutes, quos summus in terris honor requireret; simulatque quis iniret regnum, multitudinem credere, eum, ut honoris maiestate, sic sapientia excellere, iustitia, fortitudine; ut nihil ab illo, aut dici, aut agi posset, quod non dignum aemulatione putaret. Ita Vngaros a maiorum virtute descivisse, regem aemulatos, in sui et suorum oblivione, perpetuo languore et somno sepultum: cum quisque ad ea, quae e regia hauriret inertiae, et mollitiae ex(empla), de suo multa adderent, quae non magis regis ingenium sua sponte ad probitatem propensum, quam desidem, atque inertem vitam referrent; quae in illo quidem ne officeret, casti mores, et severa a parentibus suscepta disciplina praestaret; in suis a quibus haec abessent, et privatis aeque, et reipublicae capitalis esset. Crapula enim et vino enervatis viribus, iuxta dies noctesque in popinis et gurgustiis delitescere, ut neque orientem, neque occidentem solem aspicerent, obliti quibus orti maioribus essent, atque a quanta virtute, constantia, magnitudine animi ferendis belli incommodis, voluptatibus contemnendis degenerarent. Quem vero ex his posse negare, non genus se, non partam gentis gloriam magnis gerendis rebus adversus exteras nationes, pessum dare? proculcare leges, mores, instituta, quibus per tot saecula invictum mansisset Vngaricum nomen? Quid enim Vngaro contrarium magis, quam desidem vitam, inertem, mollem, otium, somnum? Iam pridem obsolevisse perennem illam Vngarorum virtutem, quae, patrum memoria, ad summum decus laudis pervenisset, ut vere dici posset, cum fortissimo rege, quasi esset Vngarorum Mathias ultimus, in quo attolleretur in coelum pa-

tria virtus, simul gentis gloriam interiisse; iuventutis praclaram subolem, quae gloriae aemulatione, cum nationibus exteris in omni genere laudis de principi loco certaret, exstinctam; cuius exemplo posterorum animi ad virtutis studium excitarentur. Exolevisse Martium illud robur, quod non fortuna, non belli ulla vis, non tela, non tormenta, non metus mortis, non rerum humanarum ulla vicissitudo minuisset? Atratos milites, institutam illam militiam ad veterum disciplinam, laudatores multos; aemulatorem habere neminem. Tum militi Vngaro hiemare sub tectis probro fuisse; discriminata habere anni tempora; non pro rerum necessario usu, aut pro aestus, et frigoris magnitudine, sed pro animi mollitia, aut ad vaporarium, aut sub dio pernoctare, apricari; umbras quaerere, dies noctesque perpotare, ac ventris gravem semper virtuti, atque industriae ingluviem refercire, pravo usu vincente insitam fortitudinem animis. Hoc militiae genere, Ladislao rege, Vngariam stare; ut non uno nomine Vngaris esset de praesenti rerum statu conquerendum: nam et rem indignam videri, iuventutem, per armorum desuetudinem, otio emolliri, quod in magnum privatorum incommodum verteret; et patriae esset perniciosum, in suorum virtute, nihil praesidii haberi, quo validissimo ad communem salutem adversus praepotentem hostem tuendam indigeret. Adeo vero hac infamiae labe apud exteras gentes laborare, ut nisi aliquando resipiscentes colligerent ab errore animos, et ad tantam delendam infamiam, eodem consensu conspirarent, non solum perditae patriae suorum ignavia, sed pertinaciae etiam in scelere, et flagitio tuendo, essent rei posteris futuri, merito illi quidem, qui volentes, et prudentes pergerent ultro patriam perditum ire, aviti ge-

neris, praeter linguae sonum, et corporis ornatum, eodem sub coelo, sedes easdem et terras incolentes homines, nihil retinentes. Magno Christiani orbis incommodo, a contemnendis . . . . . ndisque initiis Turcarum gentem emersam, cum, successu auctis animis, sibi ad maiora aditum patefecisset, per Asiae regiones omnes, qua sibi viam ferro aperiret, eodem impetu vastando, et populando omnia, in vicina Thracia sedem fixisse; sed ut aeque magnum aditum Vngaris patefaceret ad veterum gloriam nobilitandam, qui, armis domitis ferocissimis gentibus, atque accipere imperii iugum coactis, regnum posteris optimis legibus constabilitum reliquissent, aut ultro ipsi barbaris bellum inferre, patriae infestis, aut non minore animo, quam intulissent, defendere illatum assueti. Hoc tantum malum in multitudinem a capite derivare, quae ferme eo esset ingenio, ut cum auctoritate semper in agendo, raro ratione moveretur, et perderetur eadem, et servaretur exemplo, in quamcumque partem principes flecterent animos, sive ad nequitiam et libidinem proni, sive ad honesta studia erecti. Hanc pestem populatam terrarum orbem universum, maxima regna, populos, gentesque nobilissimas; in his Romanam civitatem, principum prava aemulatione corruptis populorum moribus, terrarum omnium imperio deiecisse, barbararum gentium quibus imperaverat, futuram praedam: ita enim populos principibus viam praeeuntibus, et ad nequitiam et ad decus, parere, ut quam illi viam capesserent, eam rectam esse existimarent. Quae cum ita essent, regem decere iustitiam colere, religionem, dignas alias artes summo in terris honore; contra a nequitia, et scelere, mentem, animum, abstinere; non suorum minus, quibus se certum exemplar, et ad virtutem, et ad

improbitatem praeberet, quam sua caussa. Non enim sibi uni regem sapientem, iustum, fortem, temperantem; non uni esse desidem ignavum, sed populis, et gentibus multis, quibus unius auctoritas, norma, et vitae lex esset. Atque in rege quidem, cum ad alia vitae instituta capessenda, quae praeclara haberentur; tum ad militiae gloriam insigne suis incitamentum esse debere: quorum virtute, et magnitudine animi, ubi reipublicae durior incideret casus, ab imminenti discrimine tutum regnum redderetur. Nam si quando aberraret a recto vitae cursu, intelligere debere, se non re solum offendere, quod quidem esset per se malum, sed flagitii, atque improbitatis documento: magno enim reipublicae infortunio eum labi, qui multos secum lapsus in exitium traheret. Hanc tantam hominum in dicendo impunitatem rex cum vindicare palam non auderet; quod accidere necesse erat, dissimulando negligendoque alebat, veritus multorum consensum, qui tam perturbatum rerum statum in magna fori frequentia, et populi corona impune perstringebant, quod incommodum, si se agnosceret, et quam personam sustineret, paucos ad supplicium poscendo, haud aegre disiicere potuisset. Nam multitudo ita paret quamdiu metuit; ut simulatque metu soluatur, facile excutiat imperii iugum, quod subiit invita: ut non ita immane dictum debeat videri tuenti imperii ius, oderint dum metuant, cum de legitima etiam potestate feratur, quae est a persona tyranni separata, qui regnat sua, non populi caussa. Eo enim saepe recurrere regem necesse esse, qui totum regium munus habet in procuranda suorum salute constitutum, ut quando minus nimia facilitas suis usui sit, ne magno reipublicae malo contempta iaceat regia auctoritas, a suis timeri, cum pro-

ventu, quam diligi cum multorum exitio malit. Paret enim multitudo magistratui vindicandis hominum malefactis imminenti, . . . ne timore . . . . . extor(quen)te, atque eundem quoniam metuit, odit, naturae instituto, sequente odio metum; quo (mag)istratus et legislator non movetur; modo salutare odium sit iis ipsis, qui oderunt, et a legum, et iudiciorum metu proficiscatur. Nam assecutus quod intendit, ut magistratui maneat integra in multitudinem imperii postestas, sive inviti pareant, sive volentes, in quos imperium obtinet, non laborat: nihil enim est illi certius, quam probos, et iustos, ut nulla legum praescriptio, nulla magistratus auctoritas intercedat, sua sponte qui esse debeant futuros; improbos, ubi per imperantis dissimulationem liceat; non secus ac feras bestias, perruptis claustris, quo sensu praecipites ferantur, in omnia scelera, et facinora ituros. Amare plebs, quos timet haud novit, numquam non improba, contumax, ferox, atque adeo, ubi etiam in iis qui regnant facile, ac mite imperium experiatur: horret enim imperii potestatem, quae cogit homines, etiam cum nulla caussa timoris sit, cogitare non quid eum statuere aequum sit, in cuius est potestate, sed quid possit, ubi secus quam officii ratio postulat, lubeat pronunciare. Nam si est certa caussa timoris ex conscientia scelerum, multo odit vehementius malefactorum vindicem, atque adeo, ut maxime etiam propinquitate, et interiore necessitudine coniunctum: iustitia enim custos severa legitimae potestatis, imperantem cogit, unius suae fidei, et constantiae memorem, omnium oblivisci, quae recte iudicantis animum a functione suscepti muneris avertat. Ita vero is in sceleris animadversione severitatem habet ab immanitate distinctam, ut in animi mollitiam, falsus ficto clementiae

nomine non incurrat, existimans dissolutum aeque et crudelem odio dignum, atque adeo certa ratione, cum aeque nimia lenitas, et plus aequo durior animadversio populis capitalis sit. Neque tamen ita statuendum est, eos qui per turpem dissimulationem conniveant in suorum malefactis, meliore conditione apud multitudinem, quam acres, severosque esse: tamdiu enim sibi indulgenti favet quamdiu viget, qua alitur aut commodi spes, aut impunitas peccandi; simulatque spes abiit; cum ea ipsa spe, numquam futura solida studia tam levi fulta subsidio abeunt; quae ita benignitate, et munificentia comparantur, ut quibus benigne fit commodo fruantur, parum eorum meminerint quorum munera, et largitiones, non voluntatem atque animi studium spectant. Atque hoc quidem multo ante quam gererentur, facta coniectura tum de Ladislai ingenio, quod optime exploratum habebat, tum de Sigismundi consilio, a quo regi Ladislaum sciebat, novus pontifex futura divinaverat. Iam, et multorum litteris certior factus, et fama, quae multo ante praecurrerat, Selimum distentum cura Asiatici belli, cum nostris de foedere agere cognoverat, cum Ladislao maxime, quem quidem in aliorum positum potestate parum sperabat ex sua sententia de suscipienda in Turcam expeditione constituturum; minime dubius, quin simulatque Selimus spem pacis ostentaret, praesentibus viribus diffisus, tuta consilia esset speciosis praelaturus. Etsi vero speciosa haec pietatis simulatio, erat peritis rerum non obscura, qui non ignorabant, sub plausibili religionis nomine concoqui privata consilia; non aegre tamen multitudini probabatur, quae non saepius solida, atque expressa vi, quam specie, atque umbra rerum tenetur; id quod ambitioso pontifici satis erat, non minora ea potestate, quam ge-

rebat, animo molienti. Itaque idoneum tempus arbitratus per insigne pietatis officium, ut credi volebat, optimi pontificis laudem sibi conciliandi, intentiore cura de suscipiendo adornandoque bello agere instituit: simul ad alios Christianos reges, et ad Ladislaum litteras in hanc sententiam dedit; quarum exemplum apud nos exstat: Gratulari se in primis amico regi, quem audierit perfunctum metu Thracii belli in praesentia otium agere: sed multo illi vehementius fuisse gratulaturum, si, quamdiu illi per hostem liceret implicatum intestino bello, praeclaram oblatam occasionem complexus animo, arma hostibus nihil tale exspectantibus, ut dignum summo rege esset, inferret. Decere quidem reges, tanto in terris munere dignos, pacis studiosos esse, sed ita decere, ut si urgeat vicinus hostis, potens, infesto animo, immani odio, qui sit a pacis consiliis aversus; sit confugiendum ad arma, quibus populi ab hostis impetu securi, pace optata fruantur. Tempore effici, ut ferus hostis, quamquam ille quidem non sua solum, sed omnium etiam opinione invictus, ut maxime eius sit implacabile odium in populos, gentesque omnes, qui Christi nomen venerentur, pacem spectet, certe horreat animo ab Vngaris imminens bellum, ubi et sui, et hostis, et temporis sint adeo memores, quo quidem tempore, et gerendis rebus procul ab Europae finibus adversus fratrem, et propulsando bello, ubi Vngarus moveat, diversa orbis terrarum parte, sit impar futurus. Sed eam tamen pacem spectare, quae tamdiu sit duratura, quamdiu illam necessariam sua tempora efficiant, quae illius consilia moderentur; ut eam dare poscenti, tam regi contumeliosum, quam Vngarorum nomini foedum sit. Quem enim non videre id ab illo agi eo consilio, ut nihil a tergo relinquens, quod gerentem

longinquum bellum, sollicitum habeat, securo animo a belli Vngarici metu, in Asiam adversus fratrem expediat arma? Raro tam opportunam occasionem oblatam, tetrum atque immane monstrum a Christianorum populorum cervicibus deiiciendi. Quamdiu intestina bella, animi impot(entis) distraherent vires, externam vim addendam, quae labefactaret, atque everteret distractas: cuius rei suppeditaret idem ipse hostis illustre exemplum, qui, per Christianorum regum discidia, in eam magnitudinem crevisset, quam vix posse everti spes esset, concordibus populorum animis, qui Christianis sacris initiati nomina darent, in tam salutarem expeditionem consentientibus. Ausos superiores Vngariae reges, elatos verae gloriae cupiditate, non solum occurrere inferenti bellum, sed ultro etiam quiescenti inferre, et quidem securo tum a civilibus, tum ab externis armis, cum quidem numquam magis ab hostis tempore, quam a vera pietate, atque animi magnitudine opportunitatem gerendi rem captarent: virtute enim fieri expedita, ac pervia, quae ardua, atque aspera essent; quae infesta, atque iniqua, plana; viro forti, nihil quo terreatur, praeter nequitiae et inertiae labem agnoscente. Neque vero Vngaris foris exempla petenda, ipsi se modo aemularentur; qui si semper ultro quaerenda materia ad gloriam per honesta arma, atque ea ipsa quaerenda ab hoste Turca, numquam fere non superiores exstitissent: cur non fortitudini, laudem constantiae adderent, vetus institutum retinendo! Qui rem gerere non auderet, dum occasio, et tempus adiuvaret, quomodo eum sperare posse, fortem futurum, ubi vigerent corroboratae tempore hostium vires? Foedus cum hoste ferire, cui nulla foederis religio esset, quid aliud esse, quam sibi infidum, pacis, ac belli arbitrum constituere, cuius, ubi visum esset, intelligeret se praedam

futurum. Non illum quidem paci, non otio studere; praeferocem hominem, et per multarum gentium, et populorum exscidium, ad ea quae parta haberet, novis coacervandis cumulandisque imperiis intentum; sed avertere a suorum iugulis per simulatum pacis studium, Vngarorum arma, parum opportuna gerenti difficile, arduum et longinquum bellum. Nam usque eo habere animum in potestate, ut, repressa ferocia ad tempus, et prospiceret animo, qua se peti posse intelligeret, et ne id obesset, multis dolis, fallaciis nosset obviam ire. Neque vero eius obscurum esse consilium, cuius voluntas, et animus esset exploratus: quem enim ignorare, Vngariam, praemii loco, militi desponsam, adversus fratrem bello Asiatico perfecto? quid porro celebre magis, quam quae a Selimo filio ante oppressum patrem, gesta in Thracia essent? Quid certius, quam re praestaturum quod verbo ostentasset; cum militem ita in sententiam traduxisset, educturus ad longinquum bellum, ut non posset illos, fratre debellato, spe Vngariae expeditionis frustrari? Nequidquam sperari, Selimum aequiorem exteris futurum, cura intestini belli perfunctum, qui elatus improba cupiditate regnandi, pollutas ac contaminatas adhuc manus suorum caede, et sanguine ostentaret. Quid vero turpius, quam qui suo posset, alieno arbitrio pace frui; sumere et ponere arma? Numquam cum barbaro hoste solidam pacem fore, quam fallax religio foederis, potius quam vis, atque arma tuerentur: ita enim natura comparatum esse, ut qui inferior viribus, foedere cum potentiore iungeretur, is, quod in hominum vita miserrimum esset, precariam salutem agnoscere ab eo cogeretur, qui plus posset; eius imperio et voluntate aut futurus incolumis, aut periturus. Audire se Vngarorum animos, ut viros fortes deceret,

propensos ad fortiora consilia, ad foederis, et pacis mentionem reclamare, arma poscere, campum, aciem, castra spectare: quorum studia, atque alacritatem debilitare, et frangere non eius regis esse, qui per multa fortia facta, ingens sibi nomen, et gloriam apud exteras gentes omnes comparasset. Revocaret a metu intempestivo animum, ne, quod indignum summo rege haberetur, animum sui immemor metu videretur abiecisse; abiiceret mollia consilia, ut fides esset, illum eundem Ladislaum esse, quem ingens opinio virtutis adolescentem ad Boemorum primum, mox ad Vngarorum regnum evexisset. Capessenti praesenti animo bellum adeo opportunum, deum immortalem affuturum, numquam suorum immemorem, pugnantium pro iustissima caussa, pro Christi religione, pro patriae salute, quae hoc a suis pietatis munus postularet. Nam ne falsus vates dubitare de belli eventu videretur, facere Vngarorum animis insitam virtutem, quae pro Christianorum salute, et Christi gloria in Turcam hostem explicatis viribus, haud dubitandum esset, quin praeclaris initiis consentientem expeditionis exitum, esset habitura. Auxit his litteris Leonis testatum animum, Thomas Cardinalis, qui ad augendum legationis honorem, satis per se illustrem, plurimum conducere arbitrabatur, ubi hoc percrebresceret, per eum unum auctorem, et suasorem belli, adversus Turcas expeditionem, Leone Decimo pontifice, susceptam: iam enim cognoverat, ex suorum litteris, qui nihil eorum quae in regia fierent, eum ignorare patiebantur, adversis populorum studiis, Ladislaum ad foedus inclinare, atque inde exorta querela, prope ventum ad seditionem esse: ut minime videretur dubitandum, quin, accedente pontificis auctoritate, regis animus, victa constantia, in eorum sententiam, qui bellum suaderent, traduceretur.

Quae dum Romae ita administrantur, iam in Vngaria perniciosissimi belli semina iaciebantur, quod omnium, maxime memorabile patrum memoria, inter nobilitatem, et rusticam plebem, prope ad internecionem est gestum: cum enim plerique, ex regis dissimulatione fiduciæ sumpta, omni iniuriarum genere miseros vexarent: (dom)esticorum malorum impotentes, liberis querelis, et iustis adeo, ut credebant, in sui oppressores inter se mutuo incitati invehebantur; quae eo vehementius animos accendebant, quo illi minus praesidii, ad propulsandas potentiorum iniurias, in Regis auctoritate positum habebant, vetere instituto, publicis malis indormientis. Itaque cum miserando communem fortunam, levationem malorum nullam referrent; unum efficiebant, ut maiorem indies invidiam in nobilitatem conflarent, sed nullo cum proventu, crescente inde potentium hominum audacia, qui nihil gravius ab oppressis, quam liberae linguae convicia, quibus parum movebantur, rege et suae aeque, et publicae caussae immemore, vererentur. Quae tanta mali vis, eo latius indies serpebat, quo maior erat quies ab externis armis, parum opportuna, ad continendos in officio feroces populos, quos, nisi belli labores, atque incommoda fatigent, raro leges et magistratuum auctoritas, ab infimorum, et tenuiorum iniuria coercent: assueti enim augeri militiae gloria, cum Turca gerentes bellum; quae materia, per ictum foedus, tum deerat ab externo hoste; a suis per summam iniuriam petebant; frustra dei atque hominum fidem, ut ulciscerentur domestica mala, implorantibus: eo quidem provecta audacia impunitate ferebatur, ut non solum privatorum domus parum tutae a suorum maleficio essent, sed etiam vici diriperentur, vastarentur agri, qua libido praedandi

suadebat, longe lateque circumiecti pagi populationibus, atque incendiis deformarentur. Accedebat ad ceteras caussas, nonnullorum e principibus ambitio non ferenda, maximarum civitatum, et regnorum communis pestis: infesti enim miserorum fortunis quae per se tenues, tributi collationibus exinanitae erant, iis tueri militiae splendorem, victus opulentiam, tum generosos equos, numerosas familias alere, domi, foris, ubi minus sufficerent domesticae copiae, magna cum ordinis invidia cogebantur.*) Manet ad hunc usque diem hic in Vngaria mos, et in vicina Polonia, ut alibi diximus, quem necessarium hominum ingenia efficiunt, ut ex infima plebe homines a potentioribus servorum loco habeantur, in his maxime, qui habitant in pagis, et agrorum cultura victum quaerunt, perexiguo quaestu laboris, a quo nulla miseris remissio datur, numquam dominos materia, qua in illos saeviant deficiente. Et eorum quidem tam acerba conditio, ut in frugum partitione, saepe ne eius quidem partis, quae illis pars, operis pretium cedit, penes illos ius ullum potestasve sit: quidquid enim in horreo conditum habent, quidquid in cella, generosa vina, et melioris notae, obsignata omnia eius signo, qui dominus fundi est, non prius distrahere, aut sumere ad domesticum usum audent, quam sit facta a dominis divendendi potestas, quam tamen nemo e nobilitate negat, cui quaestu sit potior existimatio, et nomen. Id ipsi aliquando observavimus in quodam Transilvaniae pago, cum, de gentis more, a domino institutum colonis oenopolium esset, iis interdictum externo vino, atque aliunde importato; ut aut plane vino abstinere, aut emere cuiuscumque notae

*) Innen kezdve mi a könyv végéig van, a Pray-codexben, (talán a szerző keze által,) ki van törölve. T. F.

esset, e domini cella cogerentur. Id excogitatum, ut esset, unde vina distraherentur, quibus tempestate, calamitateve aliqua insita vis deperisset, ut domini cum ubere quaestu, ita insigni colonorum incommodo, atque detrimento. Eadem in aliis ratio, quae a dominis, iure, iniuria exiguntur: dare operas, quo lubet, et quamdiu visum sit; vecturas, equos, iumenta; quibus imperandis, an exigendis cum miseris durius agatur difficile dictu est. Etsi vero minime apud omnes tanta saevitia, apud viros principes praesertim, quorum dignitas non temere aspergitur tam infami avaritiae labe; non desunt tamen in magno numero, quibus miserorum calamitas lacrymaeque quaestui sint, qui aliunde non suppeditatur. Itaque sive aquatione est opus, sive lignatione, sive sint reconcinnandae aedes, exstruendus agger, murus, fossa ducenda, nisi praesto sint ad nutum imperanti, vincti pedibus in ergastulis, tamquam rei maiestatis, aut fraudem capitalem ausi, caussam dicere coguntur: ut ad hastam empta mancipia, haud deteriore conditione habeantur. Atque ad hunc modum ferme vulgo iactantur, ita nonnullis rationem suae humanitatis habentibus, ut, quod semper accidit, in paucorum aequitate, sit parum adversus multorum iniurias subsidii ac levamenti.

IOANNIS MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER TERTIVS.

LIBER TERTIVS.

Cum ita incensis ad seditionem animis, inde exoriens flamma in apertum bellum brevi crederetur exarsura, fama atque multorum litteris affertur, indictum Romae, vetere patrum instituto, Sacrum bellum rem perdiu in magna exspectatione positam, Thoma Cardinali apud Leonem pontificem maxime procurante; qua, tamquam arida materia, flammae iniecta, ingens repente coortum incendium, Vngariam universam, atque illi adiacentes provincias omnes paene adduxit in ultimum rerum discrimen. Qua de re antequam dicere aggrediamur, quaedam nobis a principio repetenda, paucis quidem, sed aliquanto altius, quorum iam supra mentionem fecimus. Erat pridem Romam profectus, sub Iulii pontificis mortem, Thomas Cardinalis, non sine spe adipiscendi summi honoris, sive Ladislai gratia fretus, apud quem principem auctoritatis locum obtinebat, sive magnitudine divitiarum, quibus maxime pollere credebatur, permultos annos peramplo, atque opulento sacerdotio functus. Neque vero apud suos modo, sed apud exteros etiam, propter sapientiae atque integritatis opinionem, erat eius illustre nomen, quae, innitenti tot fortunae atque animi bonis, in primis suffragari in petitione pontificatus crederetur. Quae tamen omnia cum animi cupiditate haud maiora essent, ut sunt hominum ingenia, quorum vota raro benigna fortuna explet, minus in praesenti fortuna acquiescebat, elatus futuri spe, quae non contento in

Vngaria summo gradu honoris, quo ex infima plebe, subnixus honestis artibus, et regum gratia pervenerat, sibi augustissimam in terris dignitatem spondebat. Maxime vero accendebant sua sponte in tantam spem erectum, fallax assentatorum turba, commune potentium in regia malum, qui eadem saepe inculcando facile effecerant, ut ad summum in terris imperium evectum, tanto gerendo honori crederet se minime imparem animum allaturum. Igitur pontificiis comitiis Leone pontifice renunciato, quidquid sibi officeret pontificis maiestas, id totum detractum iri de domestico splendore arbitratus, redire in Vngariam primo quoque tempore constituit, inter suos, secundum regem, princeps dignitate auctoritateque futurus, quando Romae in sacri imperii sede conspici haud licuisset. Alii reditus caussam alio referunt, cum vi immani pecuniae exhausta, ne ita quidem posse ferre Romanae aulae sumptus, aut explere sacerdotum cupiditatem speraret, quorum suffragationem sibi ingentibus largitionibus comparaverat, profectionis consilium sibi necessarium statuisse. Quaecumque illi caussa reditus fuerit, etiamsi iam fama obtinuisset, cum Selimo ab Vngaris antiquum foedus renovatum; a Leone, ut diximus, ad sacram militiam adornandam, legationis honore impetrato, in Vngariam contendit, ignarus quantam secum perniciem, et pestem pietatis nomine, sensim se insinuantem in patriam inveheret, cui maxime vir optimus, et religiosissimus consultum vellet. Iam, et ante Thomae adventum, Ladislaus, quamquam diu in contrariam sententiam, salutari fratris consilio, animo obfirmato, cupidis hominibus rerum novarum, turbulentis vocibus reclamantibus, de inferendo Turcae bello passus erat in consilio agi, dandas manus arbitratus, quando regni administrationem, arbitrii eorum, qui plus possent, suae im-

becillitatis conscius fecisset. Nam quo facilius pateretur se a suscepto consilio deduci, qui belli erant auctores, occasionem eandem iactabant, quae tum erat in omnium ore, Europam a Turcarum armis liberandi, quo nihil in speciem magnificentius, si magna bella inani ostentatione verborum gererentur, poterat excogitari. Selimi quidem esse ingentes vires: sed non esse invictas, iam pridem Vngaros docuisse, et sua, et maiorum memoria clarissimis de his victoriis potitos. Quot nominibus vero suscipiendum bellum, sive quis rationem temporis, sive quis spem victoriae, ex temporis opportunitate, sive quis pietatis desponsam laudem spectaret ex bene gesta re? Vllumne opportunius Vngaris ad nominis famam, ad, gloriam, ad immortalitatem; ullum non Vngaris solum, sed Christianis populis etiam, gentibusque omnibus salutare magis posse geri? Quem vero posse dubitare, quin gerendum bellum Christi imperatoris auspiciis, pro patriae salute, gentis gloria, Christiani imperii propagatione esset laetus finis consecuturus? Eo vero fiducia maiore ad arma eundum, quo magis constaret, Selimum, quidquid roboris, et virium haberet, in Asiam adversus fratrem eduxisse. Accedere praesentem rerum Vngaricarum statum: quae quidem eo essent redactae, ut, nisi per externi belli occasionem nobilitatis parte ablegata, quae otii impotens belli materiam a suis quaereret, quam externus hostis non suppeditaret; levaretur plebs praesentibus malis; minime dubium esset, quin agrestes victi diuturnitate malorum, pagis relictis, ac divendito villae instrumento, excitarent civile bellum, cuius exitus, sive vincerent, sive vincerentur, aeque esset patriae tristis, et funestus futurus, quae in victis, eodem modo, per nobilitatis, et plebis victoriam, plecteretur? Cui vero du-

bium esse, quin, ubi hoc accideret, continuo hostis viribus integer, in orbam patriam alterutra parte sui, esset victricia arma conversurus? Interea cum in regis consilio de re tanta patrum, et principum sententiae variarent: haec fere in medium afferebant qui ex pontificis sententia bellum suadebant: longe eos falli, qui agi in praesentia potius de suscipiendo externo bello, quam de intestino malo propulsando existimarent. Quod maxime in omni consultatione spectari oporteret, ut quod bellum necessario suscipiendum esset, honestum idem, atque opportunum suscipientibus esset, id ab eorum sententia stare, qui arma suaderent. Nam quod bellum necessarium efficeret praesens rerum status, oppressis populis mole malorum ingentium, idem opportunum temporis rationem efficere, cum Selimum fratri illata arma avocarent ab Europae rebus, haud dubie adversus universas Asiae vires difficile pariter ac diuturnum bellum gesturum. Accedere Leonis pontificis eximiam voluntatem, quam verbo modo ostentatam passi essent superiores pontifices, magno reipublicae incommodo, suo ingenti dedecore, a se desiderari: cui quidem nihil longius videretur, quam inter Christianos reges sublatis discordiis, arma barbaro inferre. Florentem aetate, gratia; auctoritate apud omnes tanta, quantam in eo esse deceret, qui sacrosanctam in terris gereret potestatem; adnixurum viribus omnibus, ut eorum vōtis responderet, sapienter rempublicam administrando, a quibus magno consensu illi pontificatus esset delatus. Iam quod bellum adeo opportunum occasio efficeret, idem genere caussae, pro qua susciperetur effici et gloriosum, et honestum, pro communi salute Christianae reipublicae adversus teterrimum hostem gerendum: quibus enim viribus Vngaros, ubi hanc sibi occasionem

effluere e manibus paterentur, aut illaturos ipsos in posterum Turcae arma, aut illata propulsaturos? Etsi vero tum plurimum attenuatae civilibus dissensionibus viderentur, sperare tamen brevi futurum, ut per ordinum concordiam sublatis intestinis odiis, instauratae resumerent antiquum robur. Hoc quidem Vngaris agendum universis, patriae caussa, cui vitam deberent, et si qua sunt vita cariora; singulis privatim sua; ut aliquando ostenderent, Vngaros non posse nisi suis viribus vinci, invictos externo bello. A patria, quando sese tempus daret, avertendam immanem pestem; quae quidem vexata, atque afflicta, ne per exiguum quidem temporis spatium intermissionem malorum a suis posset impetrare; dum, letalibus odiis inflammatis animis, in mutuas caedes exardescerent. Serpere indies latius ortum incendium, cui nisi rex per principum conspirationem, obviam iret, a quibus vulgo crederetur ali; brevi fore esset necesse, ut eius continenti flamma Vngariae regnum, et finitimae regni provinciae, desperato omni externo auxilio, conflagrarent. Quod adeo triste omen si vere exsecrarentur animis, ut vultu gestuque indicarent; cur non vere aliquando expergefacti efficerent, ut verteret in eorum capita, qui Vngaris speratam gloriam, a rei militaris studiis eos deterrendo, salutemque, tum iis ipsis, tum Christianis populis universis, inviderent? In otio aliis agere licere, quorum industriae fructum aliae ab his excultae artes, et pacis aeque, et belli tempore subministrarent: Vngaros, hoc instituto a maioribus accepto, unam rem militarem colere, a qua cum discederent, otium non ferentibus necesse esset, et corporis, et animi vires flaccescere: ut si nulla alia caussa ostenderetur gerendi belli, haec una in primis gravis videri posset, milita-

res homines ad armorum decus revocandi, quo quidem per multa illustria facinora, sperarent se maiorum virtutis aemulos perventuros. In hanc pietatis laudem, aliis omnibus damnatis consiliis, animos erigendos, ut salutaribus armis hosti illatis, cum suis pacem colere inducerent animum, eodem coelo, iisdem sibi legibus, atque institutis devinctis. Ita fore quo excedens tam dira, atque importuna lues, quae diu haesisset in patriae sinu, pestem, atque exitium hosti importaret, quam in partem illam bacchari aequius esset. Vngarorum armis fortissimorum hominum, veros hostes Turcas petendos, quibus formidolosa semper merito fuissent: iis saluti esse debere, quibus perniciosa esse, sine magna eorum invidia haud possent, qui intulissent, secum mutuis vitae officiis, naturae, et gentium iure, patria, caritate, et sanguine coniunctis. Frustra eniti, qui per miserorum clades, atque infortunia, pervenire ad summos honores sperarent; qui quidem quanti faciendi essent, cum esse seiuncti ab insigni sceleris infamia parti haud possent? Certe qui hoc sibi persuaderent, eos eodem loco honorem, et decus, infamiam, et dedecus habere. Vnis Vngaris conficiendi barbari hostis destinatam laudem, quorum maiores, viri fortissimi semper in Christi militia primos ordines duxissent, ad quorum exemplum posteri conformati, aeternis virtutis, et fortitudinis constitutis monumentis, semper cum maiorum gloria certassent, a quorum virtute, posteri eorum vera, et germana proles numquam degenerassent. Speciosum hoc vero Vngaris in omni posterorum memoria, unos delectos, qui in Christi militia antesignani, tam tetram barbariem, ab hominum coetu, quibus aeternum bellum indixissent, exterminarent. Nam, si qui essent, quos iurisiurandi re-

ligio a belli consiliis avocaret, quo obstricti Selimo essent, iis ita statuendum esse; cum hoste religionum omnium, paricidia sceleratissimo, monstro in hominum vita, post hominum memoriam, teterrimo, nullum iustum foedus, potuisse iniri: nisi hoc forte crederent, quem a violanda in patrem pietate nullae divinae, aut humanae leges, non hominum existimatio, non fama deterruisset, maiore fide, et constantia foedus cum Vngaris percussum servaturum. Illam potiorem esse Vngaris religionem debere, ut a suis abstinentes manus, cum pietatis certa laude, et patriae memores, et Christianae reipublicae universae, cuius propugnatores fortissimi semper exstitissent, immani ac truculento hosti arma inferrent. Viris fortibus turpe, ubi usus poscoret, vitae parcere, pro eorum salute, quibuscum haberent communem patriam: quanto iis turpius, qui in suos scelerata arma intentarent, quae tum modo haberentur honesta, cum pro suis sumpta, adversus iustos hostes gererentur? Quae Vngaris, praesentis hostis vires difficilia efficerent, multis partibus belli opibus, et nervis superioris, ea ipsos, hostis tempore pro occasione utentes, sua sibi virtute, et animi magnitudine facillima reddituros. Praecipere quasi victoriae praerogativam, qui ipse praevertens, non pateretur se opprimi bello imparatum. Raro vero hoc consilium eventu frustrari: qui enim princeps inferret arma, eum suis fiduciam, trepidationem et metum hosti, iniicere; qui saepe fallax interpres alienae audaciae, quae fiducia posita in consilio esset, eam manare a domesticarum virium conscientia censeret. Eodem errore subiectos iis populos falli, quibuscum gereretur bellum; qui in eum inclinarent, quem timerent armatum, ab eo aversi, quem contemnerent cunctantem propulsare illata arma.

Ita enim animis affici consuevisse, ut se a belli incommodis, quae vitari alia ratione minus posse crederent, per defectionem ab iis redimerent, quos impares suis tuendis existimarent. Hinc civitatum nova consilia nutantium in fide: quae quidem mala eos manerent qui sua cunctatione hostem reddderent alacriorem. Si, ut dignum esset maiorum virtute, insta sumpta in hostem arma turpi otio, et paci infidae, sibi praeferendum statuerent necessarium bellum; utrumque assecuturos, ut et plebi consulerent, quae frustra in otio, suis invisa, cessationem malorum quaereret, et iis simul, qui ad bellum proficiscerentur, unde fortitudinis laudem, atque opimam praedam, bene gesta re, nulla cum suorum iniuria, essent deportaturi. Satius quidem fuisse eam animi moderationem in nonnullis fuisse, ut ultra ius humanitatis, in miseros saeviendo ne progrederentur: eam in plebe aequitatem, ut dissimulando, obsequendo, nonnulla moderatius ferendo, meliorem suam caussam, deteriorem adversariorum efficerent: sed quando, secus quam vellent accidisset; quemadmodum in fluminum alluvionibus, aquarum impetus violentior, per derivationem in novos alveos reprimeretur, esse ferocibus animis aditum ad externa bella aperiendum; quorum unum iustissimum Vngaris convulsa, ac labefactata respublica ostentaret. Quam vero caussam Vngaris refugiendi ab armis, post hominum memoriam, gentium omnium consensu re militari excolenda, pro gentis gloria pugnando, patriae iura, Christi nomen, imperii fines tuendo, fortitudinis insignem laudem promeritis, quibus, ut hereditarium cum Turca bellum, ita virtutem gerendo bello parem, maiores reliquissent? Bellum quidem instare gravissimum adversus hostem aeque terra marique potentem: nihil hoc ve-

rius: sed ut certam spem faceret Vngaris, eorum tum virtus, tum pietas, quam semper deus immortalis, cuius caussa ageretur, praesenti ope fovisset, munisset sua invicta dextra, adversus vim omnem tutatus esset, laeto eventu cum eo ipso tam potenti hoste debellandi. Quod quidem tum futurum sperari oporteret, cum inter se complexi animo, et unam communem salutem respicientes, privata odia, inimicitias, simultates, unde caussa tot malorum exsisteret, sibi quasi a stirpibus evellendas animis, atque exscindendas statuerent. Id patriam postulare, cui omnia deberent, ut quisque de suo iure decedendo, controversias omnes, quae saluti communi officerent, patriae omnium parenti condonarent, qua una re, per iuris amabilem aequabilitatem, civitates maximae, ac regna opulentissima ad summam imperii gloriam magna incrementa, et progressus fecissent. Adnitendum omnibus viribus, ut tum gererent bellum, cum domi constabilita pax, per civium concordiam coalescentibus animis, laetum rerum eventum polliceretur: ut enim tuta corpora adversus vim omnem tempestatum essent, quae aequabile temperamentum, e contrariis principiis constituta moderaretur, sic optimum haberi civitatis statum, in quo, lex una rerum humanarum moderatrix, varios civium ordines, in unum ceu corpus conformando efficeret, ut neque plebs nobilitati, neque plebi nobilitas, altera in alterius perniciem nimia licentia saeviendo exitio esset. Quam vero hanc immanitatem, Vngaricam plebem, non Scytharum, non Turcarum, armis, non ultimae barbariae hominum, sed Vngarorum plecti, cuius caussa si contra hostes in acie caderent, esset vita functis summa speranda laus? Quo morbo vexari, quo agitari furore, amentia nobiles homines, ut iis armis suos peterent sempiterno

cum dedecore, quae cum spe gloriae, et praedae luculentae, essent in Turcam hostem intentaturi? ut aequiore animo parcerent suis, superesse hostium urendos, ac populandos agros, diripiendas atque evertendas urbes; arces, pagos incendendos, qua longe lateque pateret eorum imperium, cuius essent immensi fines. Inde neque materiam defuturam praedae avidis, ad cupiditatem explendam; neque avidis gloriae ad immortalem sibi comparandam laudem. Licere, ubi a suis abstinerent, locupletari hostium spoliis, ornari manubiis, locupletari divitiis, quae ex totius orientis exscidio eodem congestae coacervataeque in immensum crevissent. Pacis tempore has clades omnes non a barbaro hoste, sed a suis miseram plebem perpessam, atque adeo unam ob caussam perpessam, quod diuturna tolerantia malorum, suos alacres in sui perniciem reddidisset. Gerendum foris bellum, ut domi coleretur pax: quaerendum externum hostem, ut esset in quem saevirent parcentes suis; sitientibus humanum sanguinem, non e suorum, sed ex hostium iugulis hauriendum; hostium ruina, non suorum, restinguenda odiorum incendia, quibus nobilissimum regnum conflagraret; odia, quibus nisi primo quoque tempore re ad concordiam redacta, occurrerent, essent brevi omnia eodem casu ruitura. Neque hoc unum tamen patriae impositum vulnus; simul enim domi exortum gliscere civilem furorem, atque adeo ut propediem, ni deus propitius suorum animos alio averteret, eruptus esset in apertum bellum; simul percrebrescere apud exteras gentes adversam famam, inter se Vngaros hostilibus odiis certare; quos quidem minime verisimile esset, in partes diversas distractis viribus per civilia arma, bello gerendo adversus hostem Selimum suffecturos; ut deo immortali grates agendae viderentur,

cuius aeterno consilio esset factum, ut immanis hostis necessario bello implicatus, minus soluto animo cogitare de rebus Vngaricis posset, quibus certius a suis, quam ab hostibus exitium impenderet. Vtrumque vero effici suscipiendo sacro bello. Nam et materiam non defuturam ad gloriam, defendentibus patriam ab hostilibus armis; et improborum ferociam, audaciamque fractum iri, ut quibus lex minus posset, belli vis iniiceret frenos. Hoc commento olim in Romana civitate principes saepe populum elusisse, tribunitiis actionibus concitatum; optimo quidem consilio, ne civibus nimio otio luxuriantibus, materiam fovendis odiis, quies ab armis suppeditaret. Non posse umquam hominem vacare ab agendo, vegetum animal, et impatiens otii, ut, cum minus nosset agere praeclare, ne quando cessaret, cogeretur male agere, ad id natura impellente, quae segne animal, hominem praesertim, unum maxime animantium omnium ad industriam, et solertiam natum, minime pateretur ignavia torpere. Ita autem usu venire, ut quemadmodum frumentariae molae, quamdiu externa vi, aut ventorum aut amnium agerentur, nisi aliunde materia, quam attererent, iniiceretur, se conficerent mutuo attritu; necesse esset intestina peste laborantem civitatem, sua mole obrutam everti, nisi suscepta expeditio belli, a civilibus contentionibus, unde intestina mala omnia orirentur, curas avocaret. Quid autem eos sequi, qui otium suaderent; deterrerent ab armis? Dulce esse pacis, dulce otii, atque amabile nomen: nihil verius. Sed quid, si pax ab externo hoste, domi funestum pararet bellum? Pax vero? quae quamdiu esset futura? cum quidem Vngarorum discordiae ita hosti Turcae opportunum bellum efficerent, ut eum tum quiescere, portenti simile esset. Quem vero

posse ignorare (idem saepe repetendum, inculcandumque esse) quemadmodum male affecti, et longo morbo tabescentes, quantumvis levi impulsu, icti collaberentur: sic civitatem, quamdiu eam intestinae discordiae exagitarent, a quantumvis imbecillo hoste, qui eam peteret infestis armis, eversum iri? Quid enim, si Selimus, cuius paullo ante nomen, metum ultimi discriminis Christianis populis omnibus iniecisset, omnibus aliis curis exsolutus, domesticis cladibus regnum affectum, totis viribus, contempta vana religione foederis, adoriretur? ullamne reliquam spem superesse Vngaris vires bello, gerendo, qui pace, infestioribus suis, quam hostibus bello, uterentur? Hominum, ut varia ingenia, ita varia studia esse; litteris alios, alios fingendi, pingendi, caelandi arte delectari, mercaturae faciendae aptiores alios, magis alios colendo agro, idoneos: Vngaros militares homines, bellicae rei gloriam adamare, ignorare ceteras artes pacis, atque otii, quibus animos crederent effeminari; in his litteras, nisi quatenus requireret necessarius usus, studia liberalium artium, tum quaecumque alia ad vitae cultum exquisitiorem, atque elegantiorem spectarent; quibus in militaribus ingeniis masculam virtutem, quae insita Vngarorum genti a natura esset, enervari, et praecidi industriae nervos contenderent, quo genere qui oblectarentur, molles, et delicatos, ipsi deliciarum omnium contemptores, atque ex aliorum mollitia, admiratores sui, neque forte iniuria, abesset verbo arrogantia, appellarent. In his conspici, quae virtutis argumentum haberent, non fortunae, pulcherrimum ducere: antiquo opere caelatum aurum, numismata, vasa priscae elegantiae, pictas tabulas, signa ex aere, et marmore, neque requirere si non adessent, neque si hereditate adiissent,

relicta a maioribus, magnopere existimarent sibi ab iis, qui carerent invidenda. Quo virorum fortium animi propenderent, Vngaros arma, aciem, campum spectare, neque vitam illam credere, quam domi fluentem, et liquescentem deliciis, non agerent in castris: odisse pacem, qui vigerent belli artibus; iners, et segne otium impigri atque acres; quo languerent vires, hebescerent animi, torperent dextrae, feroci ingenio homines, et quibus vita esset invisa, quae materiam ad gloriam viris fortibus per bellicas artes non subministraret. Quae cum ita essent, etiamsi nulla praeterea armorum occasio offerretur, e praesenti Vngariae statu oblatam videri capessendam; ut qui ius fasque omne, in vi, atque armis positum haberent, ii in castris forum, in castris leges, in castris iudicem agnoscerent, atque eum ipsum septum armis, ne aditus ad iniuriam sceleratorum hominum audaciae pateret. Hanc unam rationem tutissimam haberi eorum impotentiae coercendae, qui in eadem cum ceteris aequabilitate colere communis societatis iura recusarent; ut eo se volentes prudentesque conferrent, ubi discerent vereri tortorem, vincula, secures scelerum ultrices, quibus, feroces homines se submittere cogerentur.

Nemo adeo erat rerum imperitus, quin cum haec audiret, vere dici, atque e republica fateretur: magna enim cum nobilitatis invidia quotidie multa, atque insignia exempla ferebantur superbiae, crudelitatis, atque avaritiae, quae in miseram plebem plerique e nobilitate edebant: quae quidem iam omnem modum supergressa apparebat, haud diutius quam necesse esset populos passuros: Vnum modo obstabat (cum adhuc certi seditionis duces nulli exsisterent, qui civilis motus initium facerent) quominus ubi irent ad arma, spe-

rarent, audacibus inceptis, finem quem vellent impositu-ros, agrestes homines, et quos caussa modo, et susceptus dolor, ex nobilitatis iniuriis, non peritia rei militaris, non arma, non exterorum auxilia armarent. Neque erat tamen nobilitas paratior ab armis, quibus maiorum ius adversus tantam hominum conspirationem, ubi in apertam vim erumperet, tuerentur; quae quidem res eorum auctoritatem elevabat, qui in regis consilio bellum suadebant. Nam neque suis viribus Vngari confidebant, ita discordiis civilibus agitati; neque habebant quo confugerent destituti suis, propter eas caussas, quas supra commemoravimus; ut ne tum quidem, cum Asiatica arma barbarum hostem implicatum haberent, satis roboris affuturum ad rem gerendam arbitrarentur: nihil enim Selimus prius videbatur tentaturus, Vngaris ab inito induciarum foedere discedentibus; quam ut per oblatam occasionem iusti in speciem belli, armis Vngaros persequeretur, iuris gentium, et foederum ruptores, quo fidei vinculo, iurisiurandi religione, sancito, aeque bello, pace res hominum starent. Nondum vero animis obsoleverat funesta illa clades, quae patrum memoria omnium maxima erat ab Amurathe Turcarum rege ad Varnam accepta: cum Vladislaus Vngarorum, et Polonorum rex, adhortante Eugenio IV. pontifice, qui nutantem atque haerentem animo, ne foederis religione impediretur, legibus soluerat, bellum rupto foedere, non sine magna hominum invidia, nihil minus barbaro opinanti intulisset: quo quidem infeliciter gesto, facile intellectum est, ne in Turca quidem hoste violari datam fidem per sacrorum interpositam religionem deo immortali placere. Personis rebusque adeo potest variari perfidiae scelus, ut in altero admissum gravius; non aeque grave admissum in altero sit: sed eadem est perfidia

semper, cum non prius hominem per datam fidem fallat, quisquis ille sit, quam sit sceleratus in deum cuius numinis augustissimi sanctimonia, et maiestate abutitur, ad hominem fallendum. Neque vero erat dubitandum, quin Selimus, ad tempus simulato pacis studio.. ubi expediret, discordiarum, et bellorum sator, quorum volenti nusquam erant honesti in speciem obtentus defuturi, animo agitaret Vngaricum bellum; non ignarus praesertim qui tum rerum status apud Vngaros esset; quod bellum non prius tamen erat gesturus, quam, fratre oppresso, qui unus incepto obstabat, Europae rebus, omnibus aliis solutum curis, intenderet animum; quem quidem ad omnia sua sponte erectum, quae aliis ardua et maioris molis viderentur, non solum insita animo audacia, et domesticae vires, sed nostrorum regum tempora etiam ferocem reddebant, iis de caussis, quae non semel sunt a nobis commemoratae. Neque erat dubium, quin incepto eventus responderet, ni tamquam arx obiecta eius conatibus Vngaria imminentem ad exitium Christianis populis remoraretur. Illud etiam subibat, quod sollicitis de populorum salute erat verendum, ne, in Turcam bello suscepto, in magno rerum motu male in principes animata plebs, per discessum nobilitatis vacua metu, excitaret interea civile bellum, cuius sibi aeque foedum, et tristem exitum victi pariter, victoresque ominabantur: ut in taetra ac deformi malorum facie, quae ob oculos obversabatur, ineundi consilii difficillima ratio; explicandi nulla plane haberetur: iam enim animos viribus deficientibus, cum per rerum omnium patientiam a quibus abhorret hominis natura, nobilium hominum aucta impunitate, iis quae per se gravia perferrent, graviora indies, acerbioraque vererentur; populi non obscure defectionem mo-

liri, agitare animis caedes, populationes, incendia, per haec malorum solatium quaerentes in pagis, in compitis vulgo ferebantur; temere adhuc, et ut magno cum hominum consensu, ita nulla certa hominum coitione, nulla militum firma manu, qui volentibus, quod non audebant, et minus quid possent agnoscentibus ostenderet suas vires. Neque aberat suspicio tamen apud regem, cuius nimia dissimulatione, haec accidebant, plebis urbanae, atque agrestium caussam pontifices tueri, magnae potentiae in regia homines, de quorum sententia, hoc accepto instituto a maioribus, rex summam reipublicae administrabat; cuius rei caussa eos opimis sacerdotiis, et sacris honoribus, magna quidem cum invidia, et offensione nobilitatis auxerat, qui sanguinis sui praemia, vulnerum, caedium, quae in campo, atque in acie armatis necessario pro communi patria essent perferenda, inertibus hominibus, quasi de republica praeclare meritis, mandari querebantur. Ex infimo genere plerique orti, cum, a prima pueritia, victui ostiatim quaerendo assueti (quod illis saepe probro dare nobiles homines consueverant), litterarum ludum olim frequentassent, tacito naturae instinctu impellente, tueri sui ordinis homines et consociare consilia insimulab(ant). Hinc legem latam nonnulli tradunt, ne cui in posterum liceret, pontificatum in Vngaria inire, qui non adlectus ex corpore nobilitatis, in sacerdotum collegium, et sacris initiatus esset: quibus ne temere assentiar, diuturnus usus, qui instar legum omnium est, refragatur: multi enim semper ex plebe ad hunc usque diem pontificatus honore insignes, in regum consilio de summis rebus rogati sententiam dicunt; multi qui amplissimas legationes apud exteros reges obeunt, et magno adhuc in honore habentur.

Ergo cum caussa anceps sollicitos animos exspectatione eventus in contrarias sententias distraheret: nonnulli sive, quod contra, atque alii sentirent, certam rationem secuti, vere erant ab armis animo averso: sive, quod ita se regi gratificaturos putabant, et suo ingenio, et Sigismundi fratris consilio a tam temerario incepto abhorrenti, contra eos qui bellum suadebant, ad hunc modum verba fecisse dicebantur: Qui sperarent se posse occurrere civili bello, per occasionem sacri belli gerendi, eos probare magis erga patriam suam pietatem, et fidem, quam certam rationem sui consilii sive rei, sive orationis vitio explicare suadentes id quod male reipublicae conducere existimarent: neque enim solum, quam necessario esset id agendum, de quo consultatio esset, sed quam recte etiam, facile, tuto id posse agi crederetur, considerari oportere. In eo rerum discrimine Vngarorum res verti, ut neque soli essent pares sustinendo bello, quod ultro inferendum alii suaderent; neque spes esset ulla reliqua, per Christianorum regum consensionem, quorum vires tot annorum continentia bella fregissent, Selimum hostem magna fortuna, et felicitate suo imperio adiunctis orientis opibus, praesentibus viribus debellandi. Qui, ut etiam, male gesta re, ex Asia rediret, quemnam dubitare posse, cum nullae Vngarorum copiae essent, quibus obsisterent Selimi viribus affectis, ad quas vellet illos conditiones securum de belli exitu, perducturum? cuius quidem male gesti invidiam, quae semper miseros, ubi suo merito perirent, sequeretur, qua ratione se deprecaturos sperarent, qui principes sua sponte quiescentem essent bello adorti, quemadmodum nulla provocati iniuria, sic violato gentium iure, quod, foederum, et religionum omnium contemptores, negare

haud possent? Non Vngaros adversus Selimum, barbarum hostem, crudelem, immanem, (adderent, si placeret, eundem hominum in vita prodigium, et portentum) suscepturos bellum, sed adversus dei immortalis religionem, per quam iure iurando, et summa cum caeremonia sancitam, ictum cum eo foedus esset, quod quidem bellum patriae infelix, atque inauspicatum (averteret a suis deus tam triste omen) omnium maxime memorabili exemplo, quod patrum aetas (pos)teris exsecrandum detestandumque (re)liquisset, essent gesturi; cuius recordatione aequum esset, Vngaros a tam foedo consilio deterreri; cum minime dubitari oporteret, quin in simili re violati foederis deus ultor vindexque Vngaris immineret. Refricabant vero hoc loco grandes natu homines, tristi commemoratione et minacibus verbis rem per se foedam gravemque augentes, Vngaris, acceptum vulnus Vladislai tempore, qui Vngarorum idem, idem Polonorum rex, Iuliano Caesarino Eugenii pontificis legato suadente, Amurathi Turcarum imperatori arma intulisset, rupto foedere, quod summa religione cum eo percussisset; cum vanis pollicitationibus inflatus iuvenis, et maioris animi quam virium, affuturas gerenti rem universas Europae vires, de victoria minime dubitaret: quam illius spem, irato numine pro meliore caussa stante, similis auspiciis eventus frustratus esset, ad Varnam rege fortissimo, suae aetatis flore, cum maiore exercitus parte caeso: qua plaga nusquam Christiana respublica graviorem accepisset. Nam quo maiore invidia victi laborarent, quorum afflictas res, sequi hominum misericordia consuevisset, commisso proelio, iussisse tum barbarum regem, in confertos signa inferri, Christi in crucem sublati imagine in vexillo praelata, qui adversus divini iuris

violatores, pro iis staret in acie, a quibus ius, fas, religio staret, et proditae fidei a sceleratis exigeret poenas. Ac Selimi quidem vires, quantumvis attritae bello, et debilitate dicerentur, nullo negotio instauratum iri, subito delectu, e iuventutis flore, in supplementum milite scripto; ut quidquid detrimenti Parthico bello esset acceptum, sarciri facillime posset. Bellum autem, ut cetera abessent, sua sponte Vngaris grave, hostis dirum, atque inexorabile odium in sacrosanctum Christi nomen, et religionem, formidolosum efficere. Nihil enim verius, quam quod belli suasores audirentur usurpare: adducturum illum exercitatum militem per longinquam militiam, multa emeritum stipendia, duratum adversus omnia belli incommoda, multis perfunctum in Asia, atque Europa bellis, quem esset excepturus Vngarus miles conscriptus tumultuario delectu, et qui nomine tantum gentis gloriam, atque inanibus nobilitatis titulis tueretur. Non eandem fore rationem (....r) infinitam licentiam insectantium suos, paganos homines, rusticam, atque imbellem turbam, ac descendentium cum Turca hoste in proelium; qui ita de summa rerum esset dimicaturus, ut non arrogantibus verbis, et inanibus minis, quibus inertes homines se vulgo venditarent, sed fortitudine, et vero animi robore, inter suos aeque, et inter hostes insignis pugnaret: ut si male audirent Vngari apud nationes exteras, ita de suis meriti, eo illis aequiore animo ferendum videretur, quo ipsi magis, ne praeclarius audirent (a)uctores essent. Duplici vero nomine plectendos, et quod sibi privatim, et quod patriae dedecori essent, cuius salus bonorum consensu (non enim omnem nobilitatem, cum sceleratis hominibus, in regni exscidium conspirasse) frustra niteretur. Emollitum quasi pestilenti, et dira tabe, longo iner-

[illegible] [illegible]. [illegible] illi. atque [illegible] maiorum ro- [illegible]. quarum peccata semper [illegible] arcis loco. Christianae reipublicae [illegible] opposita obtinerent, quae [illegible] praesidiis [illegible] et [illegible]eretur, et quem [illegible] vagari [illegible]. cum communi [illegible] gerendi bellum. cum quorumcumque sibi communem [illegible] Christiani populi. non possent recu- sare. Namque ubi cum [illegible] nullam spem ostendi, quod saepe Romae peramplis ac magnificis verbis ostenta- tum. et in regis [illegible] [illegible] esset. e Gallia, Italia. vicina Germania auxilia affutura. foventibus inexpiabi- libus odiis regum discordiis. quae laxarent vires citius, quam animos. quam longissime a pacis studiis abhorren- tes: ita enim nonnunquam videri pacem quaerere, ut eius rei minime dubiam caussam praeseferrent, non quiescendi ab armis. sed sumendi spatium ad instauran- das vires. eundem spectantes armorum finem, qui odii esset; quod quidem inexorabile. atque implacabile, nulla certa excogitata ratio posset sedare. Deflagrasse iam per tot saecula illum regum animis pietatis ardo- rem, quo certatim incensi. propriis relictis regnis, arma in Christi hostes expediebant. Potuisse olim maiorum memoria pontifices. sed vere illos pontifices quidem, et maximos et sanctissimos. secum trahere regum ca- tervas, quos vera pietas ab ultimis terrarum finibus ad tam gloriosam expeditionem exciret; potentissimos populos; maximas civitates; exercitibus terram; mare classibus sternere; descensuros in aciem fratres, et ferro de regni possessione certaturos in concordiam redigere. Hoc vero modo? Immo potuisse eo adducere aemulatione verae laudis, ut in spem certae gloriae erecti, iidem laborum gerendo bello, praemiorum iidem consortes, quae sibi maxima, parta de hostibus victo-

ria, sponderent, discerent regna aspernari, multo ampliorem gloriae titulum, liberatae sacrae urbis, ab impia barbarorum dominatione, quod praemium summae virtutis, et pietatis esset, consecuturi. Neque alienos ab hac laude fore praesentes reges, si eius sententiae auctor Christi pontifex praesto esset, qui exemplo magis, quam verbis reges adhortando, monendo, privatis consiliis publica potiora habendo, sibi ad posteritatem monumenta clariora pietatis, religionis, fortitudinis, constituenda censeret. Quae vero auxilia Vngaros, ab iis posse exspectare, quibus cum non sufficerent animis vires, ad sese mutuo conficiendos, cum eo ipso hoste infestissimo Christiani nominis, tantum non pacis foedera inirent, ut esset quicum consociatis armis, Christianam rempublicam perditum irent? Pasci modo Vngaros inanibus titulis, decretis, in speciem magnificentissimis, crebris litteris, pietatis, et religionis illustribus nominibus refertis; verum robur, et solidas vires, iis suppeditari, quorum armis futurum esset (obrueret enim vero deus tam exsecrandum omen) ut aliquando Christianus orbis, qua longe lateque pateret, subderetur Othomanorum imperio. Si vera pietas, si religio insideret animis; serio aliquando cogitaturos Christianos reges de Turca debellando, atque adeo, ut id vere illos velle, non ostenderent grandia verba, et inani vento ambitionis tumentia, sed, per sublatas discordias, conciliati animi, et, quo proxime hostis barbarus immensis circumseptus viribus incumberet, conversa arma. Minime certe dignos Vngaros, qui ita ludibrio haberentur, si eorum in Christianam rempublicam merita, posita in excelso loco reipublicae ne quemquam possent fugere, spectarentur. Quot vero iniuriae, quam insignes in tam fallaci ratione in Vngaros in-

esse? Ex his. cum multa essent, vix constitui posse. quae indignior. gravior. maior habenda videretur. Destitui fortissimam gentem. verbo arrogantia abesset. defendenda Christiana religione. finibus propagandis, barbaris hostibus igni. ferro persequendis. iam pridem habitos principes. et quidem ab iis destitui, a quibus maxime eos sublevari aequum esset. Prodi a Christianis regibus Christianam rempublicam impiis hostibus, tot populos, nationes. tot gentes. quibus esset in terris sanctissimum Christi nomen: ut miserorum aerumnae, quamquam ingentes, non moverent magis, quam earum auctores, a quibus essent propulsandae illatae ab aliis: quae mala enim sua sponte dura, atque acerba hominibus contingerent, etiamsi eodem modo semper laederent, effici tamen ab eo, a quo manarent graviora. Non Vngarorum mala a Selimo hoste invehi, non a Scytha immani, non a Persa religione, institutis, legibus, moribus ab iis diverso, sed a Christianae reipublicae moderatoribus, quorum principes partes essent, in Selimum communem hostem invehendi. Laedere vero non minus, qui cum posset, iacentem non sublevaret, quam qui e summo ad infimum deiecisset, hoc natura homini praescribente, cuius proprium esset, iuvare, fovere, opem implorantibus esse subsidio, ut crederet in neglecto officio insignem iniuriam in universum humanum genus, contineri. Quae cum ita se haberent, abiectis belli consiliis, quae Vngarorum praesentia tempora non ferrent, non videri committendum, ut suscipientes parum opportunum bellum, impares viribus, certo suo exitio, nullo levamento malorum, Christianorum regum, qua flagrarent, invidiam augerent; cum hoc percrebresceret, per illos factum esse, ut populi exteri, qui possent, et vellent Vngaris adesse, implorantibus opem adversus ho-

stem barbarum, viderentur defuisse, magno quidem eorum dedecore, qui receptum pietatis munus, quo die inaugurati, regni honorem iniissent, minus praestitisse convincerentur. Nam Venetos vix esse sperandum ad bellum consensuros, saepe infelicibus auspiciis terra, marique cum Baiasete congressos. Accedere ad haec recentis in illos beneficii memoriam, cum ingenti belli mole oppressis, ne succumberent victi, hostis unius suae fidei, et constantiae memor, ultro auxilia pollicitus esset. Et si vero beneficii genus praeposterum videretur, in eum quem liceret evertere, iniuria abstinere; in barbaro tamen, foederum ac religionum omnium hoste, qui beneficium, et iniuriam, non ex alterius, sed ex suo sensu commodoque metiretur, insignis beneficii loco habendum; praesertim cum e victi, et prostrati ruina, augere magnis accessionibus ditionem, atque imperium posset. Cuius beneficii quamdiu non obliviscerentur, quem posse sperare, Venetos hanc mortuo gratiam relaturos, ut cuius constantia, et fide, adversus terrarum orbis consensum, imperium invicti retinuissent, eius posteros ultro oppugnatum irent. Reliquum esse Sigismundum Ladislai fratrem; ad quem grave bellum gerentem, qui confugiendum censerent, eos sedulitatem magis suam in fungendo pietatis munere, quam prudentiae partes in dando consilio praestare. Agnoscere Polonum suas vires, quas ita attereret Moscus perpetuus hostis, ut esset existimaturus secum bene agi, si abhorrentem sua sponte ab armis Selimus quiescere pateretur. Ita, quod accidere necesse esset, Vngaros hosti crudelissimo obiectos (averteret hoc a suis propitius deus) perditum iri, exterorum quidem regum magna infamia, qui per Christianorum, et populorum ruinam crescere, quam per Turcarum eversionem mallent; sed sua tamen non levi cul-

ia, quae multo magis augerent domestica mala, non a Selimo primo bello, quam a nostrum temerario consilio inferri. Neque illud minoris momenti reliquum futurum, quod nemo unquam in suo genere, et adverso casu desideraret, ut cum aliorum misericordia perirent: nemine non existimante Vngarum dignum eo malo, quod sibi ipse sciens et videns conscivisset. Nam si quid durius accideret, de victoris misericordia multo magis esse desperandum: qui quidem eo vehementius esset in victos saeviturus, si quod alii etiam vidissent, quo iustius quereretur, ad se experimentum difficili suo tempore, per apertam defectionem Vngaros foederis religione abusos. Et tamen, quasi in praesentia urgeret, non defuturam regi opportunitatem rationem quiescenti a bello, qua intestinum malum per nobilitatis, et plebis discidium ortum tolleretur. Secessisse olim in maximis civitatibus plebem a nobilitate, exagitatam principum iniuriis, quae tamen sapientium hominum consilio, et virtute se iis reconciliari, per aequas conditiones, et reipublicae salutares leges passa esset. Neque vero ita male agi cum Vngarorum gente, ut non esset sperandum, quemadmodum olim Romae aliquando reipublicae amantes homines excitatum iri, quorum sapientia, iniuriis omnibus oblitteratis, agrestis, et urbana plebs, per pacis aeternum foedus, cum nobilitate coirent, hoc statuentes, quorum esset unum corpus, una communis patria, omnium parens; unam atque eandem communem salutem omnibus procurandam, quam pari consensu, concordibus animis, sarctam tectam adversus omnes impendentes calamitates domi forisque tuerentur. Hoc tutius consilium, certe, ut in fluxis rebus, honestius, eo debere existimari, quo minus, qui dissentirent, certum consilium haberent, quod sequerentur: neminem enim

posse dubitare, quin bellum neque legitime per foederis religionem, neque tuto per praesentem rerum statum, atque hostis potentiam, a foederis violatoribus susceptum, tristem, ac funestum exitum esset habiturum: non enim, id quod vere ab aliis usurpatum esset, cui obstricta fides, sed a quo esset obstricta, neque in quem, sed a quo violata esset, oportere spectari: ut si quis, pro ratione suorum temporum statueret fidem sibi, aut servandam, aut frangendam, quod eam hosti perfido obstrinxisset, is intelligere deberet, se ita agendo, meliorem hostis caussam, cuius, in admittendo facinore, aemulator esset, suam facere deteriorem; ut enim virtutem, etiamsi in hoste eniteat aemulandam, ita flagitium, et scelus non in hoste solum, sed in parente quoque detestandum. Incidit in hunc modum de bello consultantibus Thomas Cardinalis, quemadmodum diximus, Roma profectus, sed, ut fama eorum, quae Romae acta essent, multo ante illius adventum ad regem perveniret. Inde magis in dies percrebrescens, ex Vngaria ad finitima Turcarum praesidia, et prostremo ad Selimum etiam Prussiae hibernantem manavit. Quae omnia maiora vero, pro suo quisque sensu veris falsa addendo, afferebat: Eductum Romae e sacris penetralibus crucis vexillum a pontifice maximo, immortalibus praemiis propositis iis, qui in sacram militiam, crucis insigni sumpto, nomina profiterentur. Tantum eorum fieri concursum, qui nomina darent, ut non sufficerent undique confluentium studiis, qui iis auctorandis, et militiae sacramento adigendis, praeficerentur. Ergo Cardinalis legatus, per eorum factionem, quibus geri bellum placebat, frustra melioribus dissentientibus, qui certam inde pestem, et ruinam Vngaris portendebant, pontificis edictum promulgare constituit, optimo ille quidem animo, sed mi-

nime ex Vngarorum tempore, qui, saeviente intestina peste, haud satis liberis animis possent externo bello vacare: In eo quidem satis a se regi cautum credebat, si non, tamquam unus e regiis ministris bellum suaderet, ne violata foederis religio, regi apud hostem fraudi esset, sed tamquam pontificis legatus, cui liberum ius in Vngariae regno, atque orbe Christiano universo indicendi sacrum bellum, auctorandi milites, et cruce signandi Leo pontifex permisisset. Iam enim undique magnus numerus voluntariorum confluebat; quorum studia legatus, quamquam satis per se (ve)rae gloriae aestu flagrantium, adhortando ultro, atque excitando ad virtutem pietatemque capessendam animis, confirmabat, nulla adhuc certa exorta fama civilis motus, qui inter sacrum bellum promulgandum est excitatus. Hoc quidem Leo, sibi finxerat animo, et sua sponte studio gloriae incensus, et assentatorum vocibus inflatus, quorum greges alebat; florenti aetate pontificatum adepto speciosissimum ad hominum existimationem futurum arbitratus, quos in magnam sui exspectationem erexisset, ubi ostenderet, eadem fuisse sui imperii auspicia, et tanti hostis ab Europae finibus pellendi; cuius gloriae superiores pontifices videri cupidi magis, quam vere esse voluissent. Iam Thomas Cardinalis, non audente rege pontificis auctoritati obviam ire, antiquo ritu operatus, Romae compositum edictum, populorum laetis ominibus promulgaveret: atque inde egressa fama urbe regia, et latius ad finitimas gentes, ut diximus, pervagata, non superiorem solum inferioremque Vngariam, Illyrios, Triballos, Dardanos, Moesos, sed gentes etiam populosque omnes, qui Danubium ad Pontum usque Euxinum accolunt, ingenti ubique concitato motu, conciverat ad bellum: cuius gerendi principes partes, Vngaris con-

sensu omnium deferebantur, et peritis cum Turca belli andi, et quorum maxime intererat bellum ex sententia geri. Atque in principio quidem, edicti fama gliscente, susceptа animis pietas, et religio, hominum studia accendebat, sibi per adeo gloriosa arma, celebre viventibus nomen; quibus contingeret in acie cadere, beatam vitam, atque aeternam felicitatem spondentium. Quam tantam animorum conspirationem, brevi seditiosorum hominum furor, atque amentia disiecit. Per eos spes primum multitudini iniecta, quae, ubi esset ad arma eundum, belli duces sui ordinis homines, et nobilitati infestos quaerebat, iisdem armis, quibus essent rem gesturi adversus Turcam, se a principum iniuriis vindicandi: quae vires enim antea distractae, latebant; per oppida passim, et circumiectos pagos, hinc colendis agris, illinc exercendis urbanis opificiis occupatis, per hanc coitionem, parum aequa fortuna sub unum aspectum posuisse videbatur, minus ad eum diem, quantae essent suae vires agnoscentibus. Laeti vero audiebant nefarios, et sceleratos homines, qui se ferrent secessionis auctores, non illos quidem plebis sublevandae studio, cuius incommodis parum movebantur, sed iudiciorum, et legum metu, ob insignium maleficiorum conscientiam novis rebus studentes, cum seditiosis vocibus in principum caussam invecti, erigerent affllictos in spem recuperandae libertatis, quo nihil facilius erat, et veterum et recentiorum iniuriarum memoria miserorum sauciis animis. Eo vero vehementius ab iis obiectum libertatis nomen expetebatur, quo magis eius essent dulcedinis expertes: ut iam sibi inter se blandientes, meliorem de suis rebus spem susciperent, quarum statum deploratum habebant, neque solum de suis vindicandis in libertatem, sed de ulciscendis etiam li-

bertatis oppressoribus cogitarent: quam voluptatem saepe multi magnitudine iniuriarum victi, iactura carissimarum rerum atque vitae adeo redemerunt. A tam foedo initio, in dies magis in apertum erumpente sceleratorum hominum audacia, sensim inter se serere sermones, communicare consilia, excitare languentes, si qui essent segniores, incendere, atque inflammare. Sero quidem, sed aliquando tamen respexisse miseros fortunam, a quorum salute diu fuisset aversa, occasione oblata, non exspectantibus quamdiu optatam nequidquam quaesissent, agnoscendi domesticas vires, quas ad eum diem ignorassent. Sed non esse iis satis in fortuna subsidii, qui cum fortuna non coniungerent virtutem parem. Obtulisse fortunam occasionem modo gerendae rei, quam saepe inertes, mora corrumperent: reliquas esse eorum partes, quibus occasio oblata esset, ut cum opportunitas, et facultas agendi adesset, unam voluntatem de suo adderent, quae a fortuna inchoatum perficeret opus. Primum vero facere ad virtutem gradum, qui praeclare vellent; altius conscendere, qui quae vellent praeclare, freti animorum fiducia auderent; summum tenere, qui, quo spem intenderent duce usi acri, atque impigro, pervenirent. Conspirarent modo inflammati mutuo ardore animorum adversus reipublicae oppressores: ut caussa superiores essent, sic virium robore superiores futuros, praesenti numine pro iis stante, quibus nihil subsidii aliunde ad salutem esset reliquum, nobilibus hominibus ad iniuriam obiectis, quos in dies in se experirentur taetriores. Omnia adesse volentibus, quae terrorem inferrent adversariis; fiduciam suis; ingentes copias, e sui corporis hominibus, novum quidem militem, sed ex delecta iuventute, non corruptam urbano otio, atque inertia, sed

colendo agro, iuxta frigore, aestu, labore, vigiliis ad omnia belli incommoda subeunda, a primis annis exercitatum: ut non solum esse usui reipublicae ad imperii fines tuendos, propagandosque, sed terrori etiam hominibus crudelissimis esse possent, quibuscum multo funestius miseris esset gerendum, quam cum Turca bellum, quem, omni genere crudelitatis vexandis suis, longe superassent. Voluerent modo animis quae quisque domi per vim, et per contumeliam passus esset, quae edita in se, atque in suos exempla libidinis, avaritiae, crudelitatis: hoc satis illis ad spem certam victoriae futurum. Ac quamdiu necessitas quaedam rerum hoc tulisset, ut sua, maiorumque virtute indigna perferrent; tolerantiam eorum, atque aequitatem fuisse laudandam (quibus enim viribus adversus fatale malum pugnarent!) at eam ipsam laudem in secordiae, atque inertiae dedecus verti, ubi dei immortalis beneficio oblatam occasionem sui liberandi, ut viros fortes deceret, non agnoscerent. Nullam iam rationem reliquam miseris superesse, se adversus vim superbissimorum hominum tuendi: quocumque enim perfugissent, opem in malis quaerentes, nequidquam omnia expertis irrita cessisse: non suorum aerumnis tantis, non egestate, non fame, non sordibus, non vita omni morte taetriore, moveri crudeles animos, et deliniri posse: cum enim eo licentiae proveherentur, ut a nullo genere iniuriae in suos abstinerent (quibus maxime illos indulgere, si pietas ulla pectora tangeret, aequum esset) ex eorum praedicatione, quae in illos crudeliter, et nefarie admitterent, laudem quaerere: quasi haud satis de suis male mererentur, nisi veteres iniurias, et maleficia, novis iniuriis, et maleficiis cumularent, novo contumeliae genere iis domesticum luctum, atque acerbitatem augentes: neque enim illos

conceptum in miseros odium ullis finibus circumscriptum habere: quos quidem novis quotidie calamitatibus, atque aerumnis inferendis quibus saevirent in tot malis fessos, deficerent vires. Unum olim fuisse reliquum miseris solatium tot perditis malis, ut cum iis afficerentur, intelligerent hominum conscientiam fugere, veriti, ne ubi ea emanarent, fuisse parum strenui iis vindicandis crederentur: eo se tum solatio privari, quorum calamitates, atque infortunia, quo ea ferrent iniquiore animo, nobiles homines, qui eorum essent auctores, vulgo in foro linguae intemperantia iactarent. Eandem suam fortunam domi, et militiae esse: in bello enim unum semper, atque eundem rerum exitum omnes manere, ut pararetur victoria per miserorum vulnera, sanguinem, caedem: victoriae fructus ad beatos homines perveniret, cum miseri, sive vincerent, suis civibus multo in se infestioribus uterentur: sive vincerentur, praedae hostibus externis essent. Agi de bello Turcae inferendo, qui quiesceret suae religionis, et fidei memor: non solum vero temerarium facinus, sed impium etiam atque exsecrandum, lacessere bello, qui fretus religione foederis, a belli consiliis haberet alienum animum. Neque posse dubitari quin proditus hostis per violatum ius gentium, perfecto asiatico bello, poenas armis a sceleratis esset expetiturus, cum ad cetera mala, non possent recusare quin aeterna labe infamiae, tanto admisso scelere, in omni posteritate notarentur. Non Turcas hostes petendos armis, qui longe abessent a belli consiliis, sed qui in oculis haererent, quorum crudelitatem nullae possent explere miserorum clades, cum suis, nullo intermisso tempore, perpetuum bellum gerentium. Haud opus esse hostes erere foris, qui domi haberent: domesticum ante

conficiendum bellum, in sinu, et visceribus haerens, quam Turcae inferendum. Nullos esse acriores morbos, quam qui in vitales partes penetrarent; iis obsistendum viribus omnibus, igni, ferro, telis, tormentis, ut inde instauratis animis, ad arcenda foris impendentia mala essent pares. Haec atque alia huius generis multa, sensim in apertum erumpente vi intestini mali a principio inter paucos serebantur, caussa periclitandi leviora ingenia, in quibus inerat acrior malorum sensus, quam consilium, et audacia ad ea quae perpetiebantur, vindicanda: mox ex iis, qui apud plebem gratiosi magis, et promptiores lingua habebantur, sumpta fiducia a multitudine hominum, quorum in dies maior numerus ad signa confluebat, aut ea ipsa, aut horum similia palam concionabundi iactabant. Etsi vero adhuc in multis vigebat pietatis studium, una res alte insidens proborum animis, non poterant tamen facile domesticorum malorum oblivisci, quorum aculeus altius in animum descendebat, quam ut retundi facile, aut tolli posset. Itaque, ut maxime moveret altero quoque verbo usurpata pontificis maiestas; plausibile sacri belli nomen; amplissimorum praemiorum spes, honorum, militiae munerum, una iniecta viris fortibus illecebra ad rem strenue gerendam; eminebat in his tamen recrudescens odium recordatione malorum, quae erant perpessi; quo elati, dulcedinem ulciscendi inimicos, nulla etiam gloriae, aut commodi spe, ubi eius daretur facultas, erant cupidissime expetituri. Iam in magna hominum colluvione undique convenientium, quod vix poterat vitari, multi improbi habebantur, facinorosi, impuri, egentes; multi qui aut insedissent publica itinera, piraticam fecissent, aut per dedecus, atque ignominiam, facto patrimonii naufragio, decoxissent,

aptissima hominum manus ad perturbandum, per occasionem rerum novarum reipublicae statum. Vt vero non omnes iisdem de causis moverentur, sic finem eundem fere spectabant, per speciem expiandi scelera, quibus vitam contaminassent, spe praedae incitati, quam uberem sibi, et luculentam, ex sententia bello confecto, pollicebantur. Magna haec, atque in primis gerendo civili bello apta manus, quos positos in summa egestate, per immanium scelerum et flagitiorum infamiam amissa honestate, victus malis artibus quaesitus alebat: quae res semper, ubi classicum cecinit, uberem annonam, militiam profitentium fecit. Frequens horum concursus ad signa, per se ingenti coorto incendio faces subdebat, ne qua spes esset, nisi regni insigni motu per bonorum consensum posse restingui. Quae quamquam ita erant, non ulterius tamen improborum coniuratio progrediebatur, quam ut quid vellent appareret; quid possent efficere subnixi praesentibus viribus, ubi dux accederet temeritate, atque audacia par, prudentes homines, et periti rerum, sibi spectandum censerent. Interea coquentes animis perniciosi belli consilia, inter se certatim monendo, atque incitando occulte odia fovebant, quae mox in nobilitatem, et, per principum fractas opes, in regni universi perniciem essent effusuri; quominus in apertam defectionem res traheretur, nemine adhuc prodeunte in medium, qui se temere inconditae multitudini ducem ferret. Quantumvis vesana libido inflammaret furentium animos, nihil prius tamen agi placebat, quam ducem nacti, in spe certa essent, incepta maturantibus ex sententia successura: quae una res non solum audacia, sed, ne ea in temeritatem verteret, succincta armis, consilio videbatur expedienda. Non ulterius ta-

men vulgo provehebantur, quam ut inter se libere agerent de iis quae a seditiosis hominibus ferebantur; cum quidem gratias deo immortali agerent, qui aliquando miserorum caussam suscepisset, confirmantibus iis ipsis sceleratis hominibus, qui capita coniurationis habebantur, piis suorum votis deum inimicorum ultorem, propitium affuturum. Iam cum in unam essent curam intenti, ut in dies vires maiores praesentibus adderentur, in eo maxime vigilabant, ne, quod erat in multorum conscientia timendum, foras consilia emanarent, ita sperantes imparatos adversarios a rebus omnibus, ubi perficiendi facultas adesset, sese oppressuros.

In hoc rerum discrimine tanto quamquam vehementer Vngaria laboraret; in dies tamen magis hominum studia flagrabant in sacram militiam coëuntium, eadem conspiciebatur animorum alacritas; in omnium ore religio; Christi nomen; liberandus terrarum orbis ab impotenti Turcarum dominatione; recuperanda urbs, quae perdiu sedes fuisset maximi imperii; victoriae laeta, ac fausta omina, propagatio finium, opulenta praeda, militiae decora, fama, nomen; ut non proficisci ad bellum, sed patriam repetere hinc onusti hostium spoliis, hinc partis magnificis victoriae titulis, omnium hominum beatissimi viderentur. Quae dum diversis in regni partibus geruntur, Cardinalis legatus ne ita incensis hominum studiis in tam gloriosam expeditionem videretur, defuisse; frequenti populi conventu, qui ad eius rei famam in regiam urbem convenerant, dicitur in hunc modum verba fecisse: Bene sane vobis, Vngari, atque feliciter evenit, quorum praeclaris studiis, Leo Decimus pontifex favens, divino suo beneficio effecit, ut, quod vobis bellum erat

necessario suscipiendum reipublicae caussa, difficile idem vobis, vestro minime opportuno tempore, adversus hostem potentissimum gerendum, melioribus vestra spe auspiciis, tanto auctore pontifice susceptum, laetum vobis exitum sponderet. Et vos quidem, quae vestrae partes erant, praestitistis, ut damnata fallaci foederis superstitione, qua vos irretitos callidus hostis tenebat, eodem consensu, bellum vobis decernendum censeretis: et pontifex partes praestitit suas, atque adeo vestra spe cumulatius, ut praeclara vestra studia, quibuscumque posset rationibus, foveret. Cuius quidem adhortationibus, quo alacrioribus animis parendum vobis censeatis, cum vos alia multa, tum hoc unum maxime movere debet; quae vestra ad hunc diem causa fuit, iam Christi caussam haberi, communem illam quidem gentibus omnibus, quaecumque eius nomen sanctissimum profitentur, sed praecipuam vobis tamen et propriam vestram, quorum iugulis e propinquiore loco imminent immanissimi hostis infesta tela. Magnum exortum in Asia incendium, omnium post natos homines tyrannus taeterrimus, insita animo ferocia alit, uti subita belli procella fratre extincto, inde adhuc incensas belli faces, vestris aedibus, urbium tectis, sanctissimis Christi delubris subiiciat: quod adeo dirum omen deus a suis avertat, uni infestus, qui idem suorum hostis acerrimus, paricida sceleratissimus, diris, atque immanibus auspiciis est summum in terris imperium adeptus. Itaque quamquam iustissimam vestram caussam, quae eadem Christi est, vestra pietas religioque efficiat, multo illam tamen facit hostium genus, qui cum bellum est gerendum, iustiorem. Nam quod Turca sit, quod Scytha; quod ex ultima barbarie sit in Christianum no-

men universum odio inexorabili; iusta quidem vobis caussa est, ut vobis illum exsecrandum animo persequendumque armis censeatis: sed aliae sunt vobis in illum odii caussae iustiores, si vestrae pietatis memores, et illius sceleris estis: non enim hominum ille hostis prius, quam naturae parentis omnium, cuius esse debent homini sanctissima iura, quam dei immortalis, per quem vivimus, alimur, movemur, sumus. Patrem sustulit veneno, ab eo in lucem susceptus, fratres ferro minimus natu; quos gentium iura praeferrent adeundo patrio regno; ab iis susceptos liberos, qui in spem tanti adipiscendi imperii alerentur; ut per caesorum tumulum, madens, et redundans innocentium sanguine, sibi in regiam aditum patefaceret. Cum hoc vobis hoste Vngari, est gerendum bellum, cum crudelissimo paricida, e recenti suorum coede, cruento ore vestrae libertati inhiante; cum eo, cui non prius licuit pervenire ad summum imperium, quam obstantia divina omnia, atque humana iura temerario ausu transcenderet; cum hoste gentium, populorumque omnium; quem vobis non vestra arma prius, quam conscientia ingentium scelerum constrictum tradet. Neque vero est, cur vos a praeclaro incepto terreat tam sceleratus animus. Non augent, sed adimunt vires sceleratis, quae impie agunt: extorquet enim facinorum conscientia ab invitis poenas, ut maxime iudicem, tortorem, carcerem fugiant, quas pro iis debitas, quae nefarie admittunt, dies noctesque ab infesto numine verentur. Quidquid domi, foris, pacis, belli tempore, mari, terra moliantur, prospicientes animo imminentem fati vim, domi insidias, apertam vim foris, in acie hostium gladios, in mari naufragium, terra latrocinia, sicas, venena, et quae divinitus impendent, alia omnia, morbos, adver-

sas tempestates, contractis formidine animis, in eorum scelerum expiationem, quibus se contaminarunt, perhorrescunt. Vobis, viri fortissimi, haec est destinata gloria, haec vobis desponsa laus: vobis, inquam, quorum maxime virtute Christiana respublica stat, Leo Decimus pontifex maximus tradit adeo immane monstrum conficiendum, vobis vindicanda tot illata vulnera Christianis populis, quae magno cum nostro dedecore, sempiterna regum infamia, hostis barbarus iis late victricia signa circumferendo, inflixit. Haerentia adhuc vobis in iugulis cruenta tela, quasi e Christi corpore sanctissimo, cuius estis nobilissima pars, revellenda, atque in belluam hanc importunissimam contorquenda sunt; quae, foeda, atque abominanda lue, nisi a vobis in patriam cornua obvertenti armis occurratur, Europam omnem inficiat, qua Asiam olim, Syriam, Aegyptum, Africam omnem a rubro mari, ad Atlanticum oceanum longe, lateque pervagando infecit. Non iam vobis Ladislai regis, sed Christi imperatoris auspiciis; non mortali homine quem commendet summa virtus, sed Christo duce, vobis merendum est, si vires spectentur, invicto, si sapientia, qui idem dei filius, idem ipse est deus. Equidem, viri fortissimi, incredibili fruor animi voluptate his ita vobiscum nunc commemorandis: neque enim iam vos gestu, fronte, oculis, sed secunda admurmuratione, qui vester sensus de toto hoc bello sit, quae spes, primo statim ingressu meae orationis, prae vobis ferre animadverto. Neque vero umquam, bello confecto, ambitiosus imperator attentius auditus est militem bene de republica meritum prosequi militaribus donis; ornare hostium spoliis; agro donare; quam me vos auditis de eo bello agentem, cuius vix insignibus honestati, vobis praemia

amplissima spondetis; quae enim expetenda aliis, vobis praecipue speranda sunt, opima spolia, luculentam praedam, insigniores militiae honores, immortalem gloriam, famam, nomen, et merito quidem; qui gerendo adversus Christi hostes bello, semper vobis vindicastis praecipuas partes. Quod vero umquam gestum est bellum, hoc uno memorabilius, in quo aeque, et vincere, et vinci praeclara est victoria habenda? Enimvero tum maxime vincit Christus, cum vinci maxime videtur. Ita olim vindex humanae salutis, de terrarum orbe universo, de inferorum impiis sedibus, de morte, de hoste humani generis in crucem sublatus triumphavit. Quae porro beatior vita, quae copiis, voluptatibusque omnibus affluentior, quam quae, pro Christi causa, appetitur in acie mors? quid enim aliud est, cadere pro auctore vitae, quam, exuta mortali natura, facere ad immortalitatem gradum? Sed laetiora vobis libet ominari. Quod sum statim in principio praefatus, id crebro mihi repetendum est (in eo enim vertitur summa belli) tria haec vobis alte infixa animo insideant, et qui ipsi sitis, et qui is sit, pro cuius caussa estis pugnaturi, et adversus quem hostem. Ita confirmatis animis, ite alacres ad bellum, inferte in hostem infesta signa, conserite manum: vicistis. Difficile inquam, per se bellum, grave aliis, dubii eventus, vestra vobis virtus, Selimus hostis, Christi caussa facile explicatum efficiet. Hostis barbarus, divini, atque humani iuris, religionum omnium contemptor, dei immortalis, gentium populorumque omnium hostis, in scelerum impunitate non est diu futurus felix, unus, in summo rerum omnium fastigio suis pariter, atque exteris invisus; unus, cuius truculenta barbaries, iustissimum in illum omnium odium concitat; cuius dies noctesque exagitatus ani-

nus [illegible] [illegible] dei immortalis iram ultricem impiae menti [illegible] [illegible] refugiat reformi- det. [illegible] vobis propitius deus [illegible] in terris [illegible] [illegible]. et quidem iugulatum prius [illegible] conscientia. quam vobis armis in acie [illegible]. Qui enim est Vngaris hostis. ei sunt infesta omnia. terra. mare. coelum. lux haec vitalis, qua fruimur. quae [illegible] ab eo. teterrimo parricidio illi certam ruinam. atque exitium minantur; neque enim est passurus deus. ut unde animantes omnes haurire spiritum. et vitam credantur. ea unius contaminato spiritu contacta. vitae hominum exitio sint. cui natura voluerit salutaria esse. Quanta vero Vngari. vos fiducia. quanta vi animorum. et robore munit. pro Christi victoria in acie pugnaturos? Quanta vestra futura laus, ubi vitam naturae debitam videamini maluisse in acie profundere. quam domi transigere turpi otio et deliciis diffluentem? Cum vero vobis permulti comites gloriosae huius expeditionis sint. ex Italia. Germania. Hispania: permagni ad vestram gloriam interest, utrum vos illos principes sequi. an vos illi; vestrae illi virtutis, quod malim. an vos eorum aemulatores videamini. Sed tollit hoc dubium insita vobis a natura magnitudo animi, et gloriae, atque laudis aemulatio, ut quemquam vobis patiamini in tantae laudis contentione anteire. Tanta apud omnes opinio de vestra virtute est, fama rerum a maioribus gestarum per multa saecula propagata; ut in conserenda cum hoste manu, nisi principes, cum hoste conferre signa, pugnam inire, irrumpere in armatas acies conspiciamini; victoriam aliorum virtute partam, vestrum dedecus, atque infamiam statuatis. Est haec una, inquam, omnium de vobis existimatio, vos viros fortissimos, aeternos huius

tetrae barbariae hostes. unde vobis certa gloriae materies, atque instrumentum. ita vestra spretis hanc arcem tutissimam totius Christiani orbis vestris copiis, viribus adversus vim omnem defendetis. ut cum vobis immortalia praemia. pro vestra miserumque pietate debeantur. nemo non concedat. iis vestra merita esse potiora. Vestrum, Vngari, hoc decus. vestra haec gloria, pro qua vobis. si usus requirat. profundenda vita in acie est, omnibus gentibus esse persuasum. Vngaros assuetos a Turca hoste petere verae gloriae insignia, non magis necessitate defendendae patriae isse ad arma, etiam si hoc ipsum iis sit futurum in omnem posteritatem in primis memorabile, quam studio liberandi Christiani orbis a servitutis teterrimo iugo. quam illi immanis hostis minatur. Qua in re tamen haud me fallit spes de vestra virtute suscepta: tamquam enim nunc suggestum conscenderim haud quidem vos cohortandi caussa ad bellum, sed canendi classicum, tuba signum dandi; tamquam mox vobis cum hoste concurrendum, proelio decertandum sit; ita mi attente audiri a vobis, pendere universos ab ore, arma, aciem spectare video; in quo quasi vestrae virtutis theatro longe magnificentissimo, vestrae pietatis, fortitudinisque illustre documentum posteris constituatis; quo vestro exemplo incitati, ad aemulandam veterum gloriam acuant animos. Ac quoniam vera laus, non ex faventium studiis manat, sed ex hominum recte factis, quibus illa debetur; non erit a vestra modestia alienum, quae vestra merita quantaque in Christianam rempublicam quae vestrae virtutis, et pietatis praemia futura sint, parta victoria de tam tetro, et truculento hoste, mecum recognoscere. Nam si apud veteres, qui civem in acie servasset, tamquam in uno esset univer-

sam patriam complexus, aurea corona donabatur, si qui princeps irrupisset in hostium castra, murum ascendisset, in hostium navem transiliisset, unde sunt civicae coronae, murales, castrenses, navales, luculentum virtutis praemium referebat; quinam vobis honores, quae praemia decernantur, quae sint cum vestris meritis aequanda, non Christianae reipublicae solum, sed populorum gentiumque omnium etiam liberatoribus? Neque vero immanis haec pestis, Christi nomini modo est infesta, ut huius rei caussa modo, sit e terris tollenda; sed pudori, honestati, liberalium artium studiis omnibus, in quibus est homini ad vitam agendam certum constitutum praesidium. Facite vobis, Vngari, Graecia sub aspectum veniat, olim gentium, nationumque omnium, gloria rei militaris, ac laudandarum artium omnium in terris princeps. Eius gentis gloriam partam a maioribus, meritis in omne hominum genus immortalibus, veterum modo scripta sunt, quae tueantur: ipsa quanta fuerit, ne ruinis quidem potest testari, iugo servitutis acerbissimo adstricta. Sunt in omnium ore Athenae, quae nos civitas primum ad vitae consociationem, et hunc cultum humanitatis, a fera vita, atque immani abduxit. Hinc coepti hominum coetus congregari, agi populorum conventus, leges hominibus, et iura describi, coli urbes, atque in his artes ingenuae omnes, quas desiderare hominum societas, et diu vigere haud potest, quippe quae illos ad vitae coniunctionem impellit. Sunt, adhuc, inquam, in omnium ore Athenae, in qua una civitate, sapientiae domicilium in rerum principio gentibus omnibus fuit constitutum: cuius tantae civitatis haec pestis, luesque teterrima, ne rudera quidem suae immanitati reliqua fecit, quae deflendae urbi omnium pulcherrimae, maxime olim,

florentissimae materiam praetereunti suppeditaret. Itaque, cuius urbis ornamentis, et aliae urbes insignes multae, et Roma crevit sedes maximi imperii, eius vix certus locus ubi sita conditaque fuit, ostendi ullus potest. Scilicet ob hanc unam caussam Lacedaemonii victores, illius gloriae aemuli, triginta tyrannorum dominatio importuna, Philippus hostis, Alexander victor omnium gentium, Sullae immanitas, et crudelitas victam conservavit, ut essent tam fera inter homines ingenia, quorum inexorabile odium vix aequatae solo, atque eversae excidium exsatiaret. Eadem hac lue teterrima, antiquitatis monumenta praeclarissima, quorum vix vestigia exstant ex hominum vita profligata: hinc incensae bibliothecae luculentae, quas cum aliorum Graecorum ingenia, tum Atheniensium in primis praeclaris monumentis locupletassent, unde instrumenta omnia, et subsidia ad vitam excolendam suppeditantur. Quid cetera illa Graeciae lumina? Quid Sparta tot virorum fortium patria? ex qua civitate virtutum omnium exemplis ad bene, et beate vivendum singularibus est constituta hominum vita? Civitatem longe nobilissimam Lycurgi legibus institutisque sancitam, penes quam unam diu Graeciae imperium stetit, eadem belli tempestas exscissam delevit, sive illa egressa ex Hyperboreis montibus rigentibus sempiternis nivibus, sive ex ultimis terrarum finibus, qua Asiae oram, et totius orbis terrae oceanus claudit. Quid Corinthus, Mycenae, Argi? Quid tota Peloponnesus, Euboea, Aegaei maris, Ionii insulae omnes, quorum nobis monumenta illustria, docti homines litteris prodiderunt? Nunc vastae solitudines, longe lateque patentes campi, maris nuda, atque inertia littora, arenae, deserti pagi, antra horrentia, rarae agrestium casae, ferarum

verius latebrae, quam hominum domicilia, et sedes. Quae quidem si fari possint; uno ore omnes vos etiam atque etiam hortarentur, imminens Vngariae incendium ab hac face humani generis funestissima, quae vestris laribus, dei immortalis templis augustissimis pestem, atque exscidium minatur, a patria suo exemplo avertatis. Quis vestrum vero non videt, iam pridem populantem flammam terrarum orbem, nisi vos antevertentes, hostium ruina restringuatis, aliquando vestro esse vobis sanguine restinguendam? Discite, Vngari, quae tutissima ratio est, aliorum exemplo vitare imminentia mala, ne id alii vestro exemplo discant: id quod est vobis pro vestra pietate a patria vestra precibus votisque omnibus deprecandum. Aemulentur potius finitimae gentes vestram virtutem, quam cladem deplorent: id enim unum Turca agit, id machinatur, ut per vestram caedem, atque ea mala quae bella invehunt confirmatis viribus, arma ulterius proferendo, ruinam eandem aliis pestemque importet. Facite, ut a vobis discant nationes exterae in Turcam pugnare, novum illis debellandum hostem; pectora invicta obiicere hostium telis; turpi servituti praeferre honestam mortem; in acie ferro hostium cadere, quam referre pedem; mori in vestigio, pro patria pugnando, quam confici crapula, et vino in popinis malle. Agite, milites Christi, viri fortissimi, efficite vobis, quod per se bellum honestum est, facile vobis, ultro hosti (ar)ma inferendo; quod illatum vobis, gravius difficiliusque hostis efficiet: longo enim usu animadversum, victoriae laetum omen habere hosti illata arma; cladis triste omen atque exitii habere exspectata. Audete Vngari, et hostem contemnere, et vero etiam mortem, si illa oppetenda sit, qua semel est

nato homini defungendum; audete Christi nomini consecrare hanc mortalem vitam, immortalis vitae auctori, certa spe freti, eos qui ita decedant, immortalem gloriam, et nullis umquam hominum fastis interituram laudem consecuturam. Ite alacres faustis laetisque auspiciis, Christi milites, adversus hostem nostris discordiis, non domesticis viribus potentem, adversus mala omnia erectis animis, quae timidis pavorem, viris fortibus, quales vos estis, subministrant materiam ad gloriam, non iam aliorum spe, sed vestra, etiam divino numine aucti fortiores. Hac oratione vehementius confirmatis multorum animis, ne die senescentia studia languerent; fessa multitudo, ut fere solet, magnitudine malorum, quibus sine ulla laxamenti spe premebantur, certatim sumebant arma, sacra militia obeunda, utrumque ut sperabant assecuturi, ut et immortalis vitae praemium promererentur, sacram militiam profitentes, et effugium sibi a potentiorum iniuriis compararent, desperato legum praesidio, quae imbecillae adversus vim, atque arma haberentur, quibus adversarii initebantur. Itaque et in urbibus passim, et in agris, ac pagis circumiectis pari animorum ardore, liberis, et coniugibus relictis, nomina edebant, ita comparatis animis, ut quidquid usu venisset cuius rei causa illis esset obeunda mors, praesenti vitae prae(fer)rent, quam ita exederent perpetuae aerumnae, et domesticae curae, ut sibi ferendum animo aequissimo arbitrarentur. Sed ne esset haec animorum moderatio diuturna, quod alio loco dictum est, eadem efficiebat desperatorum hominum, atque egentium manus, quorum feroces animos, et praesentis fortunae impotentes, spes alebat, ex rerum mutatione, fortunae melioris, quam nullis praeclaris artibus se assecut(uros) spe-

rar(unt). Iam in magna armorum impunitate maxime apto tempore ad ea maturanda consilia, quae animis coquebant, improbi homines passim se duces multitudini ferebant, cum seditiosis verbis, per se male affectis faces ad excitandum maius in nobilitatem incendium subministrarent. Inde, per conceptam spem recuperandae libertatis, conversos a cogitatione Sacri belli, quod plausibile nomen pravis inceptis obtendebatur, iidem scelerati homines monendo, hortando atque in meliorem spem erigendo, quos metus eventus a tam audaci incepto, suae imbecillitatis conscios deterrebat, traducere ad civilia arma conabantur. Vsque adeo vero audacia, atque inani virium fiducia tumebant, ut, nulla dissimulatione, quae per coetus nocturnos initio inter paucos consilia versabant, sensim inter multos efferre auderent, insectanda nobilitate, quae una illis via ad miseros fallendos patebat, imbecillos animos quo visum erat trahentes, qui suas vires, non ex suo, sed ex alieno sensu, et praedicatione metiebantur: iidem, principes in dies accusare liberioribus querelis, criminari, infirmare vires, elevare auctoritatem: quae eo vehementius imperitos movebant, quominus aderat vir probus in magna (sc)eleratorum hominum turba, qui aptus tractandis rudis multitudinis ingeniis, deliniret intestino dolore efferatos, atque ex eo iustum in nobilitatem susceptum odium; quo elati, a rectis consiliis praecipites in suorum, et patriae exitium ferebantur. Augebat fiduciam, quod altero quoque verbo a seditiosis hominibus iactari audiebant, hominum numerus, quo inflati, nihil, quo animos intendissent, sua spe maius credebant, ignari quam nullum esset in iis viribus robur, quae ita duce, et rectore carerent, ut non eas usus, non exercitatio, non disciplina ulla, et rei

militaris peritia adiuvaret. Ita miseri homines, sese modo ab ea parte agnoscentes quae perimbecilla erat, praesentia tantum, numero confisi spectabant, ab eorum malorum cogitatione aversi, quae graviora hominum opinione, a pravis initiis, temere suscepta consilia sequi necesse erat. Neque erat dubitandum, quin si tantae hominum multitudini par prudentia, et calliditate dux contigisset, fuerit multo maior accipienda clades. Iam ex nobilitate nonnulli, sive sua sponte suspectam agrestium coitionem haberent; sive ad eos aliquid, quod verisimilius est, de improborum consiliis manasset, cum inter varia hominum ingenia, vix fieri posset, quin nonnulli aut sua sponte nobilitatis studiosi, aut spe praemii incitati, indicarent quae a concionatoribus multitudini non iam abditis, et clandestinis locis, sed palam in populi corona agitarentur; crucis insignia principes exuere, et ponere arma coeperant, eo consilio, ut si suo exemplo, agrestes non discederent ab armis, male conscios animos armorum retinendorum pertinacia nudarent. Id autem si accideret, ne temere posuisse sacrum insigne viderentur, dari sibi spatium volebant, nulla sua cum invidia, ad contumacium vim, conatusque reprimendos; cum haud dubitarent, quin per sacrae militiae occasionem ab iis sumpta arma, quibus offensum, atque invisum esset nobilitatis nomen, ubi pertinacius, Sacri belli nomine obsolescente, pergerent retinere, se gerere in eorum perniciem quos odissent faterentur; cum nulla praeterea iusta armorum caussa iis ostenderetur. Tametsi vero plebs a nobilitate separata consilia haberet, et suis viribus natura diffidens, et ad levem rumoris auram mobilis, non desperabant tamen fore, ut aliorum exemplo, eorum in primis, qui medii inter nobilitatem, et

plebem, nollent bene suas constitutas fortunas publicae rei incendio conflagrare, ad sanitatem redirent. Neque dicitur postremo abfuisse ab eorum consilio Strigoniensis, quamquam idem paullo ante belli auctor suasorque acerrimus, qui quoniam de plebe erat, si quid novi multitudo armata adversus nobilitatem moliretur, verebatur, ne, ea victa, concideret alieni sceleris, et culpae reus, victoriam obtinente, totius eius rei invidia sibi uni, magno existimationis et salutis periculo esset sustinenda. Id quod tamen non effugit, neque multitudini, bello confecto, satis gratus, et nobilitati maxime (in)visus, quae magis quid egisset belli concitator, id quod videri volebant, quam quid voluisset intueretur, odio malo semper suasore, eorum, quae dubia habentur; ubi semel offensum sit, quo vis potius, quam quo fas est, inimicorum consilia trahente. Difficillima vero ratio erat, utrumque eodem tempore agere, et pontificis legatum, cuius erat certum munus, bellum suadendi; et in Vngaria tueri publicam personam, qui principem dignitatis locum apud regem obtineret; cum non posset praestare a patria sibi impositas partes, quae in magno discrimine versabatur, quin discederet a pontificis mandatis, cui quod praeverteret, consiliorum arcanorum omnium moderatori, nihil in vita habebat. Sed adeo saeva reipublicae tempestate, vicit una, quae debuit, ratio, cum ne pontificem quidem, si eo loco esset, et verbo iactari in Turcam bellum, re adornari in patriam impia arma animadverteret, secus statuere fas esset; cum nemo non videret, si is belli exitus sequeretur, quem sibi improbi sponderent, cum reipublicae salute privatorum collapsuram. Ergo, quod tutissimum in malis consilium erat, mature obsistendum gliscenti famae arbitratus; in universas regni provincias litte-

ris, et nunciis dimissis, per aquae, et ignis interdictionem superiore edicto revocato, vetuit quemquam cuius ipse nomen non accepisset, in posterum cruce signari. Quo quidem in consilio, sceleratorum audacia, legati cardinalis diligentiam studiumque praevertente, parum auxilii fuit, ad excitatum tantum rerum motum compescendum. Multitudo armata, cum augeret animos indies maior coëuntium numerus ad bellum, spe futuri eventus, quem seditiosi homines iis secundum, laetumque spondebant, quovis potius erat descendere parata, quam ut arma deponeret, quibus invisam nobilitatem, quantumvis magnis opibus subnixam opprimi posse sperabat, una voluptate obversante animis, ulciscendi exsecrandum nobilitatis nomen, quam multi saepe vitae iactura volentes prudentesque redemerunt. Quae quamquam ad hunc modum gererentur; nemo tamen adhuc conspiciebatur, quem tantae rei administrandae parem ducem multitudo sequeretur; cum nefarii quidem homines, atque audaces multi adessent, quibus, ut iam diximus, immania facinora, et poenae me(tus) ad tam sceleratum inceptum viam aperuissent: qui usque eo amentia essent progressi, ut susceptam animis rerum novarum spem foverent, et moderandis tam inconditae multitudinis studiis essent pares, nulli adessent. Sed et eum ipsum ducem ne diutius sua spe desiderarent, unius hominis incredibilis audacia, scelusque perfecit. Georgius Zechelus erat (Sechellium alii, alii male Scytham appellant) obscuro loco inter Siculos natus: quae gens eam Transylvaniae partem incolit, quae vergens in orientem solem, longo tractu Moldaviam a Transylvania disterminat. Genus est hominum peracre, et qui praeter insitam ingenio ferociam, atque immanitatem, quam rerum omnium impunitas

alit, nobilitatem nullam agnoscant, quam non arma concilient; cuius splendor plus aequo multitudini officiat; in eadem aequabilitate, quae nullum ordinum discrimen habet, iisdem institutis, et legibus utentes: a prima enim pueritia assueti militiae labori, quam unam artem in honore habent, foris bellicis rebus, domi, ubi est otium ab armis, plurimum cultui agrorum student: quam rem unam numquam agere intermittunt, si quando foras avocat bellum, ne manentibus, fraudi belli mora sit, domi relictis, qui agro colendo assidui operam impendant. Venatu maxime delectantur, cuius credunt esse magnum usum, tum ad confirmandas et corroborandas vires, tum ad victum tuendum, quo nullum fere lautiorem noverunt, omnium ignari, quae apud nostros per erudita ingenia palato..um epulis et poten(tiorum) hominum...ndis, variis artificiis condita lenocinantur. Alias artes, quas nobilitas exercet, una re militari excepta, nullas colunt: ne voluptatibus, et deliciis emolliti, effeminatique fiant ad militiae labores animo remissiores. Adiuvat locorum opportunitas procul ab exteris positos, a quibus ea, quae ad effeminandos barbarorum animos pertinent importentur. Secundum militiae decus, quod ne iis quidem negatur, qui agros colunt, alterna vicissitudine nunc his, nunc illis ad bellum exeuntibus, ea ipsa agrorum cultura primam habet laudem, et quidem, ut qui rusticae rei student, haud sint deteriore conditione, ubi excellant, quam qui militiae splendore opibusque conspiciantur, quibus ita auctoritatem maiorem conciliat parta gloria rebus gerendis, ut minime sit multitudini formidolosa. Sed ut ad Zechelum revertamur, cum superioribus annis Belgradi in praesidio ageret, quod oppidum ad Danubii et Savi confluentem situm, Taurunum, ut creditur, veteres,

uti alibi diximus, appellarunt, provocantem Turcam more militari ad equestrem pugnam, ac sese insolentius, et suos iactantem, facta potestate a praefecto in hostem, extra ordinem pugnandi, infesta hasta per adversum pectus adacta, interfecerat. Ita Georgius hostis spoliis auctus, et illustri victoriae titulo superbus, regem adiit, litteris ab arcis praefecto impetratis, quibus de tota re gesta fides fiebat, et hominis virtus, ut fit, verbis magnificentissimis ornabatur. Hinc a rege laeto victoriae omine, cum unus visus esset, patriae decus a superba Turcae ostentatione vindicare; virtutis, et fortitudinis ergo pago donatur, qui idoneus alendo homini equestris ordinis videretur. Vix credi potest, quantum Georgio auctoritatis, apud vulgo milites, non partum ab illo decus magis, quam regis liberalitas eo ornando, augendoque conciliarit: usque eo quidem animos sustulit, ut omnia infra suam spem duceret quae ardua aliis, maioraque adeo hominum viribus viderentur. Multitudo quidem sui ordinis hominem, et, quod in primis plausibile erat, cum ingenio, tum vitae institutis moribusque a nobilitate abhorrentem, magno concursu excipere advenientem, celebrare, efferre laudibus, ducem agnoscere; cum ipse hanc propensionem animorum omni genere officii adiuvaret, comiter obvios quosque salutando, benigne appellando, ultro sua studia, gratiam, opes quibuscumque deferendo; qui quidem his blandimentis deliniti, nihil sibi eo assectando, atque omni genere honoris prosequendo sibi reliqui faciebant. Inde homo barbarus cupiditate animi, cuius impotens e(rat), atque ambitione elatus, cum hinc sui fiducia, illinc vulgi concursu, et studiis inflatus, nihil sibi destinaret animo quo non speraret provectum audacia se perventurum, per hanc armorum occasionem

temerario ausu ad principatum animum adiecit. Accedebat, ad animum tanto facinori parem, praeter Sacri belli occasionem, optandam rem maxime, rem tantam occultis consiliis aggredienti, ita concors nobilitas dilaceranda, atque excarnificanda plebe, ut nihilo minus capitalibus inter se odiis, et pugnantibus studiis certaret; cum rex non impar solum regendis aliis, sed eo etiam esset ingenio, ut aegre sufficere sibi ipse regendo crederetur: certe animo tam imb(ecill)us, ut cui animus par capessendae tantae rei adesset, ei ad perducendam ad laetum exitum, nihil videretur defuturum. Atque in principio quidem motus, Cardinalem his incitatus adierat, et nondum edicto promulgato, hortatus erat, ut, se auctore, apud populum de bello agere ne cunctaretur, ita in eam expeditionem proclivem, ut nihil ei longius, quam ille dies videretur, quo, erecto Christi vexillo ad tam gloriosum bellum proficisceretur. Ita enim illi persuasum, et viventibus fortitudinis perpetuam laudem, et vita functis desponsam beatam, atque immortalem vitam. Flagrare, atque ardere incensa virorum fortium pectora religionis studio, ut numquam fuerint, maiorum memoria, ad sacram militiam suscipiendam animis paratiores: quorum voluntates, et studia, ne torperent, essent fovenda cum gloriae, et laudis spe, tum honestiorum in militia ordinum, atque aliorum munerum, quae viris fortibus, bene gesta re, decerni consueverint. Quam diu se occasio daret rem maturari oportere, de cuius eventu strenue aggredientibus non esset dubitandum: tristi cunctatione, et mora maximas saepe opportunitates corrumpi, quae cursu secundo res gerentibus laetum finem pollicerentur. Se se quidem, ubi intelligeret, non ingratum suum officium pontifici fore, ut dignum viro forti esset, et Chri-

stiani nominis propugnatore, magna voluntariorum comparata manu, belli initium, ubicumque temporis, et belli ratio postularet facturum: certum enim, et proprium munus eius esse existimare, qui Christo imperatori mereret, ut non ab aliis acciperet, sed ederet ipse aliis Christianae pietatis, et fortitudinis adeo insigne documentum. Vnum se orare, ut per illius auctoritatem, nobilitas, qua nullo suo merito minime aequa uteretur, ab iis, quae praeclare inchoata haberet, facesseret, neu esset impedimento rem gerenti, quo minus ea ad exitum perduceret, quae pro sua pietate, et religione adversus Turcam hostem animo agitaret; cuius suae voluntatis ad eum diem monumenta minime obscura constituisset. Ostentare illos maiorum imagines, triumphos, decora alia, quibus nisi splenderent, esset futurum, ut domesticis tenebris obscuri interirent. Sibi quidem honorificum in omni memoria fore, e maiorum tenebris sua virtute ortam lucem posteris, qua splenderent, praemonstrasse. Hoc enim vereri se: cetera sibi ad bellum expedita, fore. Oratio apta tempori ab homine militari habita, non aegre legato fidem fecit probi, et religiosi animi, nullo adhuc indicio imminentium malorum ab optimo in speciem initio manante. Ita cum hominem multis verbis, ut par erat collaudatum ad promissa maturanda adhortatus esset: et se vero agnoscere illius pietatis studium, et usurum adeo respondit, viri fortissimi, et de Christi caussa optime meriti: neque dubitare debere, quin pontifici maximo, cuius ipse legatus, personam, auctoritatemque repraesentaret, pietatis officio tanto perfungendo suam operam, sedulitatemque esset probaturus: daturum se quidem operam, ac viribus omnibus adnixurum, uti viris strenuis, et rei militaris peritis, cuiusmodi

illum esse intelligeret, recte factorum praemia digna summa virtute exstarent, qua de re illi suam fidem omnibus religionis vinculis obstringeret. De nobilitate non esse cur laboret: neminem cuiuscumque ille esset ordinis, impigre exequenti quae se facturum pollicitus esset, futurum in mora; cum quidem uno suo merito, universam patriam, nullo ordinum discrimine esset complexus. Quae cum dixisset: litteras illi ex pontificis edicto perscriptas dedit, quibus fiebat potestas militem quicumque ii essent, qui voluntarii in sacram militiam nomina darent, conscribendi. Quae Thomae facilitas, sua sponte nefarium hominem ad incepta perficienda multo audaciorem, alacrioremque reddidit; cum praeclaro pietatis titulo et facilius fallere imperitam multitudinem, cui sanctum esset pontificis nomen, et scelerata consilia tegere liceret, quae animo voluebat. Ita legati auctoritate corroborata audacia, armatam religione improbitatem, quo nihil populis exitiosius est, in patriae pestem, et perniciem intendit, facile vulgo hominibus patientibus se duci, quo vellet, ab eo homine, cui non crederent potestatem factam homines armandi a pontificis legato, nisi eius virtus, cui tantum permisisset, plane ei perspecta, exploratagque esset. Neque adhuc tamen, ut diximus, quidquam eorum manaverat, quae occulte a seditionis auctoribus agitabantur, fama Sacri belli, quae indies increbrescens validius animis haerebat, ab omni cogitatione alia homines avertente. Saepe hoc maiorum memoria animadversum, qua de re non semel egimus, sed nullo umquam tempore, quam nostra, et patrum memoria magis; nullum haberi acrius telum, nulla arma, nullum fortius, violentius, saevius tormentum expugnandis imperitorum animis, quam iis in speciem obiectam reli-

gionem: nullum adeo immane facinus, nullum scelus, paricidium adeo atrox, nullum truculentum, quod non is alacri animo suscipiat, cui persuasum sit, eo sibi deum propitiari, placari iratum, scelera, et malefacta omnia expiari. Hinc creditum a parentibus litari aversis a votis diis, liberorum sanguine; recte diis oblatas humanas victimas; funditus excissas, et solo aequatas urbes; vastatas, et populatas provincias, incensa deorum delubra, (quod portenti simile sit) ab hominibus institutam in homines carnificinam, fatigatis hominum ingeniis excogitandis suppliciis, quibus innocentes, et vitae sanctitate clari homines torti, dilaniati, flammis exusti mactarentur: quorum clarissima exempla Romani principes, prava religione imbutis animis, in nostros olim ediderunt. Etsi vero multi facinorosi erant, ut iam dictum est, et quorum scelera non minus multa, quam fortia facta exstarent, quod hi tamen erant fere exteri, ab omni suspicione civilis belli aberant, e longinquis regionibus tam gloriosae expeditionis studio in Vngariam profecti; quo verisimile videbatur regum auxilia ad bellum conventura; cuius exspectatio iam totum Christianum orbem impleverat. Hoc unum autem requirebat belli ratio, non solum quod vere erat gerendum, sed quod etiam gestum iri falso credebatur, ut qui eo bello militarent, idonei modo gerenda re haberentur; parvi referre vulgo crederent adesse, quae dedecerent religiosum, et sacrum gerentem bellum. Non qui mores, non quae fama homines commendaret, sed quo robore animi quisque praeditus esset, quam validis viribus, nervis, lacertis spectabatur; una religione a sceleratis extorquente, ut quo quis die, crucis insigni suscepto, in hanc esset militiam ascitus, expiatis, quae nefarie in deum atque in homines admisisset,

non indignus crederetur, cui summam Christianae reipublicae Leo pontifex permitteret defendendam. Itaque iam inde ab eo tempore, quo primum per Sacram militiam, est Sancta urbs recuperata Christianorum armis, est hoc usu receptum, ut, ubi, indicto Sacro bello, ad arma conclamatum sit, et classicum canat, morum censura, et severitate legum silente, ad extrema quaeque descendatur, reducantur exsules, atque adeo quantumvis ingentia facinora ausi, servi manumittantur, soluantur ergastula, carcer effringatur; cum raro homines leges, et civilia iura agnoscant, ubi impunitas armorum a magistratu, et regia potestate sit, quae alitur bello. Neque vero probabile est, legatum callidum hominem, et quem maximarum rerum usus, ubi etiam minus necesse esset, cavere docuisset, fugisse, quo ingenio esset homo barbarus, et qui quantus esset, non praeseferret solum, sed etiam ostentaret, in sui unius admirationem, per contemptionem omnium, barbara arrogantia effusus. Quis vero dubitaret, quin, ubi sua sponte, per armorum licentiam animos sustulisset, ni externi belli occasio averteret a suis res novas molientem, multa quae quis minus vellet, esset editurus? Ita ferocem legatus credidit, temerarium, turbulentum, ut quidquid inesset mali, per belli occasionem a suis aversum, pesti hostibus, atque exitio esset. Non callidum, non tectum credidit, non comminiscendo potius, quam perficiendo sceleri aptum, stolida fiducia virium, quae, ne quem falleret, vultu, atque oratione ostentabatur, consilii vim non facile admittente, quae mora, et dissimulatione, non audacia solum incepta perficit. Hac re Georgius ita administrata, cum sub idem tempus Cardinalis ad populum concionatus, in primis hominum studia commovisset;

nonnullis furoris, atque amentiae sociis assumptis, obvium quemque monendo, atque ad repetendam libertatem incitando, brevi perfecit, ut multitudo tota in illius admirationem conversa, ducem eundem unum agnosceret, certatim universis clamantibus, duceret quo vellet, se quocumque arma intenderet, se praeeuntem secuturos. His studiis multitudinis, quo magis sua sponte in se propensam haberet in potestate, addebat de se legati iudicium honorificentissimum, quem quidem magnificis verbis sese efferens supremum sibi detulisse militiae honorem mentiebatur. Cum non deessent in Vngaria ex illustribus familiis, quibus tanti belli administrationem mandaret, sibi, iis praeteritis, eam ultro detulisse: quod difficillimum futurum adversus Selimum hostem susceptum non splendida nomina postularet, non illustres titulos nobilitatis, qui languentes inertia posteros nequidquam ad verum decus excitarent, sed exorientem ex obscuro loco, et se erigentem virtutem ad altissimum laudis, et gloriae gradum; quae quidem a se commemorarentur, non inanis gloriae caussa, sed ut suo exemplo, virtutem delitescentem miserorum animis, ex opificum tabernis, et civitatum faece, sed maxime ex agrestium casis, et saltibus, atque abditis siluis in lucem educeret. His verbis aliisque in eandem sententiam, cum tumidus sui fiducia se apud imperitam multitudinem iactaret; facile efficiebat, ut fide orationi habita, quae polliceretur modo spectarent; quem eventum ea quae polliceretur essent habitura, haud illis veniret in mentem cogitare. Neque vero illi iam spondebant sibi Sacri belli praemia, quae quidem, prae iis quae agitabant animis, potiora sperantibus sordebant, sed civilis belli, plausibile libertatis nomen, immunitates, largitiones, ex principum bonis, partitiones

agrorum, opulentam praedam, novas tabulas, aliaque omnia, quae in civilibus dissensionibus proponi populis, ad commovenda hominum studia consueverunt: minima cura excogitandi quibus rationibus haec se assequi posse sperarent, contenti unius hominis levissimi auctoritate, cui se dedissent; cum miseros fugeret, quantopere vesanus homo, et (fu)riosus ab eo homine abesset, cuius ductu, atque auspiciis bellum arduum, atque difficile essent adversus praepotentes adversarios gesturi; qui non armis solum, sed usu, exercitatione, industria tanto essent arma inferentibus superiores. Non illud subibat, quantae essent nobilitatis vires, potentia, opes, clientelae; tamquam essent bellaturi, adversus pecudum greges sperantes se destitutos omni spe praesentis auxilii oppressuros. Hoc innatum a natura multitudini malum, praeter alia multa, ut quibus in rebus maxime consilio indigeat, in his quam longissime a ratione recedat unde vis consilii manat, et quo sensu feratur, qui unus pollet ubi rationis sunt infirmae vires, eo qui se adducat, ducem sequatur, sive temere illum casus, sive fortuna obiiciat, non prius meliorem probatura, quam, metu mali iniecto, sequi quem nolit salutis suae auctorem invita, et detrectans cogatur. Neque tamen Georgius agitabat animo minora quam quae suos sperare vellet, quorum blandis vocibus inflatus, sibi in ducis persona omnia pendentium, indies altius suas spes efferebat. Iam enim ducis nomen aspernatus, et quidem quamquam illud nondum delatum, meditabatur regnum, cui ita pares spiritus gerebat, ut si suffragiis multitudinis armatae standum esset, minime dubitari oporteret, quin magnae quidem rei spem conceptam animo, sed non fiducia virium maioris, cuncta essent laeta secutura. Accedebant eo-

rundem adhortationes perditorum hominum ab aeque vana spe, et inani fiducia, cuncta sua sponte tumenti ex sententia ominantium, neque illi quidem omnino male: semel enim tantam rem aggredienti in uno fuit laborandum, ut sibi multitudinis studia conciliaret, quo ei nihil facilius fuit, qui iis artibus omnibus inniteretur, quae sunt maxime multitudini inconditae (s)apo(ris ?). Hoc adepto licuit sperare quaecumque illius potestatis suffragationisque essent, in his regnum etiam, quo nihil est in terris maius; nihil vero facilius fert multitudo quam regnum, ubi libertatis pretium exstet, quam habet venalem: maximum vero habet constitutum praemium cum in aliarum rerum omnium, tum in praedandi, et diripiendi licentia atque impunitate, cuius rei spem ingentem homo sceleratus suis faciebat; publicas civitatum fortunas, locupletum bona, sacerdotum, et principum maxime pollicitus, plura, si inceptis fortuna faveret, maioraque praestaturus. Atque haec quidem illius spes omnis, quae parum firmis innixa fundamentis cum summa consiliorum omnium corruit. Ergo Georgius neque sui, neque eius rei quam animo moliebatur aequus aestimator, quae multo maiorum virium erat, adversarios primo quoque tempore aggredi, et, ubicumque se occasio daret, facere belli initium constituit. Interea, delectis, qui idonei maxime videbantur, ad homines agrestes concitandos, quorum nonnulli, rei procurandae caussa domi mansissent; ire diversos alios in regni provincias alias, et cunctantes haesitantesque confirmare; in primis non agnoscentibus suas vires, quo audacius rem susciperent, ostentare, spe praedae incitare, omni ratione inflammare, atque incendere ad bellum iubet. Cuius temerariam, ac praecipitem audaciam non deerant in magno hominum numero, qui improbarent: qui

etsi erant aversis a nobilitate animis, multis ab illis iniuriis alienati, nihil tamen non triste sibi funestumque, eo duce rem administrante, ominabantur: quippe qui coeco impetu elatus, nihil certa ratione, et consilio; quae iracundia modo odiumque suaderet, mali semper consultores, facturus videretur. Raro vero qui se patitur circumagi, nisi agentem adiuvat casus, est aut in gerenda re, unde certa fere de eventu ducitur coniectura, aut in perducenda ad exitum felix. Veniebant ad haec in mentem civilis belli clades, quae cum numquam vitari possent, tum multo minus, cum, eo gerendo, prudentia et rei militaris (disci)plina desideraretur, quae moderarentur arma. Nihil enim umquam rectius dictum, quam: Vim consilii expertem mole ruere sua. Erant in eodem numero qui solliciti de privatis fortunis, et de suorum salute, ubi minus votis belli exitus responderet, quod erat verendum, belli finem qui est secutus praesagientes animis horrerent, satis gnari, ubi res, belli aleae permitteretur, non eos semper, a quibus ius, atque aequitas staret, superiores in acie fore, non, ut in foro, legum auctoritate, et magistratus, sic, ubi itum est ad arma, ferro controversias dirimente. Commovebantur pietatis studio alii, qui non erant ita multi, quae ita placaret animos, nondum plane doloris sensu efferatos, ut quicumque belli finis futurus esset (iam enim, quod vere animis agitabant, belli fama emanaverat) commune patriae fatum, quod instabat, lugentes miserarentur: iniurias enim, quas non liceret, sine multorum exitio, vindicare, condonandas iis censebant, quibuscum eandem originem, idem natale solum, sedes easdem, iura eadem legesque haberent: haud aequum esse, cum e nobilitate multi expertes culpae haberentur, insigni virtute, et probitate homi-

nes, innocentes, atque innoxios, alieni sceleris reos plecti. Extenuabant alii vires impares, ut credebant, civili bello gerendo, in primis militum genus, quorum magna pars in agris operi intenti, diu ab armis, et a bellorum strepitu abfuissent, (at)que ingens manus egentium hominum, de quibus quid statuendum esset haud posset ignorari, barbaris hominibus, et quos modo armaret numerus, quo quidem qui confiderent, temeritatis poenas saepe luerent, numero non ad spem vincendi multitudine fretis, sed ad maiorem edendam caedem victoribus materiam suppeditante: non illos rei militaris peritia adiuvari, non virtute, non magnitudine animi, quae ubi deficerent, voluntas, etiam si praeclara esset, parum usus re gerenda afferret: plures erant, qui deplorarent insontem eam ipsam multitudinem, quae quidem in medio posita, non suis propugnatoribus minus, ubi victoria potirentur, quam adversariis victa praedae esset futura, circumventa ancipiti malo, quod quidem vitari haud posset, nisi, unico, atque eodem salutari consilio, antequam civili sanguine manus cruentarent, ponerent arma. Et vero nihil eorum aderat, quae belli ratio requireret, quod tantum erat gerendum, non peritus dux rei militaris, non miles disciplina, exercitatione, usu confirmatus, obiecta subito hominibus bellicae rei imperitis nova facie rerum; quorum manus, quae ligonibus rastrisque colendo agro occalluissent, inter tela, et gladios torperent: ut animos suapte natura feroces, sed qui longa perpessione malorum ab ingenio insita vi degenerassent, ubi periculum virium faciendum esset, rei eventus esset elusurus. Patres familias, rusticani, homines, servorum in modum a suis habiti, multis iactati, ac vexati malis, neque altius spem efferre poterant, quo illos genus,

et patria virtus, nequidquam sui immemores excitabat, et quo praeceps unius temerarii hominis consilium agebat, praecipites ferebantur, unde nulla spes salutis, certum exitium, et ruina immineret. Nam ubi per se adnixi erigere ad maiora animum, e praesentibus malis conarentur, id quod raro usu veniebat domestica disciplina destitutis, eos nobilitas infesta deturbabat; cuius potentia evecta in excelsum gradum, per obiectam miserorum fortunam, magno quidem cum splendore, sed pari cum invidia conspiciebatur. Qui porro duces erant, et militum praefecti futuri, ut sperari posset, eorum prudentia, et consilio, militem rudem, belli imperitum, nuper, relicto agro, militiae adscriptum, maius virium incrementum ad bellum allaturum? Nam dux ipse, quem malo tum suo, tum Vngariae fato, miseris fortuna obtulerat, ut quis multum illi tribueret, strenuus, atque impiger conserenda cum hoste manu; sed cui omnia deessent, quae tuto abesse a belli duce non possunt, virtus, consilium, maximarum rerum usu quaesita prudentia, atque ex his comparata auctoritas par; adessent quae longe abesse deberent, temeritas, audacia, animi stolida ferocia, quae numquam non fuit inimica consilio; certe in quo nulla conspiceretur in summo homine spectanda virtus, quae esse aptum probaret multitudini regendae; quae praesertim pacis artibus assueta, praeter villae instrumenta, et quae sunt colendo agro, numquam ferri nudam aciem in hostem distringendam vidissent. Qui vero erat belli futurus eventus, ubi miles ducis munus, dux militum in medio ardore pugnae desideraret? Vbi qui adhortando milite, ineunda pugna, proelio restituendo, struendis in hostem insidiis, vitandis; omni militari imperio obeundo, imperatoris partes praestaret? Haec vero ita

nonnulli videbant, ut nemini veniret in mentem, quibus rationibus saucios animos sceleris conscientia, ad sanitatem revocaret: Effecerat enim homo sceleratus, sibi multis modis incautos devinciendo, ne volentibus integer esset ad meliorem sententiam regressus. Neque vero diu futurum sperabat, ut qui finis consiliorum esset quemquam fugeret, quod fere natura innatum est ferocioribus ingeniis, parum callidus arcanorum dissimulator. Tanta vero erat hominis vesania, ut sui, suorum (que ob)litus, quorum erat maxime offensio vitanda, et tantae rei, quam animo versabat, iam palam ad regnum adspiraret, imperitorum hominum assentationibus, et praepostera ambitione a mentis consilio deturbatus. Hoc sibi victoriae praemium libertatis vindici, patriae propugnatori, liberatori Christiani orbis haud dubium pollicebatur, rapiente coecum in sui exitium fato, quod illi cum insigni, et titulo regio coniunctum imminebat. Ita ferox sua sponte, et minitabundus, cum amentem sua sponte in scelere confirmarent perditae spei homines, quos (ta)m scelerati ince(pti) conscios adiutoresve habebat, in concionantis modum, haec inculcare suis audiebatur, cum non deesset argumentum se imperitis hominibus venditanti, neque audacia diserto et copioso se suisque viribus iactandis: In principio quidem ad famam Sacri belli se excitum, eo consilio adiisse pontificis legatum, Vngaros in Christi militiam auctorantem, ut inter primos conspiceretur, qui in tam gloriosam militiam nomina darent. Non enim credidisse adversus infestiores hostes, quam Turcas, Vngaros posse sumere arma. Verum ubi convenisset ad signa, sacrosanctae crucis insigni assumpto, sententiam mutasse, longe sua opinione falsum. Offendisse quidem Vngarorum ingentem multitudinem, sed qui non

speciem euntium ad bellum praeseferrent militari ornatu culti, instructi armis, telis, tormentis, vultus alacritate, et iuventae robore vigentes, sed qui bello victi redire, male gestare, atque ingenti accepta clade viderentur. Etsi vero iam pridem fama accepisset, quam immanem in modum, nobilitas in Vngaria plebem vexaret;credidisse tamen famam multa afficta veris afferre, quibus temere leviora ingenia fidem haberent, quae iudicandis iis, quae temere obiicerentur, inter verumet falsum nullum nossent discrimen: ut minime mirum esset, prudentes homines illa reiicere, qui non res solum quae ferrentur, sed a quibus ferrentur etiam, et de quibus, sibi censerent spectandum. Sed multo secus, quam putasset praesenti sibi evenisse. Tantum enim abfuisse, crederet, quae audisset fuisse maiora vero, ut potius de iis plurimum detractum existimaret. Tametsi non ignoraret, quanta esset Turcarum saevitia, immanitas, odium, in Christianos hostes; cognovisse tamen multo Vngaros tetriora perpessos domi a suis, otii, et pacis tempore, quam qui captivi, vincti catenis, in ergastulis, ad fodinas, et ad triremes damnati apud hostes haberentur: ut non crederet maiore cum pietatis laude, posse suscipi arma adversus Scythas, ultimae barbariae homines, quam adversus domesticos hostes, quos miseri, longa patientia malorum hiscere non audentes, (ne qua spes reliqua ad salutem esset) intolerabiles reddidissent. Iam pridem fessis servitutis iugo acerbissimo, cum nulla miseris ratio iniri posset, qua a crudelissimis dominis iura humanitatis extorquerent, nulla, qua explerent inexorabile odium, quo nullo suo mer(ito) in se ferrentur; aliquando omittenda mitiora consilia, et, quando spem aliam omnem deploratam haberent, confugiendum ad arma, ac vi ab invitis, quod a

volentibus non liceret extorquendum. Rationem hanc sibi unam esse reliquam redimendi vitam a tristi seruitio; cuius omnem fructum coniugibus, et liberis debitum domini iniustissimi, praeriperent: aut enim adeptos victoriam, vitae suae fructum, coniugibus, et liberis, quorum esset, reddituros; id quod ominari liberet, ubi memores pristinae virtutis, et praesentium malorum essent, aut generosa morte hominibus importunissimis adempturos, qui vitam suis debitam sibi superbo imperio emancipassent; quae voluptas viris fortibus videri tanta deberet, ut eius ipsius vitae iactura crederetur redimenda. Vnum enim miseros pati, quo nihil umquam in terris sol vidisset acerbius, ut iis vitam haberent addictam, quos in eam ipsam suam vitam, essent semper crudelissimos experti, quam coniugum, liberorum, parentum caussa intelligere(*n*)t sibi expetendam. Intendendas vires omnes, quas miseris egestas, et fames reliquas fecisset, necessario gerendo bello, quod domestici hostes paci honestae praeoptassent; cuius spe adempta, ita sperandum esset sublatum iri in visceribus haerens malum, si statuerent, aliis omnibus improbatis consiliis, sibi ad vim et ad arma perfugiendum. Nullos esse inimicos acriores, quam quos ita coniungerent naturae iura; ut coniunctos contraria studia, atque instituta dissociarent. Hinc patrum in liberos, filiorum in parentes, fratrum inter se immania odia; hinc quae odia sequerentur, rixas, iurgia, atque ex his bella ad internecionem gerenda. Quod minime tandem mirandum videretur: naturae enim hanc esse rationem, ut qui coniunctissimi essent, ii, dirempto coniunctionis vinculo, quo acrius amassent, odissent vehementius, summo amore in summum odium degenerante. Idem in hominum moribus spectari, ut in qui-

bus excelluissent ingentes virtutes. ubi ab his desciscerent, excellerent contraria vitia. Ita pietatem insignem, par scelus. pudorem, petulantiam. amorem summum, inexorabile odium sequi. Namque et illud a peritis observatum, praesentissima venena esse, quae ex optima materia, ubi putresceret, atque pristinum ingenium exueret, conficerentur: Quod quidem liceret spectari in civilibus bellis, quae gesta per ultima saevitiae. atque immanitatis exempla raro clemens, et moderata victoria secuta esset. Hinc veterum proscriptiones, rapinas, caedes; quae ita infames haberentur, ut eorum memoria, qui ea gessissent aeterna infamiae macula eorum nominibus inusta, in omni posteritate, per ora hominum traducta haereret. Non in praesentia bellum cum Turca gerendum, a quo nihil tum haberent Vngari quod vererentur; sed cum iis hominibus, qui iidem Christi hostes, iidem, civium, patriae, quae suorum scelere prostrata, atque afflicta iaceret, per conculcata ac pessundata divina omnia, atque humana iura, in eorum vitam insultarent, quorum vita, et sanguine ita alerentur, ut expleri tamen exsatiarique non possent. Cum fama eorum, quae Zechelius moliebatur latius in dies ad finitimas gentes, atque inde sensim ad exteras nationes manaret: experrecti e nobilitate multi, aliquando serio inter se agere de tanta peste amolienda a republica ceperunt. Neque vero ii solum, sed per universas etiam regni provincias, pacis amantes homines, cuiuscumque ordinis essent, tantam hominum colluviem horrebant, principibus quidem inimicam praecipue, sed multo infestiorem tamen eandem reipublicae, ducem praesertim nactam praeferoci ingenio hominem, qui ne in otio quidem sua sponte crederetur quieturus, ubi spes in scelere patrando, quantumvis tetrum im-

maneque haberetur, audaciam aequaret, et res novas molienti, impunitas a scelere esset. Neque vero uno nomine erat malum timendum. Querebantur enim, uno tantum non audiente rege, ad quem maxime mali sensus pertinebat, non se opprimi inimicorum armis, a quibus constantia, et animi magnitudine se essent vindicaturi, sed tempore, quo quidem indigerent omnibus, quibus ad propulsandam vim, nudati suis viribus, ac destituti omni externa spe, non Turcae hosti, sed suis praedae futuri, qui multo illo immaniores essent, inniterentur, ni ingentem tempestatis impendentem procellam deus propitius alio averteret. Quos (su)perare armis, parum honesta victoria haberetur, iisdem secum legum vinculis, eiusdem patriae, soli, coeli communione coniunctos, quanto videri debere acerbius (tam triste omen obruerent, Vngaris benigna fata) eosdemvictores, hostilia in suos odia exercentes pati? civilia omnia bella exsecranda, in quibus saepe essent animadversi liberi in acie adversus parentes adversus liberos parentes armati; sed tum esse non ferenda, cum principibus essent propulsanda a plebe illata: vinci enim quoquo modo acerbum, sed omnium acerbissimum vinci ab infimis, a sordidis, a populi faece, quorum luce, et splendore patria niteret. Bella multa externa populum Romanum gessisse: horum gravissimum secundum Punicum bellum; quo gerendo, Hannibale duce, ventum esset in rerum omnium discrimen; sed ita gessisse, ut acceptas gravissimas clades, hostis nobilitas, ut esset aliquid solatii in malis, levaret; parta victoria de nobili hoste, cum deorum immortalium laude, populi victoris gloriam coniungeret. Illa tristia bella, et tetri ominis, atque exsecrabilis, quae cum Viriato latronum duce, cum Spartaco concitatore servilis belli, partim in His-

pania, partim in Italia essent gesta; in quibus deletas Romanas acies, caesos duces, captos, alia accepta belli detrimenta, minime victoria aequasset, parum gloriosa populo Romano victori omnium gentium de latronibus, et fugitivis parta. Congressuros cum iis Vngaros in acie, qui caedi flagris assueti, ne gemitu quidem indicare urentem animum doloris sensum victi mali metu auderent; a quibus armis peti, in acie caedi, vinci, captivos trahi, mactari, qua morte non intolerabilius videri debere? At esse quo confugerent oppressi angustiis temporis: adesse regem fortissimum, multis celebrem gloriae titulis, cuius nominis maiestas trepidationem, pavorem, mentis tenebras offunderet in acie hostibus armatis: Enimvero miseram Vngarorum conditionem, atque acerbam. Circumventos perniciosissimi belli flamma, cum habeant in sinu armatos hostes, horreant in iugula intenta tela, incensas faces, quibus propediem florentissimum totius Europae regnum sit conflagraturum, ceu in vasta solitudine, et desertis locis quiritantes, iustissimis suis querelis coelum, terram, maria, nequidquam complere, quae muta, atque inanima citius sperent domesticorum malorum commemoratione se posse movere, quam Ladislaum regem, cuius fidei tot gentium, et populorum salus sit commendata. Eone redacta res Vngarorum, ut regi parere cogantur, qui vivens mortui imaginem prae se ferat, nulla re alia magis suos, quam morte levaturus? Quid vero futurum (id quod animus commemorando horreat) si vacuam Vngarorum regiam, quod prodigii instar habeatur, vivente rege, Zechelus latro stipatus sceleratorum grege ut olim cum fugitivorum manu Herdonius Romanum capitolium, invadat? Viros bonos, incensis animis virtutis amore

non facile ferre consuevisse evectos per fortunae temeritatem sceleratos homines, quo per multos vitae labores studiosis hominibus honestarum artium pateret ascensus: quam aequo animo Vngaros laturos servorum dominationem, qui in omni maiorum memoria Christianae reipublicae defensores, propugnatores libertatis acerrimi, rerum gestarum gloria omnium gentium annales implevissent? Viros fortes omnia posse pati, vincula, carcerem, supplicia, cruciatus, mortem extremum malorum omnium, et si qua morte sint in vita acerbiora; ut inducant animum indignis servire, non posse pati a se impetrari. Ita principes incertis animis, querendo communem fortunam, deplorandoque fluctuabant; ignari quo se converterent tanti belli mole oppressi; cum certa essent impendentia mala, quae brevi nisi par occurreret virtus, omnia secum in exitium traherent; nullae certae copiae adessent, nullus esset certus belli dux, cuius virtute, auctoritateque tollerentur. Accedebat ad cetera incommoda unum gravissimum, quo maxime bonorum animi angerentur: verebantur enim, ne, deserta cultura agrorum, per annonae caritatem, quam ingentem sequi necesse erat, fames ingrueret, — quae plebem urbanam, in magna soli ubertate tanti insolentem mali, ad rerum novarum studium, sollicitaret: vix enim in pagis mulierum, et puerorum turba imbelli relicta, deserti agri, atque inculti squallebant: qui tum soli natura, quo nihil feracius in Europa habetur, tum cultu assiduo nitidissimi, praeter suorum usum, satis frugum afferre ad sublevandos finitimos populos in caritate annonae credebantur. Tantus porro metus incesserat, ut qui ceteris ferociores infestius plebis commoda oppugnabant, tamquam iis secundi venti cecidissent, adversis exorientibus, con-

trahenda vela, et manus saevienti fortunae dandas existimarent. In his non unus sensus malorum urgebat. Nam, et qui sibi conscii erant, materiam civilis motus praebuisse, rusticam plebem crudeliter lacerando, amissa omni subsidii spe, intestina peste laborabant; et ii urgebant, quorum mitiora ingenia, quamquam eiusdem ordinis, ad pacem et concordiam damnatis temerariis bell i consiliis inclinabant. Hi palam queri, et eorum crudelitatem, atque avaritiam incusare, qui crudeli, atque immiti imperio suos habendo, effecissent, ut patria, cui omnia deberent, adduceretur in salutis discrimen: Enimvero fructus illos merito, quos sibi sevissent referre, in miseros per omnia genera immanitatis, atque avaritiae bacchando; quorum illos poenitere eo tempore necesse esset, cum ab invitis, mali vis in vestigiis urgens seram poenitentiam, utinam non aeque foedam, certe nulli futuram usui exprimeret, moram non ferente ratione praesentis temporis, quod quidem, mutatione consilii, ubi certus eius proventus speraretur, vitandum esset. Quam aequabilitatem natura gignendis singulis hominibus conservandisque retineret, eam in societate hominum tuenda, servari aequum esse: quemadmodum enim essent in corpore varia discrimina partium, ut aliud munus caput, pedes aliud, aliud obirent manus; partes omnes idem cibus aleret, una quies exciperet, idem somnus perfusas sopiret, ita in civitate cum certa munera dispertita inter cives essent, ut alii, tamquam capita, eminerent, cuiusmodi reges magistratusque haberentur; infra positi, ut manus, crura, pedes, mandatas sibi partes obirent: iisdem omnes commodis frui debere, securitate, otio, ubertate, ceteris bonis, a quibus nemo prius videretur arcendus, quam is quem insignia flagitia, et scelera multa a communi

civium coetu deturbarent. Vt eadem natura omnium parens, cum terram, mare, coelum, communem hanc lucem, qua cuncta animalia fruerentur, omnibus vellet patere; neminem haberet eximium, cui uni, ceteris exclusis, his frui liceret, ita memores nobiles homines, multitudinem esse certam partem sui, qui iisdem legibus institutisque uteretur, eam aequo animo pati debere eadem vitae, commoda, quibus ipsi potirentur, referre, neque sibi modo credere oriri solem, occidere, mutare coeli tempestates, madefieri terram imbribus, irrigari agros, gigni fruges, parari cetera vitae alimenta, quae iis negare, quorum industria, et labore aliis suppeditarentur, non hominum, sed ferarum esset. In humano corpore laesam manum, humerum, pedem, curari requiete totius corporis: in Vngarorum regno, cum languerent subiecta membra, profligata salutis spe, nitere modo caput, curari, coli, unos suspici principes inter multos, qui sua fortuna, per iniquam collationem rerum, miserorum calamitates luctuosas magis aerumnosasque redderent. Quod quidem qui potuisse illos sperare sibi diutius, quam necesse esset, impune licere, cum nemo umquam violentum idem, et diuturnum in terris vidisset, aeterna atque immutabili naturae lege hunc modum humanis rebus statuente. Quae cum viri boni commemorarent; subibat tristis recordaditio eorum, quae civili bello, ut credebant, brevi expianda imminerent, hinc conscientiae aculeo exagitante animos, hinc, mentis poena, quae comes mali conscientiam sequitur, pavore omnes, formidineque terrens. Nullius vero tanta potentia, nullius adeo integrae fortunae erant, qui dubitaret, quin, si armis dimicandum esset, victa nobilitas fanda infandaque omnia subiret, quae victores in eos essent edituri, qui in inermes

exempla insignia crudelitatis, saevitiae edidissent. Augebat, ut iam dictum est, tantam vim malorum contempta publica auctoritas, nullum publicum consilium, rex nullus, quem, tamquam haec minime ad se pertinerent, nullus eorum sensus, quae evenirent tangebat, ut nisi sibi quisque rex, dux, et salutis propugnator esset, intelligeret sibi de salute, et reipublicae et privatae pariter esse desperandum. Ad haec mala aliud accedebat, quod quidem in magnum omnium incommodum vertebat: cum enim certa consilii ratio expedienda in dubiis rebus esset, et quidem quae minus recte administratae certam ruinam, et pestem in rempublicam inveherent: dum singuli, dicenda sententia, sua probare conabantur; deerat qui quae tutior esset, statueret, cuiusque auctoritate, id quod conducere crederetur, et mature et celeriter, quemadmodum temporis ratio postulabat, perageretur; quae duo raro quisquam agendis rebus, ut quis maxime prudentia, et consilio valeat, novit praestare. Nam neque externi auxilii ulla spes erat, vicinis regibus ita affectis, ut cum regnum esset in duas partes discissum, studio iuvandi alios, nulla cum spe fructus uberioris, aliorum in se odium, quod accidere necesse esset, sibi nollent conflare. Perinde vero habebatur ita beneficium collocare, ac beneficium perdere; cuius, cum ad multos pertinet, vix unus,aut alter est memor. Id enim quod proverbio fertur, verissimum, res ipsa, et rerum usus docet: qui eadem opera multis serviat, eum et rem perdere, et multos facere ingratos: quod quidem est praemium recte factorum iniustissimum. In magno populorum motu, cum ita ante oculos obversaretur exorientis belli procella, ut nemo speraret se posse consilio auctoritateque occurrere; abiectis animis, desperatione rerum; rege

quiescente, cuius, unius auctoritate, aut sedari, aut tolli posset; principes, et praesentium terrore perculsi, et multo eorum magis, quae in posterum impendebant, quod unum erat reliquum, inter se per crebra colloquia, de duce deligendo agebant, cuius aut prudentia, et consilio, aut vi, atque armis regni exortum discidium, antequam serperet latius, tolleretur. Vnum vero maxime obstabat, quo minus, necessarium consilium facile explicarent, omnium opinione magis ea ipsa urgens reipublicae tempestas, quae moram reiiciebat; et non magna eorum hominum copia, e quibus deligendus esset, qui publicae rei procurandae idoneus haberetur: longae enim erat res morae, et quae matura consultatione indigebat. Ac multi quidem erant, qui maiorum gloria clari, suorum in se oculos convertebant, in tam angustis rebus praesidium, atque opem implorantium: in quo uno ita excelleret bellica virtus, ut spes esset aptum tanto bello administrando fore, ubi etiam delectus omnium haberetur, aegre quisquam reperiebatur. Atque exstabat quidem ingenii indoles in multis, et spes, sed quam neque usus, neque exercitatio confirmaret, quae una perficit, quae a natura praeclare inchoata habentur: ut esset verendum, ne ea ipsa spes, ubi maturato opus esset, efflueret, et luxuriaret temere suscepta. Iam, et singuli, sua virtute diffisi, curam omnem animis ambiendi summam militaris imperii abiecerant: ut cum unus esset dux multis praeficiendus, nemo ita esset animo paratus, ut, in magno omnium discrimine, mallet unus suo periculo multis imperare, quam uni aliena invidia, nulla sua, parere. Itaque suffragatores multi, candidatus nullus; quod eo gravius ferebant, quo minus diu adversarios barbaros homines, atque e populi sordibus desiderasse audierant,

qui gerendo bello praesset, rusticos homines, quos non usus, non domestica disciplina, non liberalior ulla educatio perpolisset, nactos ducem sui ordinis, cum rei militaris, ut credebant, non imperitum, tum, quod caput esset, ad audenda perficiendaque omnia proiectae audaciae: nobilitati, quo superbo titulo qui gloriaretur, natus miles, dux, imperator crederetur, deesse quem ducem imperatoremque agnoscerent. Sed huius incommodi erat non obscura caussa: Diuturnum otium Vngaros perdiderat, cum per multos iam annos inerti segnitia languentes, ab omni belli cura, infamis, et importuna pax avocasset, numquam expetenda Vngaris, quorum vires, nisi perpetua belli exercitatione corroborentur, emollitae flaccescunt: quod tamen ut raro accidat, certa ratio facit: cum numquam illis sit tuta pax ab eo hoste, cuius fidem, non ius, non fas, non religio tuetur. Aluerat hanc animorum pestem, praeter regis ingenium, cui numquam videbatur necessarium bellum, nisi cum esset spes pacis deplorata, mos genti inveteratus. Non enim temere Vngari, quando non est domi occasio armorum, quae una res feroces animos ad industriam impellit, sub exterorum signis merere consueverunt, quod Itali, Germani, Helvetii, faciunt, qui non unius, sed multorum imperio continentur; ut nisi propulsare illatum bellum, et tueri fines a Turcarum excursionibus cogantur, potius domi obscuri, quam foris clari, intra patrios lares consenescant. Quo magis Vngaris regibus danda opera est, quorum et virtutes, et vitia numquam aemulatore carent, ut iis agendis, quae digna honesta aemulatione habentur, suos excitent ad laborem, et industriam, numquam vicino hoste non obiiciente materiam ad fortitudinis laudem, atque adeo, ut crebro suos in expeditionem mittant,

atque ultro lacessant quiescentem, tamquam tabe corporis artus, militares animos otio labefieri existimantes. Neque tamen tum ita Vngari quiescebant, ut securis de Thracio bello, diuturnum otium illis esset ab armis sperandum; quae numquam ii tuto ponunt, quibus invitis, sunt ad hostis arbitrium sumenda. Multo vero hoc minus debet sperari, cum res est cum eo hoste, qui non voluntate, quae vasta, atque immanis, infinita, atque immensa ambit; sed ratione suorum temporum quiescere cogatur; quibus dubiis, ubi praeferat pacem bello, haud prospicere suis rationibus videntur, qui, omissa occasione bene gerendi rem, abiiciunt arma, quibus praesertim sensim desuescendo, ubi ad illa redeundum sit, haud eandem in hostem animorum ferociam afferunt, quae utilis semper gerendis rebus, usu modo, et exercitatione armorum viget. Inutilia arma vero, quae miles cote acuat potius, quam praesentia, et magnitudine animi, quae ubi adest gerenti rem, nulla arma, quantumvis retusa acie hebescunt. Hinc priscis temporibus non defuerunt, qui bello victis nobilissimis gentibus, cum utrumvis liceret, eorum quos vicissent, servari integras vires, quam deleri, aut imminui adeo maluerint, optimam illi quidem secuti rationem, ne victores per hostium exstinctas vires, animis solutis metu, dediscerent quibus non indigerent, bellicas artes; quae coli debent, cum minus sunt necessariae, ne tum desiderentur, cum belli tempus necessarias requirat: ut cum non sint foris hostes, qui lacessant, videantur externis bellis exercendi, quorum est virtus patriae praesidio adversis temporibus futura. Quantum quidem nervorum, et roboris sit in perpetuo armorum usu, victor populorum gentiumque omnium docuit populus Romanus illustri exemplo, qui per septingentorum annorum spatium, semel Numae

regis tempore, iterum Augusti aetate Iani portas clausit, pace terra, marique parta. Quae cum ita sint, deteriore conditione tum quievisse Vngari videntur, quam cum Turca gessisse bellum: cum illos, si qua belli occasio subito incideret, corrupta animis maiorum virtute diuturno otio, fortuna obiectura impares esset non exspectato malo: propulsando malo Turcae hostis vires peritia rei militaris, atque usu confirmatae, crederentur invictae, ubi eas in Vngaros intenderent, quorum nervi viresque remissae desuetudine armorum iam pridem contabescentes languerent. Ergo, cum tamquam circumfusis tenebris, moesta rerum facies apud Vngaros teneret, quasi repente e coelo demissa lux, incertis consilii Vngaris affulsit Ioannis Scepusii virtus, constanti hominum fama celebrata, qui tum, ut alibi diximus, cum imperio Transilvaniae praeerat. Cum vero ob alias viro principe dignas artes, quibus excellebat, tum ob hanc unam caussam maxime idoneus dux gerendo bello credebatur, quod cum vicinis barbaris praeliari asuetus, quibuscum fere continentia bella tum Transilvanis intercedebant, exercitatum militem in primis habere ferebatur. Conciliabant nobilitatis favorem auctoritatemque per se gratioso apud omnes ordines, Stephani patris insignia merita in Vngarorum gentem, quorum grata recordatio adhuc in ore omnium vigebat, in liberis patriam virtutem agnoscentium; quos quidem, ut fortunarum et nominis, sic virtutis haeredes, domi, et foris summos honores gerendos, qui bene de patria meritos manerent, haereditate adire aequum censebant. Quae vero in eo per se magna erant, ut etiam cetera abessent, rex sua facilitate, atque indulgentia efficiebat, ut maiora viderentur; per quem usque eo illi crescere licuit, ut unus e nobilitate, post

sororem Sigismundo regi collocatam, maiestati regiae officeret. Quae hominis potentia ne efferretur altius, quam par esset, obstabat probitas par, quae evehentem se ad maiora animum intra officii fines revocabat; cuius moderationis fructum maximum apud suos referebat, si quis incideret casus, haud dubium Ladislao successorem animis destinantes, tum eorum haud tacito consensu, regiam privatum auctoritatem obtinentem. Dicitur quidem mater magni animi femina, sed mater eadem tamen, quo nihil proclivius ad concipiendam spem animo, de liberorum aut honoribus, aut commodis, per magica carmina, et vaticinantium, ac somniantium ambages, suscepta spe de filii regno, pro puero quotidie ad aram vota suscipere solita, ut ad dignitatem regiam, omnium faustis ominibus tendentem, propitius deus, adhuc vivente se, secunda aura proveheret, fortunata in primis matre futura, si filium Vngarorum regem videret, quae reginam Polonis, optimis natam auspiciis dedisset. Matris vota filius adolescens, haud contentus domesticis opibus, quas ingenii indole, atque animi magnitudine, quamquam maximae essent superabat, numquam destitit fovere, spe ac fiducia pari; quidquid fata adversa obsisterent, ad optatum finem vires, atque animum intendendo. Sed quam saepe homines fallantur adeo magnifica, et speciosa vota animo concipiendo, ut multorum regum infelices exitus praetereantur, Baiasetis exitus, qui Turcarum imperator tantus a barbaro hoste victus, ludibrii caussa, quacumque iret, ferae instar, cavea inclusus, circumlatus; Valeriani qui paulo ante orbis terrarum imperium adeptus, apud Saporem Persarum regem captivus consenuit; Siphacis, Persei, Iugurthae summorum regum qui sunt a romanis duci-

bus victi, atque in triumphum acti; paucis post annis, duorum Aegypti Sultanorum, quorum longe lateque patebat in multas gentes imperium, alterius a Selimo in acie caesi, alterius in ea ipsa regia, in qua imperaverat, supplicio affecti: is ipse Ioannes docuit postremo, honestiorem fortunam privati, quam Vngarorum regis futuram fuisse, si quis ex sapientium iudicio magis, quam ex vulgi opinione, rem aestimare velit; cum eius unius regno, omnium consensu, Vngarici regni exscidium fuerit acceptum referendum. Ad haec alii addunt Mathiae regis praedictionem, ex notatione eius diei natalis, minime vanam, id quod eventus probavit: cum una cum rege accumbenti Stephano patri nuncius esset allatus, uxorem illi filium peperisse; ad illum regem conversum, qui ex mathematicorum observatione compertum haberet, qui tum coeli positus ac siderum esset, exclamasse, natum eo die Vngaris regem, atque id patri adeo continuo gratulatum. Tantae rei fama, sive ab inani initio orta, et temere credita est, sive a vero manavit, de eo dubitari haud potest, quin clarum hominem cum maximarum virtutum commendatione, tum generis splendore, nobilitas eodem consensu, perpaucis exceptis, regno, quo spem erexisset, destinaret. Inde, ut solet, cum illius votis eventus respondisset, minime mirum fuit, superstitiosos homines, a primis illius vitae auspiciis, omnia, quae hoc praesagire crederentur, in notitiam, et famam hominum repetita revocasse. Hinc ille ausus tentare, nondum nato Ludovico, per Annae puellae nuptias in regiam aditum; quae praerogativa freto praesertim nobilitatis suffragatione minime contemnenda ambienti regnum videbatur: quo quidem petendo competitorem Ferdinandum principem, Ioanni praeferendum affinitatis iure,

si standum esset maiorum consuetudine, qui semper regiorum liberorum, sive virilis stirpis, sive muliebris essent, in comitiis de novo rege creando rationem habuissent, natum praesertim augusta familia, ac iustitiae, et sanctitatis fama florentem, superavit. Neque rex adeo videbatur per ea tempora ab illius consiliis aversus, usque eo illi indulgendo, morigerandoque progressus, ut, tamquam summa rerum penes unum Scepusium esset, stipatum ingenti equitum, peditumque manu, prope ut ad iusti exercitus modum in expeditionem militem ducere conspiceretur, in regiam accedere pateretur. Hinc Anna regina, id quod a maioribus natu accepimus, non salse, quam vere minus, virum, regem regum solita appellare: nomine enim modo regem Ladislaum, quod illi satis videretur, qui nihil regium praeter nomen, et inanem speciem regni haberet; eos vere reges, in quos ille obtineret titulum regiae maiestatis, atque speciosum nomen imperii, vere regio imperio, et munere fungentes: quibus verbis nemo non videbat Scepusium designari; cum post Mathiam regem creatum, si quis modo genus spectaret, nemo non aptus regno multo etiam infra Scepusii nobilitatem positus videretur, modo illi suffragaretur clara, atque illustris virtus. Insigne vero documentum, ut iam diximus, visa fortuna in uno Scepusio suae inconstantiae constituisse: neque enim facile est iudicare, utrum illi blandiendo magis faverit, cum eum e privata domo in regiam evexit; an adversando cum ingentibus aerumnis iactatum in suscepto cursu honoris destituit, de eo peius mereri sit visa. Nam si quis spectet diligentius, quae tempora sint eum regem creatum consecuta, quibus malis, atque incommodis regnum iactatum, quae bella, quas clades sint populi perpessi, quorum invidiam tot an-

nos, quot regnavit unus sustinuit; hoc fateri cogatur, ob hanc caussam secundam fortunam facilem viam aut affectanti, aut promerenti regnum stravisse, ut, raro exemplo humanarum rerum in excelso loco honoris essent illius mala, atque incommoda insigniora. Cum vero ille in aliis multis, tum in hoc uno maxime habitus infelix; quod illi fortuna in petitione honoris Ferdinandum, cum quo in certamen descenderet, obiecisset, gratiosissimum competitorem, et cuius essent, ob augustae familiae maiestatem, et Caroli V. fratris potentiam, immensae opes: quibus tamen Ferdinandus, quae illius erat religio, nolebat videri inniti, cum quidem Ladislai genero, quocumque esset genere natus, ut olim Ludovici genero Sigismundo, atque huius Alberto Caesari regnum negari sine gravi sui iniuria haud posset. Hinc Ferdinandi studiosis arrepta ansa Ioannem criminandi, cum alias semper, tum maxime, post rem male gestam a Ioannis ducibus, certatim in augustae familiae assentationem effusi, tamquam in ereptorem alieni iuris, regno interverso a iusto haerede nefario latrocinio, in praedonem, in proditorem Christianae reipublicae Solimani mancipium, palam invehebantur: quae ipse defensor suae caussae acerrimus, tum ad Clementem pontificem, tum ad Carolum V. Caesarem, et caeteros imperii ordines scriptis litteris, quae adhuc exstant, refellere conatur. Igitur cum haec latius hominum sermone dimanassent, non caussae sed gratiae studentium, qua Scepusius inferior habebatur: multa, ut fieri consuevit, inimicis affingentibus, quae innocentis famam obtererent; non exterarum gentium potuit studia retinere, non suorum, sed ab iis ipsis destitutus est, quorum ingenti suffragatione erat regnum adeptus; quos quidem multis de caussis, quae suo loco comme-

morabuntur, postremis temporibus, est in se expertus infestissimos. Inde ingentes clades, atque aerumnas perpessus gerendo, atque administrando regno, gravioribus dignus multis est visus, eorum malorum creditus auctor, quae postea, magna cum regni pernicie, Vngariae populis sunt per illum invecta. Nemo id certe ausus fuerit negare, non ei qui verae laudis cupidus esset, regiam dignitatem fuisse deprecandam, et, si quid amplius, atque augustius homini in vivendo est, per insignem patriae calamitatem partum. Si quando mentio facta est, de regno Scepusio tradendo, id quod video inter multos constare; verisimile videtur, id actum eo tempore, cum ab Vngaris diffisis regis virtuti, et sapientiae, desperatio communis salutis extorsit, desponsum praemium iustissimum patriae liberatori, et praesentium malorum vindici, quae non ferenda oculis obversarentur. Nam qui tantum munus praestat, parvi interest, quo nomine honestetur, cum res ipsa omni eum titulo maiorem, patriae patrem, regem, et si quod est aliud nomen inter homines, maius, atque amplius ostendat; quod etiam si hominum suffragiis non assequatur, multo sibi maiori laudi ducit debitum negari, quam fortunae indulgentia non promerito deferri. Vtrum vero cum praesente de tanta re actum sit, atque, huius rei gratia conventus nobilitatis indictus, quod minime mihi probabile fit, cum id agi, nisi per interpositam regis auctoritatem, haud licuerit, an per occultos nuncios, qui regni appetentem sua sponte ad capessendam rem, cuius bene gestae regnum praemium esset, incitarent, non audeo pronunciare; atque adeo etiam si ad summam diligentiam nihil mihi reliqui fecerim, de ea a peritis Vngaricarum rerum percunctanti. Abhorret quidem animus ab huius rei fide, cum ob

alia quae accidisse ea administranda feruntur parum consentanea vero, tum ob minime dubiam coniecturam ductam a Ioannis regis ingenio; qui in tot litteris, quas ad summos reges, et principes populos pro sua caussa adversus Ferdinandum regem scripsit, in quibus nihil omittit, quod suo iuri tuendo, adversarii oppugnando sit, nullam huius rei mentionem facit. Quantam vero invidiae molem erat in adversarium excitaturus, quamvis magnis opibus nitentem, si, cum tantum suum meritum in patriam esset; quod de eo suorum iudicium fuisset, vere commemorare posset, qui ultro obtulissent virtutis ergo non petenti regnum, et, ne quando de eo posset dubitare, syngrapha cavissent? Nam non desunt etiamnum qui audeant affirmare, syngrapha illi principum fidem obstrictam, cuius exemplum exstet; quam quidem mihi, tametsi pertinaci studio undique conquisierim, adhuc non licuit videre. Actionem vero tam illustrem, et quae in regni petitione tantum illi erat momenti allatura, non erat praetermissurus, et futuram sibi ad posteritatem perhonorificam, et, ad ius obtinendum adversus potentissimum adversarium, magno adiumento: permagni enim intererat, cum, more maiorum indictis comitiis, legitimis suffragiis esset rex creatus, fidem fieri, multo ante illi a suis promissum regnum quam delatum. Verisimile quidem, principes usque eo oppressos temporis angustiis descendisse, ut cum ab omni belli apparatu, a milite, a copiis, a tormentis, a duce essent imparati, quo uno maxime indigerent; unum, quem propter domesticam potentiam, et singularem virtutis opinionem, dignum eo honore ducerent, labanti nobilitatis caussae ducem patronumque ascivisse:

neque hoc solum, sed ut in trepidis rebus solet, et cum ad extrema ventum est, pollicitos, ubi nobilitatis caussam susciperet, praeter eam gratiam, quam a privatis initurus esset assecuturum, quod maximum praemium sperari a conservata patria illius virtute liceret, in ultimo discrimine male ab inerti administratum regnum; natura id extorquente, ut deprecandi caussa, quae imminent mala, saepe homines ea polliceantur, quibus praestandis, ut maxime velint, minus idonei sint, non semper aequante animi studium facultate agendi. Namque et id saepenumero accidit, ut, quae est hominum inconstantia, non semper idem, et velint, et nolint, haud raro, quod nunc cupidissime requirant, paullo post toto animo reiecturi. Subito oppressam patriam intestino bello ad eum confugere in rebus perditis coactam, cuius fides, ut esset imploranda adversus sceleratorum hominum coitionem, rex effecisset; qui oblitus regii muneris, aut nollet si posset; aut ignoraret si vellet, deberet certe, quiritanti patriae opem ferre: horum alterum enim necesse esse accidere. Nam ne legitima illi excusatio a pravitate atque imbecillitate ingenii relinqueretur, leges providisse, quae posterorum securitati, ac saluti prospicientes, regibus addidissent sapientium hominum consilium, de quorum sententia intelligerent sibi reipublicae salutem procurandam. Non enim credidisse, regiam dignitatem, quae a singularibus maiorum meritis in hominum societate esset orta, nisi pari consilio, et virtute septam, quae non a genere saepius, quam ab iis artibus manaret, quibus civitates, et magna imperia reguntur, sine ingenti hominum pernicie haereditate a posteris posse adiri. Nihil umquam accidisse, quantumvis alte quis maiorum res gestas memoria repeteret,

cuius rei caussa, magis Vngari indigerent aut consilio dubiis rebus, aut subsidio communi salute procuranda posita in extremo discrimine: nihil umquam accidisse, ut qui aut rex, aut cum potestate regia praesset publicis rebus, minus suos iuvare consilio, praesidio tueri, ut maxime egregia adesset voluntas, posset. Ad tantam exorientem pestem experrectos alios, adesse patriae circumventae intestino malo, polliceri suam operam, paratos re, consilio, iuvare: alios ita paratos animo, ut quando minus alia re liceret, dei immortalis atque hominum fide implorata, ultimum pietatis munus, patriae praestarent, et reipublicae interitum, si hoc modo superstitibus per inimicorum crudelitatem permitteretur lugerent: unum regem, quem pro suorum salute excubare, manere in perpetua reipublicae vigilia aequum esset, quod nefas dictu haberetur, tamquam grandi lethargo sopitum, regio muneri indormire; ut ne hoc quidem, ultimae infamiae vitandae caussa pateretur a se impetrari, ut vigilans cum ruente patria occideret. Omnia quae sua sponte mala haberentur, ubi in corpore imbecillo, et male affecto haererent, quantumvis parva mali accessione fieri deteriora. Regem se nullum habere, quem de salute communi consulerent, cum esset quidem qui regni commodis frueretur, quem venerarentur populi sella regia sedentem, sceptrum, coronam gestantem, insigne supremae in homines potestatis. Latere regem adeo necessario suorum tempore, et quidem, quod esset turpissimum, et portenti simile, sublimi loco atque in hominum luce latere, in foro, in regia sanctissimis superiorum Regum penetralibus: quae tamquam rege amisso, squalore, luctu, ac tenebris obsita non ita pridem, novo exemplo, regio puero

futuro regni consorti, Vngari patefecissent. Non secus illum facere, ac si cuius in navigando munus esset, clavo assidere; adversa tempestate navim inter scopulos iactante, in sentina obrutus alto somno delitesceret: ut, nisi unus Scepusius sese excitaret, et in quo regius animus, regia virtus emineret, a suis delatam regiam auctoritatem, tuenda principum caussa susciperet, decus nobilitatis, patriae iura a furenti multitudine vindicaret, iam conclamatum de Vngariae regno videri posset. Regem quidem habere se, sed eum regem, quem nisi excitaret tanta exorta belli procella, unde tum praesentibus suis, tum posteris certum exscidium portenderetur, haud quaquam sperandum esset, experrectum querelis, undique quiritantium, et poscentium opem, afflictis publicis rebus, ad sese agnoscendum excitatum iri. Regia ornamenta multos saepe, in regia natos fortunae temeritate assecutos; regias virtutes homines a natura habere, quibus studio, atque recta educatione excultis, usu atque exercitatione auctis, consulerent hominum societati, quorum caussa se natos meminissent. Adeo putidum morem apud Assyrios maiorum memoria haesisse, ut tamquam iis una caussa esset creandi regem, ut essent, qui statis anni temporibus pompae, et spectaculi caussa populo producerentur: ubi foris gerenda res esset, barbati reges modo inter feminas viri, vitam turpiter in gynaeceo transigerent, ii foris rempublicam administrarent, quorum virtus, et magnitudo animi, non, quorum tituli inter multos, atque insignia conspicerentur. Non hoc Vngaros spectasse, cum sibi regem Ladislaum nobilissimis competitoribus praeteritis delegissent, quam beata vita, et experte curarum frueretur, sed quam beati populi essent, quibus unius

consilio et sapientia e regni vertice, quasi ex alta specula, communi saluti prospicientis, tuto otio agere liceret. Aegre privatam domum quantumvis optima et luculenta patrefamilias de rei familiaris cura remittente, diu posse incolumem agere: regiam tenente parum vigilanti rectore numquam vacuam iis malis, et pestibus futuram, quibus arcendis vix sufficit multorum insignis, atque explorata virtus, quorum consilio septus rex, pacis tempore, patriis legibus, atque institutis rempublicam temperando; foris tuendo adversus hostes armis, vigilando, consulendo, adversus voluptates omnes pugnando, regio munere fungatur. Talem regem dignum, qui Vngaris imperaret; a cuius institutis qui abesset, qui non suae, non maiorum gloriae memor, cunctaretur ruenti, atque occidenti patriae, eius necessario tempore opem ferre, eum qui regem agnoscerent, non debere recusare, quin digni essent, quibus iners, et languida pecus imperaret. Virum esse oportere, insigni virtute, spectata sapientia, animi magnitudine, quem viri, cuiusmodi Vngari essent, agnoscerent regem: degeneranti ad muliebre ingenium, molli, effeminato, quae feminarum essent, colum et pensa, multo illi aptiora munera, quam sceptrum, atque insignia regni tradenda; quae excultam mentem sapientiae studiis, ac viro principe dignis artibus postularent. Neque tamen Ladislai hoc dedecus maius, qui plura haud posset praestare, quam quae ipse a natura minus in illum effusa, comparata haberet, quam Vngarorum habendum, qui illum diutius, quam necesse esset regem ferrent, cum illis liberum ius a maioribus esset relictum, suo arbitratu regem deligendi; qui nisi intelligeret, non sibi prius quam iis se regem creatum, a quibus tantus illi esset

habitus honor; tam longe esset a regia ablegandus, quam ab iis virtutibus longe ipse abesset, quae essent in rege conspiciendae. Quod collocatus impar in regia sella, humi mente defixus iaceret; quod eodem loco haberet incolumem, atque eversam patriam; virtutis honorem, et flagitii infamiam; quod otio diffluens, sui, suorum, patriae oblitus per suam secordiam adduci rempublicam in salutis extremum casum pateretur; non illi magis, qui, quo ingenio esset sui similis numquam dissimulasset, quam iis probro dandum, qui tanto praestantioribus deiectis competitoribus, regem Vngaris dedissent, qui regendus ipse magis, quam aptus regendis aliis, si id dici per regis maiestatem liceret, in privatum fundum, curaturus regium pecus, videretur ablegandus. Esse quidem plurima de quibus Vngari quererentur, sed unum gravissimum, nullum exsistere regem, qui in extremo salutis discrimine, rebus afflictis opem ferret: nullum nobilitatis, populi nullum certum consilium, qui rege destituti, uno certo reipublicae auctore, et vindice publicae salutis, qua ratione tam saevam obortam tempestatem disiicerent, ignorarent, defixis animis tristi luctu, et comploratione malorum, quibus hebetati, minus ad suscipiendam communem caussam excitarentur. Eius rei culpam non in rege esse, sed in eorum dissimulatione, qui, malo consilio imparem creatum, deteriore tolerarent. Dedecus esse, diu pati viros fortes, regem imbellem; mollem, feroces; assuetos bellicis laboribus inertem; cuius esset negotium, quies, ignavia opus; bellum pax; vita mors. Quid vero excogitari absurdius, quid animo fingi foedius posse, quam natum in terris hominem (nondum regem, nondum mul-*)

*) Itt megszakad a bécsi codex.

tarum gentium populorumque moderatorem dici) nihil in terris agere homine dignum? Non eos homines qui tam perdito ingenio essent, sed tetra verius, atque abiecta cadavera, in quibus viventibus, et specie tuentibus hominis formam, vis et natura hominis quaereretur. Quod quidem si ita esset, quanto turpius id ferri in rege, in quo uno homines venerarentur in terris deum, gentium et populorum omnium rectorem? Vnum reliquum subsidium Vngaris, quod a rege desperandum esset, stertente in patriae exitio, et regni incendio, ab Vngaro, principe eodem nobilitatis petendum. Eum Scepusium esse, ita natum hominem ad regni, atque imperii decus, ut scelus videri posset, per fortunae temeritatem interverso naturae ordine, non solum eum parere, in quo conspiceretur digna imperio maiestas, sed eum etiam agnoscere regem, cui deberetur una summa laus, si bene nosset privatus legitime imperanti obtemperare. Nihil caussae esse, quare poscenti opem patriae deesset, et iustis suorum votis; qui arcendis hostium telis a suorum iugulis non peregrinum regem quaererent, quem non sanguis, non genus, non communis patriae tangeret amor, ubi etiam summa virtus redderet insignem; sed Vngarum ducem, quem illustribus documentis cognita in patriam pietas, caritas in suos, animi virtus, perniciosissimo propulsando bello idoneum redderet. Satis ad eum diem Scepusium pudori modestiaeque suae consuluisse, cuius magnam saepe laudem ante acta in vita retulisset; alia tempora, aliam moderandae reipublicae rationem postulare: implorantibus opem suis, in quorum viscera intenta essent nefariorum hominum tela, quando nemo praeter eum esset, qui ea posset propulsare, qui provinciam nobilissimam cum imperio obtineret, viris, equis, omni bellico apparatu florentem

uni aliquando lucem ingenii, et consilii porrigendam; parendum conspirationi bonorum; adversus impotentem multitudinem oppressae nobilitati subsidio eundum, unum illum ducem, atque ultorem communium malorum poscenti; quocumque ille nomine honestandus, accedere ad regni gubernacula mallet, cum nullum quantumvis illustre, nomen non minus esset illius merito, futurum, praestandam hanc patriae pietatem, tamquam mediis fluctibus, in funestissimo rerum omnium naufragio periclitanti, ut, quod illi sui cives munus offerrent, suscipere alacri, ac fidenti animo auderet: Vni certe tantum munus deberi, cuius fidei et sapientiae, rege succumbente publico muneri, permitti regni salutem, et reipublicae procurationem recte posse crederetur. Ad regnum enim eum asciscendum, qui non sua caussa, sed suorum nosset regnare: eum, qui multo ante habitus esset regno dignus, quam esset adeptus; qui non largitionibus, gratia, vulgi favore, sed recte iudicantium studiis, unus e multis delectus accederet ad regnum. Specimen regiae indolis iam pridem Scepusium dedisse: cum vix edito in lucem, non obscura dei immortalis providentia, per Matthiae regis, quasi per divinae mentis oraculum, regiam dignitatem portendisset: ut si illi in longiorem diem honos differretur, non Scepusio quidem, sed iis dedecori dari oporteret, qui multo ante promerito, non ultro maturius regni honorem detulissent. Longe vero eos falli, qui existimarent principum votis Ladislaum obstare, vel Ludovicum potius Ladislai prolem: cum quidem contenderent, vivo non licere, saluis legibus, regem surrogari, quem ipsi sua sponte patri, quantumvis inerti, atque imbelli, regni consortem collegamque viventi addidissent. Verum ne quis crederet huius

sententiae auctores recedere a maiorum institutis, qui semper superiorum regum liberis in creando regni successore prospectum voluissent, in filio puero aetatem, in patre impar ad res gerendas ingenium, omnium maxime rationem temporum, quibus semper parendum sapientes censuissent, facere, ut in simili re, esset ad maiorum consilium descendendum, qui prius sibi reipublicae habendam rationem, quam regum affinitatum, et necessitudinum statuissent. Ita ex Alberto Caesare, et Sigismundi filia nondum nato Ladislao Posthumo, regnum a patribus negatum, in Ladislaum Iagellonem huius ipsius Ladislai patruum translatum esse, laborante regno civilibus discordiis, et a Turca urgente Thracii belli metu: quod omnium maxime formidolosum, non regem solum, sed regem virum posceret, certe dignum quem Vngari regem agnoscerent: quod eorum de se iudicium minime Ladislaus fefellisset, pro suorum salute, ad Varnam inter confertos hostes pugnans interfectus, virtutis et fortitudinis primo flore aetatis insigni relicto monumento. Nam si modestia prohiberetur, non deesse summorum hominum exempla, quibus non solum ab aliis regnum oblatum, sed ultro expetitum etiam honori fuisset, Sigismundo olim Alberti socero, Ludovici genero, non solum fraudi non fuisse, sed vertisse etiam in summam laudem, qui Boemiae rex comitiis, quae haberentur de Caesare deligendo, se ipse, minime veritus hominum offensionem, nominasset: cum quidem ita esset praefatus, cum de summo imperio uni mandando ageretur, quem sibi praeferret, verbo abesset arrogantia, habere neminem: non enim aeque atque ipsum se, alios sibi cognitos esse. Tanti vero apud omnes unius auctoritatem fuisse, ut suo iudicio visu

dignus, qui summum in Christiana republica imperium administraret, dignus idem videretur, a cuius iudicio principum alienum ne esset. Quanto vero magis Scepusium dignum habendum regni honore, qui non suo iudicio, sed aliorum suffragio ad regni honorem vocaretur. Ac si minus posset a modestia sua impetrare, ut de rege detractum sibi sumeret regium nomen: at eundem contentum hac moderationis laude non posse recusare, quin in ultimo discrimine labantem rempublicam pro sua in patriam pietate, capesseret, et suis subsidio esset, ad illum supplices manus tendentibus: modo enim re praestaret regium munus, parvi referre, quo se nomine a suis appellari mallet. Regnum quidem promereri, et domestica virtute, et suorum iudicio, haberi omni regno gloriosius, atque honorificentius. In eo statu rem Vngaricam esse, ut si quis eas propius intueretur, is facile posset intelligere, nisi mature impendenti malo occurreretur, latius indies proferentibus patriae hostibus belli flammam, regnum nobilissimum, et nulli in Europa secundum, foedo incendio conflagraturum. Abscessisse tamquam in vasto corpore iam pridem e regni visceribus conceptum virus, atque in apertum erupisse; quod quidem per nobilium hominum dissimulationem usque eo serpendo inclusam mali vim in multos distulisset, ut non tantum spei ad salutem in opis accelerationе esset, quantum auxilii mora, afferret ad exitium metus. Atque haec quidem principes Vngaricae nobilitatis; quorum iudicio nihil poterat Scepusio accidere ad firmandam animo regni spem commodius aut opportunius, ut etiam cum regio honore conferretur; quem ita per quatuordecim annos gessit, ut non minore cum invidia Turcae bene-

ficiarius rex apud exteros aeque, et apud suos laborarit; quam gloriam privatus apud omnes servata patria funesto bello esset adeptus: quam tamen gloriam usque adeo adamavit, ut et videre potuerit, quae vera laus esset, et visam inani gloriae praeferre. Quae vero laus maior, quam oblatum remittere ultro deferentibus regnum? Eo quidem illustrior gloria in tanto reiiciendo honore; quo in promerendo certior laus. Nam regnum deprecari, per multorum caedem, urbium eversiones, provinciarum incendia comparandum, aliquanto maius hominis virtute, cum, eius unius caussa, sibi magni homines ius fasque omne censuerint in terris violandum. Ad haec brevis oratio Scepusii, et tota fere in hanc sententiam. Quod adeo de se praeclarum iudicium sui cives fecissent, tanto id pluris semper apud se futurum, quanto minus conscius esset ullo documento virtutis et pietatis in patriam suae se id promeritum; nisi egregia quaedam voluntas de suis bene merendi, quam numquam desiderari a se esset passus, pro merito haberetur. Itaque id unum se modo queri, animum satis per se propensum ad veram pietatis laudem, haud viribus aequari: desperare enim se (id quod statueret sibi enixe agendum in omni sua reliqua vita) ubi etiam liceret in multos annos proferre, parem se gratiam suis, pro eorum tam prolixo, atque honorifico de se iudicio, relaturum. Nam quantum ad praesentem pertineret consultationem, etiam si quae imminerent reipublicae discrimina, graviora sibi effingerent animis, quam re essent, non desperare tamen, pro iustissima caussa suscipienti arma, faventem et propitium Deum affuturum, cuius esset sceleratis infestum numen, qui patriae illatis impiis armis iura omnia quae homines colerent, per omnia saevitiae

atque immanitatis exempla violassent. Summo studio a primis suis annis laborasse, ut dignus videretur eo loco, quem sibi maiores reliquissent inter suos honestissimum; quorum aemulatione ni incenderetur animus ad verae gloriae decus, non facile esset fidem posteris sui generis facturus: quod quidem tum se assecuturum speraret ubi ita se gereret omni sua vita agenda, ut quos sibi honores sui haberent, non illi maiorum nobilitati, sed propriae virtuti, meritisque in patriam insignibus tribuere crederentur: ea enim gloriae monumenta viro forti relinquenda, quae de patria praeclare a civibus suis deferrentur cuiuscumque fortunae, atque ordinis esset non quae a fortuna agnosceret statuarum, atque imaginum; quae posteri a maioribus relicta haereditate adirent. Regnum quod sibi deferrent, numquam se concupisse, observantiae suae in regem, et officii memorem: ut dignus suorum iudicio regni honore haberetur, iis excolendis artibus esse adnixum, quae viro principe dignae essent. Honores enim qui in summo homine fortunae testes, non virtutis haberentur, admirari imperitos homines; parvi ducere sapientes, qui non specie, et umbra rerum, quae saepius fallerent, quam hominum societati expediret, sed rebus moverentur. Quod cum minime ignoraret, studuisse semper se, ut quibus artibus honores compararentur, iis honores praecurreret, ea agendo quae patriae honesta, et salutaria essent: tantum quidem sperare numquam esse ausum, quantum sibi ultro sui cives deferrent, neque porro umquam ausurum. Regis maiestatem, quam par esset suis sanctam inviolatamque haberi, si experrectus agnosceret quod suum certum munus esset, atque ut aequum esset susciperet nobilitatis caussam, adversus multitudinem scelere fu-

rentem, non solum non videri violandam, sed sustinendam, et fulciendam consilio, copiis, viribus omnibus: si deesset, ob id illi ignoscendum, quod non iis prius, quorum saluti prospicere, non oblitum regii muneris oporteret, quam sibi deesse videretur. Si quid enim patriae durius accideret, privatas fortunas alios, regnum Ladislaum, et quidem tantum regnum amissurum. Certe si tot malorum culpa in eo resideret, id quod ipse non auderet pronunciare, uno illi nomine videri totum condonandum, quod nihil de illius dignitate detrahi posset, quin idem in eorum dedecus infamiamque redundaret, a quibus delatum regnum, parum idoneus regio muneri administrando accepisset. Ita regem inertiae, et socordiae notam subiturum, quod tamen in malorum collatione, mitius malum haberetur; principes regni, aut temeritatis, qui regem creassent, cuius non haberent virtutem exploratam; aut inconstantiae, si magno consensu delectum, de regio solio, eodem consensu, praecipitem deturbarent. Sed ea in praesentia omittenda, et, aliquando quod urgeret, de ratione gerendi belli agendum. Multitudinem ingentem dici esse in armis, ac patriae infesta signa inferre, pestem atque exitium nobilitati; ruinam regno, atque exscidium minantem: magnum discrimen, si gerendis bellis, militum numerum prius spectari, quam virtutem, viresque animorum oporteret. At si quae militum virtus, quod animorum robur, quae vires, qui usus, atque exercitatio videretur primo loco spectari oporteret; quanti fieri debere imbellem turbam, collectitium militem, agrestes homines, quorum arma essent ligones, marrae, sarculi, falces; campus, atque acies esset vinea, ager, pratum, caedua silva? Quanti id vero ad metum tollendum interes-

se? Ita multos esse, qui arma gerant, ut in magna, atque incondita hominum turba nullus, quo maxime indigeret, dux esset; cuius imperio regerentur, homines educere e septis pecus ad pastum, atque ex hara sues, non descendere in aciem,non manum cum hoste conserere, non classicum audire, non ire in expeditionem assueti? Id vero tanti esse, ut si cum veterano milite virtute essent conferendi, a quo longissime abessent; contemnendi tamen viderentur sine certo duce, a quo discerent obire militaria munera, suos servare ordines, sua signa agnoscere, ne hac, illac palantes, qua praecipites temeritas ferret, agerentur. Ac dici contra in magno improborum numero qui se profiteretur ducem, non defuturum, audacem hominem, et turbulentum. Nihil hoc quidem verius, sed quod huiuscemodi tamen esset, ut verteret in maximum commodum, et minus a fortuna oblatum, ultro videretur expetendum: futurum enim, ut qui temerario consilio sibi amentiae ducem deligerent, cuius ductu atque auspiciis gerendum bellum (si ulla modo auspicia haberentur tantum scelus animis concipientium) par initiis eventus sequeretur. Neque vero continuo ducem, qui esset delectus militum suffragiis: non enim nomen in duce, sed rei militaris scientiam, consilii vim, animi magnitudinem, auctoritatem in primis partam multis fortibus factis spectari oportere; quae in quibus conspicerentur, ii vere duces essent, atque adeo tametsi nullis militum suffragiis delecti. Desperatae multitudini si dux esset maxime aptus quaerendus, cum qui probus esset, pudens, sapiens, magni animi, longe ab hoc munere crederetur abfuturus; improbum, sceleratum, nefarium inveniri necesse esse, qui quidem, ut cetera mit-

terentur, hoc nomine videretur contemnendus, quod. quae virtutes conspici in imperatore consuevissent, numquam coniungi cum (im)probitate, et scelere potuissent. Neque tamen se fugere aliquando posse accidere, ut vir probus, quemadmodum olim Romae, in seditione militari, probus ac moderatus dux, imperare improbis, et seditiosis cogeretur. Id unum vero in votis maxime expetendum, (utinam aeque certa in spe) ut huiusmodi dux adversariis in quo animi moderatio, ac virtus par impotenti multitudini coercendae, et ad veterum disciplinam minime exculto militi contingeret. Quem enim si id usu veniret dubitare posse quin dux probus, ad sanitatem milite perducto, laetum belli exitum per civium concordiam, et iniuriarum oblivionem constitueret? Ita a duce improbo nihil timendum mali; ab altero, si id modo contigeret, plurimum etiam sperandum boni haud dubie suis ad pacem, otium. et concordiam auctore. Neque tamen cunctandum, aut mora occasionem corrumpendam, nondum ita confirmata adversariorum audacia, ut iis esset de victoria desperandum, qui et virtute, et caussa, et viribus adeo, adversus inconditam multitudinem essent superiores in acie futuri. Eundum ultro obviam sceleratorum hominum audacibus inceptis dum se occasio daret, qui neque certum adhuc ducem e suis ullum agnoscerent, neque aliunde sibi affuturum sperarent, nisi forte qui tanto muneri administrando impar, non prius hostium armis, quam imperii onere oppressus, succumberet, carentes duce, non secus atque hominum cadavera anima carentes aggrediendos, quamdiu destitutos consilio, opprimi spes esset, ne quorum virtute, et robore regni salus inniteretur, nobilitas et regni ordines, insigni cum omnium pernicie opprimerentur.

Se quidem quae partes laboris, atque industriae essent, ut rem gerendo militis, vigilando, monendo, explorando adversariorum consilia, audaciae occurrendo, ducis partes praestaret, operam daturum. Delatum sibi regni honorem precari deum immortalem, ut tacita opinione suorum iudicaretur promerere: ut crescere induceret animum ex cuiusquam ruina, regis praesertim, quem semper, ut sua in patriam pietas postularet, sancte veneraturus esset, numquam ab se impetrari passurum. Haec ad hunc modum esse acta nonnulli sunt auctores: qui si vera afferunt, haud dubia suorum praerogativa, debitum sibi a suis regnum Scepusius, Mohacensi proelio Ludovico interfecto, petiisse, Vngari suae fidei memores desponsum detulisse videantur. Quod quidem si est, praeter ea, quae iam a nobis sunt commemorata, mirandum videri possit, nec Iovium, qui Pannonicas res accurate persecutus est, nec Tuberonem, qui multo illo accuratius, eius rei, cum tanti praesertim momenti esset, mentionem ullam fecisse. Verisimile quidem est, quod iam monuimus, cum tanta belli moles in nobilitatem incumberet, iacente rege et publicis rebus indormiente, cuius voluntas probari magis quam virtus posset, illi spem regni factam, ubi rem impigre gerendam, pro caussa nobilitatis adversus agrestes suscepisset, sed nulla, aut sponsionis, aut pacti, et conventi formula, nullis per iusiurandum conceptis verbis, quae eorum fidem illi obstringerent, quandocumque de rege surrogando comitia haberentur. Nam, quae eius sive pertinacia, sive constantia fuit, id quod studiosi illius nominis credi volunt, tuendo regno adversus Ferdinandi, et Caroli V. opes, non videbatur, ita sibi devinctae suorum fidei obliturus; cuius nusquam ab illo mentio-

nem factam legimus; cum quidem ita sui iuris esset tenax, ut etiamsi maxime laudis cupidus videretur, recuperandi regni caussa, magna sua cum invidia, ad poscendum a Turca auxilium descendere veritus non sit. Neque tamen illi erat maiori invidiae futurum, ubi, per principum conspirationem deiecto Ladislao, regnum occuparet, quod magna cum laude olim alii, et magno cum populorum plausu, per interpositam Romani pontificis auctoritatem egerunt, exemplo illustri posteris relicto, unius regno multorum populorum salutem praeferendi, ubi in rege desideretur sustinendo tanto muneri apta virtus. Nam tempora accedebant, quae eius rei invidiam elevarent, quae, ne quassata respublica everteretur, subito ex impiis hominum mentibus belli turbine erumpente, magni consilii atque usus hominem poscebant, qui iis moderandis cum potestate regii imperii praeesset; quae si uni esset mandanda, nemo erat qui eum in regni petitione competitorem ferret. Etsi enim non deerant, qui in tam amplo regno cum Scepusio, et generis splendore, et virtute certarent, praeter paternas opes tamen, quibus haud dubie omnibus anteibat, accedebat parentis memoria, clari viri, cuius ductu, atque imperio, qui militassent adhuc multi supererant, qui filio in patris gratiam suffragaturi crederentur. Adiuvabat ad haec omnia, provinciae honos, unde illi tanto maior splendor, quanto a regia aberat longius, cuius maiestas, atque altitudo illi e propinquo loco officeret; ut quasi intra Vngariae fines inclusum regnum alterum videretur administrare. Insignis tum Transilvaniae praefectura habebatur, qua pridem Stephanus Bathorius functus, cum magnas res adversus Baiasetem ingenti sua gloria gessisset, earum recenti memoria profiteri se regni candidatum, haud veritus

erat, iis comitiis quibus Ladislaus erat regnum adeptus. Nam nostra memoria eiusdem nominis, et familiae Stephanum Bathorium idem provinciae honos extulit ad Polonorum regnum, quod quidem, magna gloria domi forisque parta per duodecim annos moderatus est. Eadem Scepusius potestate, non eodem iure, non secus ac si apud Transilvanos rerum potiretur, subiectas suo imperio civitates administrare, bellum finitimis inferre, propulsare illatum, Ladislao inconsulto, qui in his omnibus connivebat, facile patiens, hominem alioqui moderatum impotente legitimi imperii, procul ab regno Vngariae regnare. Atque ut appareret, non gratiae, aut nobilitati, sed virtuti a Ladislao habitum honorem, cum provincia ardui muneris, et quae non oneris minus, quam dignitatis obtinenti afferret, tum aetas maxime efficiebat. Vix enim pubescens praesse Transilvaniae erat iussus, quae aetas raro solet maiorem a virtute, quam a genere indolem habere. Dum haec ad hunc modum a nobilitate belli metu anxia administrantur, Zechelus cum usque eo esset audendo progressus, ut ab amentia nullum sibi poenitentiae locum reliquisset, iam variis artibus, et fallaciis, si qui dubii erant in sententiam traductis, ita omnia ducis munera obibat, ut nihil illi praeter nomen, ac ducis insignia deessent: quod ipsum quidem ne diutius sua spe desideraret, adire ipse multitudinem, atque hortari ad bellum, per suos iam satis animatos, primo quoque tempore constituit, satis gnarus, ubi de improviso adversarios, nihil tale exspectantes opprimeret, insigne se operae pretium facturum. Inde, frequenti hominum multitudine coacta, ut legitimae concionis speciem praeseferrent, dicitur ad hunc modum verba fecisse: Ea,

Vngari hactenus vestra fortuna fuit, ut nullum alium malorum finem, quae vos obruunt expedientibus non inimicorum magis viribus, quam vestra tarditate, et cunctatione fuerit una optanda mors, quae vos ab imminenti exitio vindicaret: ea vestra fortuna, dei beneficio, nunc est, ut si amplecti animis velitis, vobis oblatam occasionem liberandi vos a nobilitatis iniusta dominatione, si, id quod semper vobis in votis maximum fuit, inimicos ulciscendi vestrorum malorum auctores: neminem vestrum dubitare oporteat, quin iustissima vestra vota, quem maxime optatis, sit finis secuturus. Id unum modo a vobis requiritur, ut experrecti letali somno, qui tamdiu vos vestri, et inimicorum oblitos tenuit; quam iam manu tenetis, non patiamini vobis occasionem e manibus effluere: id si potestis praestare, etsi, ut decet viros fortes, quantum potestis, tantum vos posse cognoscitis, atque adeo adversus communes inimicos audetis explicare vestras cognitas vires; vos iubeo vacuo animo, et soluto omni cura de victoria esse. Frustra exoratus iustis precibus deus adest propitius opem poscentibus, ubi si(bi) opem ferenti, et porrigenti dexteram, qui ope indigent, subducant manum. Ita vero mihi videor videre vos affectos animis, ut si vestrae libertatis assertor, vos sperem mea magis oratione, quam vestrorum malorum recordatione commoveri, non iudicio vestro solum, sed meo etiam fatear me ineptissimum omnium hominum habendum. Nullae sunt adeo a vobis remotae gentes ad quarum aures non explicata vestra mala cladesque pervenerint, fama illas ad ultimas terrarum oras proferente. Quae quidem ne sanari mitiore remedio possint id quod vobis optandum esset; non solum earum magnitudo, sed adversariorum etiam immanitas

facit, a quibus vobis sunt illatae. Fames, egestas, squalor, servitutis teterrimae certa indicia, tum corporis immunda illuvies, pallor, macies vobis tacentibus, quacumque inceditis, incurrunt in hominum oculos: vestrae inquam sordes, luctus, lacrymae, perexiguo quidem cum vestro solatio, quibus nihil inde opis, atque auxilii accedit, sed magno eorum tamen cum dedecore, et infamia audiuntur, per quorum scelus factum est, ut vobis vita vestra invisa, mors expetenda sit, quae vos a tantis malis vindicet, quibus obruti, et circumventi estis. Vsque eo male vobiscum fortuna egit, ut a qua re animantes omnes, naturae instituto, refugiunt, vobis victis magnitudine malorum sit ultro consciscenda mors. Huius lucis vobis usura deprecanda est, quae pessimo fato vos excepit ita in vitam ingressos, ut nullus umquam dies non acerbior altero vobis illucesceret, hoc scilicet, ut vestra vobis mala clariora, illustrioraque redderet, quae ne vos angerent graviore sensu, essent vobis aeternis oblivionis tenebris involuenda. Vos viros fortissimos, vere masculam maiorum prolem, a quibus ducta origine, per longum annorum spatium estis in lucem suscepti, impotentes homines, tyranni importunissimi, iniustissimo onere imperii oppressos, oblivisci antiqui generis, atque a natura insitae virtutis, et vitae odio mortem appetere coegerunt. Atque hoc quidem ab his impio scelere contaminatis, tetro atque immani consilio est factum; nequando vestri memores, fiduciam simul, et animos dignos vestris maioribus sumeretis ad oppressores vestrae libertatis crudelissimos, atque immanissimos homines ulciscendos. Iam quo sit in vobis acerbior sensus domesticarum cladium, eorum beata vita facit, cuius caussa vita vestra in moerore, luctu,

squalore ducitur; tum superba domesticae opulentiae ostentatio, divitiarum, conviviorum, epularum, quibus magno vestro malo diffluunt; quasi de hostibus victis iusto bello, de suis perpetuis aerumnis, atque infortuniis iactatis, triumphum agentes. Quae omnia si viri estis, brevi in eorum exitium vertent; qui vestrae libertatis, et salutis ereptores crudelissimi, ne paterent ad misericordiam vestris precibus, animos omnem sensum humanitatis exuentes, scelerum omnium mole obsepserunt. Tanto vero ex fortunae commutatione eorum est futura gravior ruina, quanto illis magis licuit per vestram calamitatem in sublime tolli. Eadem vobis semper sententia stetit, quamdiu eorum eadem saevitia, et crudelitas in vos bacchata est, hoc a miseris fortuna extorquente, ut quae se cumque nobis occasio daret, ab eorum vos servitio asserendi, eam, in spem salutis erectis animis amplecteremini: fieri umquam, ut vobis frui optato liceret, numquam vobis ante hunc diem venit in mentem sperare: id quidem ob eam caussam, quod vobis parum recte vestrae aestimatae vires viluerint; quas quidem ita nunc vobis benigna fortuna ostendit, ut minime verendum sit, quin animo amplexi tantam vobis occasionem oblatam, voti compotes perveniatis ad optatum finem. Ita enim vestra optata alere debet, bene rem gerendi certa spes, ut si parem vim roburque animorum in vobis excitet, et vestrae originis memoria; et eorum malorum recordatio, quae vos ad hoc consilium confugere coegerunt, haud dubie, id quod lubet ominari, laetus quoque eventus praeclare incepta sit consecuturus. Neque vero vos decet hoc a dicente munus exspectare, ut vi et facultate orationis vestris exaggerandis, atque augendis malis, quo in oppressores

vestrae libertatis incendantur animi vestri vehementius, acerbiora illa gravioraque efficiam, quam per vos ipsi experiamini. Vnum est modo vobis agendum, ut conversis inter vos oculis, vos, quasi speculum unde inspiciantur vestra mala, alter alteri obiiciatis (eadem enim omnium vestrum calamitas), qui corporum habitus, vultus, oris qui cultus sit spectetis, tum si quis in vobis viget humanitatis sensus, statuatis id, quod necesse est ad vestra pervellenda, perfodiendaque pectora, non esse aliunde vobis exspectandos stimulos acriores. Equidem ubi vestra ora intueor pallentia fame, rugis horridam frontem, faciem exesam situ, adductam macie, ac torridam cutem, nisi me vestra virtus, in suscepta de vobis spe confirmet, vix mihi faciam fidem in adeo affectis, exanimisque corporibus, latere animorum tantum robur, quantum belli praesens requirit usus. Enimvero illi multis nominibus odio digni, sed uno maxime, quod obliti sui generis, dum vos ministros suarum voluptatum, et deliciarum faciunt, quas sibi per vestrorum corporum lanienam parant, non permittunt procul positos ab urbanis deliciis, maiorum avitam virtutem repraesentare, quibus beati homines, ut sibi videntur, ut aliis videntur, miserrimi, Vngarorum genti iam inde ab ipsa origine vim insitam, et magnitudinem animi obruerunt. Vnum scilicet iis curae est, ut vestro squalore niteant; vestro labore partis frugibus saginentur; et referti regiis epulis, hinc crapula, et vino onusti, hinc luxuria perditi, curarum omnium expertes beatam vitam agant, id vero modo? immo, ut agere etiam conspiciantur, quo vos acrius vehementiusque afficiat ex vestris aerumnis susceptus dolor. Neque vero illi modo in vos crudeles, sed in parentem omnium naturam impii, cuius iniuriam cum ves-

tris cladibus, atque infortuniis sceleratissime coniungunt: neque enim haec naturae praescriptio, haec lex, ut nati in ea regione homines, quae non solum frugum ferax, sed aeris, argenti, auri omnium refertissima sit, quae vitae usus, atque elegantiae adeo requirat, ita habeant distributas partes, ut alteri suppeditent immensis laboribus, quibus aliorum vita alatur, semper ipsi fame enecti; alteri, cum alantur aliorum labore partis, ne hoc quidem nomine illis parcant, quod miserrimi homines, avarissimis dominis, et crudelissimis, vitam, quam coniugibus, liberis, parentibus debent, habeant mancipatam. Itaque non possunt eo esse contenti, ut spectentur generosis equis insidentes, ovantium similes, quocumque se vertant, splendore auri, et gemmarum nitore oculos perstringente, nisi fortunatos homines longis comitantibus clientium catervis, miseri conspiciant, scilicet ut sint, quorum solitudine, moerore, calamitate, fame, paucorum fortuna splendidior magnificentiorque, quasi ex adverso posita appareat. Haec una, inquam, illis caussa est, e vestris iugulis sanguinem hauriendi, mactandi liberos vestros, necandi fame, ut habeant, quo foris niteant, quo splendeant domi, quo maximorum regum in morem, undique magno sumptu conquisitis epulis alantur. Ita si ii estis, quos me iuvat sperare, et spondet vestra virtus, vitam quae iis addicta centies quotidie mactatur (est enim unum hoc vobis saepe repetendum) aliquando pretium repetitae a vobis libertatis, per summam vestram laudem, et decus constituatis. Ita, aut vobis, liberisque vestris, quibus debetur, vitam recuperabitis, aut crudelissimis dominis eripietis, quibus non est satis laute, et magnifice vivere, nisi vestra cum perpetua iniuria vitam, si ea potius eorum

vita, quam miserorum carnificina est, traducant. Quam tantam iniuriam si qui sunt, qui possint aequo animo ferre, eos vobis numquam veniet in mentem aemulari servituti natos homines, qui libertatem propterea contemnunt, quod nullam noverunt: vos, ni me fallit spes de vestra virtute suscepta, et vestri homines similes, quidvis potius pati quam servire, et virtuti vitam exsoluere quam fato malint. Luculenta vero vobis conditio proposita est, et quam quidem, si viri estis, minime vestra virtus reiiciat: Aut victoribus, quo est vobis omine auspicandum bellum, licebit ex hostium ruina fortunatis esse; aut victis (quod omen deus in hostem vertat) e durissima servitute, qua immanissimi homines vos obstrictos vexant, aliquando emigrare per honestam mortem licebit. Contra adversariis vestris accidat necesse est; sive enim vincant, erit coniuncta cum vestro exitio eorum ruina; sive victi discedant, ea erit illorum conditio, ut prae iis, qui in bello occiderint, sint superstites miserrimi futuri. Vtrumvis horum contingat, dediscendae iis erunt urbanae deliciae, festi dies, chorea, lusus, compotationes: quae quidem non magnificentiae laudem, sed luxuriae, crudelitatis, eorumque malorum significationem habent, quibus, exhausti infelices homines tributis intolerabilibus, ne vita quidem, quam vix ullam habent reliquam, sufficere dominorum immanibus sumptibus queunt. Agros discent ipsi colere, putare vineas, fodere, arare, silvam caedere, prae se agere armentum, frui maiore cum voluptate suo, quam aliorum labore partis. Equidem qua de re nonnumquam sapientes homines disserere audivi, militaris homo vobiscum recognoscere haud gravabor. Manavit in principio rerum hoc a natura, in omni multitudine quae communis

salutis caussa eodem coiret, essent, qui, tamquam in humano corpore mentis et rationis vis, principatum tenerent; quique ea, quae a melioribus imperata essent, pro mandato sibi munere naviter industrieque exsequerentur. Sed tam laudabile naturae institutum, temeritas fortunae, ut solet alia omnia, pervertit, magno vitae humanae incommodo, quae nulla est futura, nisi, certis quibusque distributis partibus, rerum universitas suo statu incolumis custodiatur. Nam ad regni fastigium ita multi fortunae cursu secundo provehuntur, ut si naturae legibus oporteat obtemperari, quae aeque et ad imperandum idoneos homines, et ad parendum fingit; in infima parte positi sordida, et servilia ministeria obire ad aliorum praescriptionem, et normam inviti cogantur. Atque ut nunc alios omittam, quinam sunt ii, quorum imperio eiusdem generis homines, obnoxii estis, in eadem patria nati, alti, educati? Quae in his virtus ita excellit, quae ars viro principe digna, quae rerum cognitio, qui usus, ut digni habendi sint, qui, ut domesticis divitiis, et copiis, sic honore potestateque excellant? Quid, si ex iis, in quos sibi imperium sumunt, permulti sunt longe ingenio, virtute, consilio, animi praestantia, et fortitudine meliores? Sed esto: detur hoc maiorum meritis, ut eorum posteris, quamquam degenerantibus a virtute insita generi, subnixis avorum statuis, imaginibus, triumphis, illustribus aliis gloriae titulis, honos habeatur: liceat inertibus, fidentibus maiorum virtute, diffidentibus sua, conspici excelso loco, curules sellas conscendere, gestare sceptra, et summi imperii insignia, converso naturae ordine, quae illos vix hominum similes, et vitam agentes bestiarum more, ad ima impellit: stet in aeterna dei immortalis providentia hoc alte involutum

consilium, ut tamen foeda monstra regnent, et quorum sit certius munus, aut suum haram purgare, aut cloacas tergere; iis populi principes, maximae civitates, opulentissima regna, atque imperia regenda permittantur, qui ipsi, ut habeantur in hominum numero, rectore et moderatore indigeant: cur non in eo saltem naturae instituto parent, ut, quemadmodum alendae animanti, non est illi modo una eximia pars, sed quidquid sumitur, aequa distributione in omnes partes diducitur, ita ipsi patiantur, in uno, atque eodem civium corpore, quae natura voluerit communia esse omnibus, sedula sui operis conservatrix, suis aequo animo communicari? cur sibi modo naturam consulere volunt? sibi modo fruges efferri? sibi effodi aurum e terrae visceribus? erui e fluminum ramentis? cur sibi tantum cudi. caelari? cur licere praepostera ambitione elatis unico convivio haurire, quantum ad pagum alendum sit per integrum annum satis? cur caput spectari volunt comptum, nitidum, ungventis oblitum: reliquas partes, manus. crura, pedes, tamquam alterius corporis sint, alto coeno inquinatos spectari? Quid vero aliud est, monstra gignere, prodigia, portenta, si hoc non est? Itane vero? hoc discrimen inter civium ordines habendum, ut meliore conditione sint, qui fortuna secundiore utantur; despiciantur, quorum res tenuis ne victui quidem sufficiat in summa egestate fame laborantibus? hoc potest probari, et sperari simul diu rempublicam incolumem, et florentem futuram? Satis diu vestra illos patientia efferavit: quamdiu vos ferendis, tamdiu inferendis vobis iniuriis illi obdurescent; ut nisi vos in eo modum aliquem statuendum vobis censeatis, ipsi sua sponte, male de vobis merendi. vos coniuges, liberos, vexandi, vestras fortunas

diripiendi. nullum sint umquam sibi facturi modum. Iam vobis, Vngari. erigendi sunt animi in spem meliorem, iam ad res dignas vobis. dignas origine excuscitandi; aliquando vobis repetenda libertas armis. nobis erepta hinc nobilium hominum iniuria hinc nimia vestra remissione animi. et vestri iuris dissimulatione vel ignoratione potius, qua impotentes homines abusi in vestrum exitium insoleverunt; ferro. inquam. igni. arcium, pagorum vastitate, populationibus. omnibus belli cladibus sunt inviti ad officium revocandi, numquam sua sponte facturi, ut sese aliquando, et vos respiciant, quae una certa ratio est vitae communis tuendae. Expetendae sunt a crudelissimis hominibus scelerum poenae, quae, per tot annos in vos dura, acerba, non ferenda liberis populis admiserunt per omnia crudelitatis, immanitatisque genera, quae quidem tanta fuerunt, ut si, ad breve momentum vobis cuncta liceat sub aspectum revocare; mortem, quam non supplicii magnitudo acerbam reddat, levem pro iis irrogatam poenam contaminatis suorum paricidio statuatis: ita enim sese gesserunt, ut iis. ne in morte quidem. quod commune miserorum in malis subsidium est, debeat a supplicio perfugium patere. Me vestri ordinis hominem, et propterea unum omnium maxime nobilitati invisum, quo me cumque nomine placeat appellari, paratum semper habebitis ad ea procuranda agendaque omnia, quae vestrae saluti, et securitati conducere arbitrabor. Cum ita Zechelus perorasset: incensis iam sua sponte animis ad bellum, quos adeo seditiosa oratio multo vehementius commovisset; magnis clamoribus. atque ululatibus. ut appareret, a scelere coeptum bellum, dignum initio exitum habiturum, quod felix, faustumque esset vindici communium

malorum, salutis auctori, assertori omnium libertatis, simul Vngariae populis universis, non copiarum ducem, non praefectum, non imperatorem, sed quasi demissum e coelo hominem, non Zechelum latronem emersum e plebis sordibus, regem appellant. Nullus vero alius titulus, quo illum sibi ornandum, augendumque censerent, non infra illius meritum esse imperitis hominibus videbatur, qui magis quid vellent elatis odio animis spectarent, cuius in moderatis etiam ingeniis raro summa virtus est potens, quam quibus rationibus, id quod vellent per eum ducem assequerentur, non cognitae, ac spectatae virtutis hominem, non belli, non earum artium peritum, quae permultae sunt in magno duce requirendae, ut cui sit adversus praepotentem hostem difficile atque arduum gerendum bellum. Non illis veniebat in mentem quanta res esset cum iis pugnare in acie armatis, quorum inermium fustes, lora, nervos, ergastula timere assuevissent; quorum iratos vultus horrere, formidare imperia; quantumvis iniusta, saeva, immania vi, malo coacti perferre. Nemo aderat qui rudes, atque agrestes homines revocare ab amentia, deterrere a scelerato incepto eorum exemplo conaretur, quos subnixos innumerabilibus copiis, parva manu clari militiae gloria imperatores fudissent. Alexander qui victricibus armis everso Persarum imperio tanto, ad Indos usque penetrasset; populus Romanus, qui tot nationes, tot populos, tot gentes, non maioribus copiis parere suo imperio coegisset: at Zechelus ne qua re fallere suorum de se opinionem, et minus aequare animo tantum sibi delatum honorem videretur: quod a domestica disciplina non licebat, homini in taetra barbarie nato; ab audacia, et animi fiducia mutuatus, rudes homines, et mi-

nime assuetos militaribus imperiis, in ordines certos distribuere, deligere qui iis praeessent, docere militaria munera, accipere, imperia exsequi, petere signum, obire vigilias, duci in primis verbo audientes esse, alia, quorum plane non erat imperitus, diu pugnare cum Turca hoste in regni finibus assuetus. Erat, ut diximus, incredibilis hominis ferocia nondum inani regis titulo tumentis: aucto eo honore, tantum spiritus, et fiduciae accessit, ut tamquam regium nomen sua sponte ceterae virtutes regiae, quascumque res susciperet agendas, quantumvis inconsulte et temere aggressus laetus esset eventus secuturus; nihil certa ratione, et consilio agere, tumultuari, rapi quo casus et temeritas ostentaret, homo non ex certa sui conscientia, sed ex imperitorum vana opinione sibi cognitus, quae illi pro ratione erat. Quae quamquam ita se haberent, ob declinandam tamen invidiam, contentus titulo regii nominis, imperii consortes e multorum delectu assumpsit, quorum insignis audacia habebatur, sicarios, latrones, perditae spei homines, aptiorem manum qua spes praedae esset itineribus insidendis, quam constituendo regis consilio; in his Laurentium quendam, qui non ita pridem functus sacerdotis munere, oblata occasione armorum, et per eam scelerum impunitate se amentiae socium adiunxerat, tum Martinum eiusdem ordinis hominem, qui cucullo, et sacra veste indutus, palam in mendicantium collegio sacra fecisset, profligatum plane, atque infame hominum genus. Atque idem tamen sic de horum sententia omnia agebat, ut eos ipsos haberet in potestate devinctos sibi praedae spe, et praemiorum ingentium, quae, bello ex sententia confecto, illis ingentia ostentabat. Erat haec summa consiliorum, Nobilitatem in Vngariae regno igni, ferro-

que extincta, qui fere mos apud populos gentesque tenet, quae a Daciae finibus ad Pontum usque Euxinum pertinent, unum omnium aequabilem ordinem constituere. Hinc pontificum collegio sublato, quorum fuit semper, more maiorum atque instituto in Vngarorum regum consilio summa auctoritas, unicum creare, qui cum potestate sacri imperii divinis rebus praeesset, vectigalibus sacerdotiorum, pro cuiusque meritis, iis destinatis, quorum gerendo bello, fortia facta plura, atque illustria numerarentur. His ad hunc modum constitutis administratisque rebus, nullo adhuc militis periculo facto, ut, quando minus re alia liceret, quid de eo esset sperandum, ubi conserenda esset cum hoste manus, re atque usu experiretur, non regis exploratis, non principum consiliis, fretus modo hominum numero, agmen praedabundus ad Tibiscum amnem rapit, fallaci spe bene gerendae rei, ubi numerum militum par virtus aequaret, quacumque incederet barbarae immanitatis ultimis editis exemplis, et in omni hominum memoria inauditis. Erant spes illi omnes in celeritate positae, ut si prius quam regii colligerent vires, belli initium faceret, imparatos de improviso aggressus, id quod plane se effecturum sperabat, per facilem victoriam, sibi aditum ad cetera, quae animo destinaverat compararet, quibus foediora immanioraque nulla umquam veterum memoria homines erant passi: nullum quidem bellum dirioribus auspiciis coeptum, nullum in quo parta victoria, tetriora in victos constituta supplicia legantur. Horrenda ubique facies rerum: passim incensi pagi, dirutae arces, oppida aequata solo, exusta templa conspiciebantur quae saepe a Turca hoste religionem expressissent; quacumque pervaderet funesti belli fax, omnia per foedam stragem, et ruinam

pertinaci flamma sternente. Iam illa inexorabilis odii avulsi e matrum uberibus infantes liberi. et in parietes illisi, virgines nobiles vulgo prostitutae, matronae per vim stuprum passae; nullo discrimine sexus. ordinis, aetatis, promiscue omnibus oblata mors; excogitata in miseros supplicia teterrima, et quae indignitas augeret; palis affixi insignes nobilitate homines, iuvenes eximiae spei, sacris honoribus ornati alii, in his pontifices, quos non religio sacrorum, quam nullam ferocia pectora agnoscebant, non muneris maiestas, non dei immortalis numen, eius inter homines interpretes tutos ab iniuria reddebat: ut videri posset bene cum iis actum, quos tam truculentae barbariae ereptos, alia belli vis, ferrum, flamma hausisset Subsederat fere per idem tempus ad Tibiscum cum exiguis copiis Stephanus Bathoreus summo loco iuvenis natus, cuius Stephanus patruus Transilvaniae praefectus, ut alibi diximus, Turcas memorabili proelio non procul Alba Iulia vicerat, cuiusque avus gloriosam mortem ad Varnam, pro Christi caussa, occubuerat. Ad huius belli famam, quod aliquot oppida, sita ad Tibiscum habebat, collecta, ut licuit, subito exigua militum manu, eo contenderat, ut si Georgius, id quod facturus credebatur, ab ea parte belli initium faceret, laborantibus suis in tempore subsidio esset. Neque coniectura falsus; ab exploratoribus quos quaquaversum praemiserat, cognovit, haud longius Georgium cum copiis abesse, ac nisi se propere reciperet in tuta locafore, ut, insigni accepta clade, cogeretur retro referre signa. Hinc crebris nunciis acceptis, qui iam hostem dicerent adventare, signo ad proficiscendum dato. vix ut trepidantibus suis ad arma capienda locus daretur, Nag Lacum concessit, nonnullis e suis amissis,

quos hostes, conserto cum novissimis proelio, interfecerant: simul dat ad Scepusium litteras, quibus docet, Georgium cum ingenti peditum, atque equitum manu, ad se opprimendum iter accelerare: eius inopinato adventu deterritum se, cum paucitati suorum diffisus minime in certamen descendere esset ausus; quamdiu sibi facultas ad receptum daretur, in praesentia sibi tempori cedendum statuisse: quod commodo reipublicae fieri posset, ferre auxilium ne cunctaretur. Intercedebant non ignobiles, inter Bathorium et Scepusium simultates, ita susceptae in contentione summi honoris, ut quominus utriusque in patriam pietas exstaret, minime prohiberent. Atque erat quidem Scepusius potentia superior, copiis, divitiis, clientelis, in primis clarus suorum studiis, ut facile iis fretus principem dignitatis locum secundum regem, ut iam diximus, tueretur: maiorum gloria, et antiquitatis monumentis, quae plurima, atque illustria numerabantur, Bathorius insignis, gratia et auctoritate par habebatur. Originem enim Bathorii referre in Batum Pannonum regem creduntur, a quo deductum nomen familiae manserit. Cetera paria, aetas, ut vix essent egressi pubertatis annos, ad res gerendas animi vis, in primis iis partibus, quibus adhaesissent, constantia, quae insignium malorum caussa patriae fuit. Eventus porro in utroque ita dispar, ut superior Scepusius in regni petitione habitus, regnum magno nobilitatis consensu, et populorum sit adeptus; alter, desperatis suorum suffragiis, quorum studia in unum Scepusium incumbebant, sua sponte de medio discedere sit coactus. Itaque hic regni palatinus, quamdiu Ludovicus rex vixit; eo mortuo, non ausus cum Scepusio in regni certamen descendere, ad Ferdinandum transiit, quo

potiente rerum, et palatinus regni, et prorex Vngariae praefuit. Scepusius ita regnum iniit, ut cum potentissimo adversario perpetuo de regni possessione dimicarit. atque adeo ita pertinaci studio, ut ne a suis quidem relictus cesserit, quibus acceptum regnum referebat. Ac ne Scepusiae familiae diu Bathorii regiam dignitatem inviderent, iam tum occulta fata, eiusdem et gentis et nominis Stephano Bathorio regnum destinabant, quem quidem, haec nobis scribentibus, Poloni regem venerantur. Ergo, ut in altero fuit pietatis insignis laus, qui privatis simultatibus publicam salutem praeferre coniunctam cum sua, et a gloriae aemulo poscere opem, animum induxerit; ita in altero magnitudo animi par, cui non fuerit impedimento aemulatio honoris, quo minus poscenti, dubiis suis rebus auxilium impigre ferret. Nam que his literis Scepusius acceptis, cum in uno Bathorio verti totius regni salutem intelligeret, optimo consilio occurrendum belli initio hostis audaciae existimavit, principum cunctationem et moram pro caussae praeiudicio sumpturi, ubi diutius, quam necesse esset ea corroborari sceleratorum audaciam licentiamque paterentur. Itaque ad veterem militem, qui ex superiorum annorum delectibus stipendia fecerant, novo milite conscripto, non die, non nocte intermisso itinere, primo quoque tempore ire obviam hosti pergit. Iam ventum ad Tibiscum erat, vix opinante Georgio, de primo belli motu adversarios nuncios accepisse: iam Scepusiani erant hostibus in conspectu, ut aut conserere cum hoste manum, aut retro cum ignominia detrectantes pugnam se recipere cogerentur. Quod tantum dedecus ubi admitteret; intelligebat Georgius, auctoritatem se omnem, qua una inflatus miseros conciverat ad arma, tum apud suos.

tum apud hostes amissurum: quorum alteris metum, qui diffisum suis viribus, minus congredi cum hoste ausum, essent existimaturi; fiduciam atque alacritatem alteris, quos hostium metu, quasi pro victoriae praerogativa usuros appareret, haud dubie videbatur iniecturus; quod ne accideret in primis illi erat laborandum. Praemiserat Scepusius equitum turmam ad exploranda hostium consilia, et locum castris idoneum deligendum, re vera, ut lacessitum equestri proelio eliceret e castris, arbitratus fore, id quod accidit, ut spe bene gerendae rei, et sui opinione inflatus Georgius, quod unum maxime optabat, potestatem pugnandi faceret. Id si accideret, minime dubitabat, quin penes quos ius fasque esset, cum imbelli multitudine, et collectitio exercitu pro iusta caussa pugnantes victoria staret. Atque hoc tantum discrimen miseris subeundum, eo vehementius animos percellebat, quo magis acciderat inexspectatum. Non dux militem, non ducem miles agnoscebat fere e faece, et sordibus omnium gentium contractus; ut neque lingua ad accipienda imperia, neque fides, et animi vis ad exsequenda, ignaris ducis consilii adesset; cum pugnantibus pro aliena victoria, praeter unum iactatum nomen libertatis nulla spes praemii bene gesta re exstaret, quod ultro, appetenda morte, poscendum videretur. Nam dux non solum imperitus earum artium, quas rei militaris ratio requirit, sed vix ipse aptus ad parendum ducis imperio, non ita pridem gregarius, mox eques, temerario cum hoste concursu, et casu potius, quam vera virtute victor; ut nisi quisque sibi dux, re gerenda esset, quae virtus non temere, ne in veterano quidem conspicitur, haud dubitandum videretur, quin, ubi signa concinerent, rustica plebs

novo insueta malo, cum agro, atque area campum; cum falce gladium; desponsa belli praemia, cum certa frugum spe; cum securo otio armorum decus, vitae discrimen, et sanguine comparandum commutatum vellet. Omnia penes Scepusium ita comparata, ut rei militaris, atque eius temporis ratio postulabat: peritus belli dux: magna ex parte miles veteranus; novus, quem, etiam si minus usus adiuvaret, doceret veteranus et servare ordines, et inferre signa, et ubi cedendum esset, servatis ordinibus referre pedem, et quo expediret, quaerere receptum. Iam ita Scepusius suis praeerat, ut volentibus imperaret, et quidem, quorum permagni vincere interesset, minime verentium, quin cum patriae exscidio, interitus victae nobilitati immineret, quae una bello petebatur, victoribus ingentia essent speranda praemia, domi commoda multa, agros, fundos, honestiores nobilitatis titulos, quae numquam ii desiderant, quorum virtute est vindicata patria a sceleratorum armis. Neque iis minora proposita erant, qui e plebe urbana, intacti contagione belli, voluntarii pro nobilitatis caussa arma sumpserant. Augebat vero eorum meritum grave suis factum praeiudicium, quorum caussam, per defensam nobilitatem, haud dubie iugulasse videbantur. Vt vero militum numero cederet, praeter eos, qui vulgo stipendia merebant, intentissima cura conquisitos, ducebat secum voluntarios, et quorum multis magnisque in rebus virtus spectata erat, quibus accedebat nobilium adolescentium numerus non contemnendus, quibus vigentibus aetatis robore, virtutis aemulatio, et iustissimum, ut credebant, in adversarios odium fiduciam atque animum subministrabat. Iam Scepusiani equites, cum nihil sibi reliqui ad summam celeritatem fe-

cissent, propius successerant adversariorum castris, cum miseri id quod erat, adventare cum universis copiis ducem arbitrati, repente consternati animis, et instantis mali pavore trepidi, receptum ad salutem, et fugam, cuius erat omnis facultas praeclusa meditarentur. Hinc ducem circumsistentes, quid consilii expediat, ducturus imparatos adversus iam inferentem signa hostem, quamve ferat opem temere adductis suis in ultimum discrimen, oppressi angustiis temporis exspectabant. Iam ortus pallor, ab exitii metu, cuius horribilis facies ob oculos obversabatur, terrorem frustra dissimulantium prodebat, stupore animis haerentibus, quos salutis desperatio occupaverat. Nullum enim fortuna locum ad receptum, undique circumspicientibus ostentabat, cum maiore ex parte inermibus, tum, quae arma numquam viros fortes deficiunt, fiducia, et praesentia animi destitutis, quam quidem, unde abesse maxime par erat, in imbellium caede, quibus semper iusta etiam hostis ira pepercit, et innoxiorum hominum suppliciis exhausissent. Iam quidem apparebat suas aestimantibus, et hostium vires, sed sero, et nullo cum usu, quam longe distaret vera virtus a stolida ferocia, atque inani iactantia verborum: Nam illa semper et pace, et bello invicta: huius vis omnis, ubi faciendum virium periculum est, in acie concinentibus signis, et hostibus clamorem tollentibus, raro non fracta, et debilitate languens. Itaque intuentibus exsanguia ora e propinquo horrentium imminens fatum, facile praesagire licebat, ubi duae acies concurrerent, qui pugnae esset exitus futurus. Nullus clamor, qui alacritatem suis, terrorem hostibus adderet, moribundae voces modo, indices trepidationis, et pavoris, qui in

oculis vultuque exstabat, non pugnam victoriae spe, sed fugam, et caedem, cum nondum essent cum hoste congressi, meditantium. Subibat, qua peste carere non poterant, alte haerens animo scelerum conscientia, brevi expiandorum horrendis suppliciis, tum inexpiabile victorum odium, qui tot suorum immanes caedes, tot obiecta miseris funera, tot innocentium hominum strages, incendia, depopulationes ulcisce rentur. Iam exciderant minae, et ardor ille animorum elanguerat, quem restinguere non potuisset effusus multorum innoxius sanguis; iam torpebant vires, validae numquam suo robore, sed hostium in quos saevirent, imbecillitate, multo maiore cum usu integrae in acie adversus armatum hostem servandae. Contra apud Scepusianos laeta omnia; spei plenus miles, et qui ultro posceret pugnae signum, non pavidus exspectaret, et virtute pariter, et numero fidens: dux cum sui fiducia, et suorum, tum pavore hostium, et trepidatione de victoria securus; ingens in omnibus ardor; consilium viribus, vires munitae consilio; ut et servaretur ratio et disciplina rei militaris, et nullus temeritati locus relinqueretur, tamquam cum fortissimo milite esset ineunda pugna, non cum territo, et prius victo conscientia scelerum, quam hostium armis. Omnis Georgii spes in eo posita, si omni damnata mora, praevertens belli famam gerenda re, perculsos subito armorum impetu adoriretur: quod consilium haud dubie omnibus praeferendum, aviditas praedae corruperat, et tetra libido hauriendi inimicorum sanguinem, quae res longioris morae caussa fuerat, omnem spem victoriae in una celeritate positam habentibus. Erat vero nemini dubium, quin si recta Budam exercitum duceret, attonitis omnibus miraculo rei, et aegre bell

consilia expedientibus, fuerit aliquid operae pretii facturus. Nam praeda, et direptio, unus militi expetendus partae iam victoriae fructus, saepe infelix ante tempus praecepta fuit: consequi enim, non praecurrere victoriam debet, qua parta, miles securus animo potiatur praeda. Numquam ille vero haud satis spatii futurum adversariis ad militem cogendum arbitratus, de victoria dubitavit, malo ille quidem consilio, et minime ex callidi, et prudentis ducis instituto: qui quidem in dubiis rebus, ubi rerum, et temporis ratio plura speranda, quam timenda ostendit, quam minimum fortunae faventi multis credit. atque adversus ea mala, quae quam longissime, et prolixe pollicenti abesse credantur, tamquam adversus praesentia se munit, et tutum reddit. Namque nihil verius, quam nimiam securitatem, in futurum consulenti saepissime obfuisse; plus aequo dubitasse de fortunae inconstantia, nemini umquam fraudi fuisse, id quod saepius quam expediat hominum rebus est animadversum, in iis quae casus, et fortuna moderatur. Ergo cum contra, atque ipse existimasset, ultro adversarios occurrere armatos, et adoriri se suis locis animadverteret, fiduciae caussam ex conscientia maiorum virium, atque ex hostium contemptione suspicatus, deplorata victoriae spe (quod unum victum manebat decus) laudem petere invicti a malis animi, honesta morte constituit, habiturus insignis victoriae loco, si ereptam vitam hosti in suam perniciem inhianti, a cruciatu, et contumelia vindicaret. Quae virtus si aeque in milite, atque in duceexstitisset, insigni clade,eius diei erat victoria Scepusio statura. Ita fretus Georgius eadem ferocia animi, qua sui impotens ducis sibi nomen, et regiae maiestatis usurpaverat, alacri vultu, et magis audaciae

suae, quam fortunae memor, suos, utcumque consternatos brevi oratione, ut audacter pugnam capessere, et rem gerere impigre vellent adhortatur. Aliquando iis oblatam occasionem, quam tantopere pridem optassent, precibus votisque omnibus expetiissent, de infestissimis hostibus poenas exigendi. Dandam operam pro suorum libertate pugnantibus, ut, quam hactenus ferociam, in contuberniis suas iactando, hostium vires deprimendo, magnificis verbis, et multis ostentassent, ea ne videretur, inter verba effluxisse, in acie, ubi maxime expetenda esset, desideraretur. In aliis omnibus pares adversariis, eiusdem originis, et gentis: superiores tum caussa, tum viribus esse; quae si in crudelem hostem intenderentur primo congressu, iactantes superbos nobilitatis titulos, quae eorum essent arma, tota acie fusuros. Auderent feminas viri contemnere; fortes, inertes, et molles, fortunae alumnos, ventoso nobilitatis nomine tumentes, vera virtute homines freti adoriri, cui numquam non fortuna immensis etiam exercitibus, et classibus circumsepta cessisset. Adesse tempus, ut eam patriae operam, coniugibus, liberis, navarent, quam saepe adhortanti polliciti essent, quorum preces, lacrymae, obtestationes, supplicantium vota si menti obversarentur, haud possent dubitare, quin arma inania omnia essent futura, quae sceleratorum pectora adversus vim atque impetum una virtute initentium armarent. Irent deo immortali bene iuvante, libertatis suorum vindices, adversus ereptores, ultores patriae adversus oppressores; pro iustissima caussa, pro legibus, patriis institutis, adversus immanissimos, atque importunissimos hostes pugnaturi. Ne plura diceret, prohibuit advenientium equitum

clamor, qui iam iam affuturi ad portas, atque impetum in castra facturi nunciabantur. Ita omnes se sequi, contento cursu, atque ire obviam hosti iubet, quid suos facere aequum esset, non se speciosis verbis, sed fortibus factis moniturum. Erat turmae Scepusianae praefectus Petrus Petrovitius genere Croata, quem eximia virtus ad honestiores militiae ordines provexerat, quemque aliquot post annis ob singularem fidei, et sapientiae opinionem Ioannes rex in interiorem amicitiam acceptum testamento filii tutorem instituit, eundem secum sanguinis necessitudine coniunctum. Is Georgium exsultantem ferocia, atque in se acrius irruentem, cum in eum, quam concitatissimo cursu infestus equum admisisset, hastae cuspide in femur adacta, fibulis, qua femori thorax aptatur, laxius oras adstringentibus, equo saucium deturbavit, ac suis vinciendum, asservandumque tradidit, insignis cum temeritatis, atque audaciae, tum verae virtutis, atque animi magnitudinis posteris proditurum exemplum. Dicitur quidem ex ingenti armorum acervo, quae multa ex incensis, ac direptis nobilium arcibus eodem coacervaverat: quae temere sors obtulisset quamquam illa minus apta induisse, equitatu hostium, qui iam in portis erat delectum adimente. Id postea versum in religionem est, tamquam numine vim mentis, et consilii scelerato homini illius maxime necessario tempore adimente, quo citius praeceps in exitium ruens eorum scelerum penderet poenas, quibus se suosque contaminasset. Quis vero prudens belli dux non solum, cum est committendum proelium, quo tempore adversus armatum hostem sunt necessaria arma, sed ubi etiam hostis longe abest, memor, quam varii immineant casus magna gerentibus bella, cum

adversus alia quae foris a fortuna impendent, tum adversus suorum coitiones, et occulta consilia, non sese muniat armis? Haud dubia inde Scepusianis victoria, hinc cum universis copiis imperatore adventante, hinc, rusticis, duce amisso, pavidis impendentis exitii metu, ad preces confugientibus, minime tamen miseris profuturas, qui sibi ipsi omnem veniae spem, multa avare et crudeliter in nobilitatem admittendo praecidissent. Itaque ad terrorem sua sponte fractis inferendum imperator, vetitis militibus quemquam vivum capere, interfici omnes ad unum iubet. Hinc tanta edita strages, quantam edi in semiermes ab armatis iisdem, et avidissimis caedis, verisimile est. Temperatum ab iis modo, quibus necandis, aut non suffecit rem gerenti dies, aut fessae vires iratum victorem defecerunt, qui ita tamen victis pepercit, ut ad graviora, et taetriora supplicia reservatis licuerit iis invidere, qui honesta morte functi in acie cecidissent: neque enim in eo proelio caussa magis, quae raro est prima ferro in acie pugnanti, quam odio certatum est, quo efferati victorum animi, in hostium caede victoriae fructum constitutum, et pietatis laudem maximam positam credebant. „Raro quidem in mitissimis etiam ingeniis crudelitas a victoria abest, in civilibus bellis praesertim, in quibus non de bellica gloria, aut de imperii finibus, sed de partium exitio dimicatur", ut ne in ducis quidem potestate sit a caede in victos temperare, ex qua unicum solatium victor miles quaerit. Augebant odium saevientium, memoria repetita eorum immania facinora in quos saeviebant, quae numquam non maioribus suppliciis expiantur, ubi eorum magnitudine misericordiae fontes animis exaruerunt. De Georgio mox, a duce, de more consilio

advocato, consultari coeptum: quem, ne per omnia suppliciorum genera excarnificatus. scelerum poenas persolueret, ea ipsa scelerum magnitudo adiuvabat: vix credentibus, quorum erant placabiliora ingenia, ubi, pro eorum magnitudine esset supplicio afficiendus, sese quamdiu essent, humanitatis suae memores, par supplicium posse excogitare; ut in constituenda in scleratum poena, non homini omnium mortalium teterrimo, sed sibi parcere videri vellent. Itaque iam inclinantibus in leniorem sententiam, qui praecipui ex nobilitate aderant, quorumque erat maior in consilio auctoritas, hoc enimvero minime ferendum, dicere, ut cuius impium, et sceleratum animum, nulla supplicia expiare possent, quamquam nova, atque inaudita, is per leve supplicii genus, maleficiorum poena defungeretur, quibus excogitandis tyrannorum omnium crudelitatem saevitiamque superasset. Teterrimum monstrum, belluam immanissimam, quae adeo truculentum, atque importunum ingenium diu sub hominis forma occultasset, novo supplicii genere afficiendum, obiiciendum feris ad pastum, dilacerandum, dilaniandumque adeo: qui temerario incepto regium nomen sibi sumere, tantae intra homines maiestatis, incitare innoxiam multitudinem ad arma, contaminare maleficio, et scelere, ne locus resipiscentibus ad sanitatem relinqueretur, latrociniis, incendiis, direptionibus vastare, atque evertere regni provincias nobilissimas esset ausus, quibus saepe hostis Turca pepercisset, quem in Christianos homines insitum odium, et regnandi immanis cupiditas concitaret. Quae cum ab omnibus fere certatim iactarentur, non oratione minus, quam animo infesti, supplicium, quod sua sponte acerbissimum videri posset, ubi eo etiam momento temporis defungeretur, augendum sibi statuunt longioris temporis mora. Regis clarissimum insigne, quod

homo amens temerario, et praecipiti consilio regio nomine oblato usurpaverat, coronam e ferro candentem capiti imponunt, ut contumelia, et ludibrio gravius malum, barbarum, superbo hominem ingenio, vehementius torqueat quousque ignis saeviens vis capitis ambientia per ingentes cruciatus populata ad interiora perveniens tostum, ustumque conficiat. Ita de illo sumptum supplicium Tubero tradit, qui fere cum aliis omnibus convenit. Illum quidem tam immani ferendo supplicio tanta animi praesentia fuisse, ut ne gemitum quidem semel edere auditus sit, qui victi dolore animi, index esset: dignum certe hominem ad hunc usque diem Vngari fatentur, qui pro meliore causa pugnaret, quemque tueretur a furore, et scelere invicta virtus impiae mentis, et scelerum potentem, quibus ultra omnem veniae spem se suosque contaminasset. Tum nemo erat, cuius etiam sana mens esset a partium sensu, quin, pro scelerum magnitudine, parum severe animadversum in tam nefarium hominem existimaret: quae enim fert belli vis, quae sua natura insolens, raro novit ullum in saeviendo modum, ferri aequo animo possunt; cum tempori, non hominum ingeniis, ut maxime sint acerba, et non ferenda, tribuantur; incendio absumptae villae, urbes solo aequatae, direpta oppida, arces dirutae, quae pati necesse est aut inferentes, aut illata propulsantes arma: in hoc uno homine ea violata expiabantur, non quae ius belli permittit, cum rem gerentium calent animi in promiscua caede, sed ea, a quibus abhorret hominum natura, non a feris bestiis verenda, non a monstris illis immanibus, quae excogitavit antiquitas apud inferorum impias sedes sceleratorum manibus excruciandis. Commemorabantur, per datam fidem inducti in frau-

dem nobiles homines, mox variis suppliciis, et nusquam antea excogitatis interfecti; lento igni tosti alii, atque vivi exusti, alii exanimati, palis per sedem adactis; vivi alii in terram defossi; medii nonnulli secti, foedo spectaculo etiam hosti Turcae futuri: in his Cianadensium pontifex, atque adeo ut nihil subsidii religio ad leniendum crudelem animum contemptori religionum omnium, materiae plurimum ad ludibrium afferret. Idem enim iudex, idem mox futurus carnifex, ante se stantem et foeditatem supplicii infimis precibus deprecantem, non passus moram supplicio interponi, quae voluptatem praeceptam animo moraretur, clavae ferreae ictu exanimatum ad terram stravit. Nam nobiles virgines permultae, ex his, quae in sacris collegiis pro populo operarentur, tum matronae, lectissimae feminae ferebantur, violato pudore, vulgo prostitutae, ac fanda infandaque passae, ut qui auctores tam tetri supplicii essent, non se crederent in Georgium Zechelum saevire nobilitatis hostem, sed in hostem humani generis, cuius sensum omnem ingeniumque ferarum immanitate assumpta exuisset. Quorum memoria animis recrudescens, ut in homine excruciando minus animum in potestate haberent, humanitatis suae memores, effecit. Nam Iovius, sive ingenio, quod solet morigeratus, immodicus in utramque partem augendis rebus, atque elevandis, sive mutuatus a peritis, id quod Vngari tradunt, multo his foediora addit: Ita quidem si sunt administrata, ut ab illo memoriae prodita leguntur, in eo etiam homine plectendo, in quo uno sceleratorum omnium horrenda coacervata facinora expiarentur, transgressi nobiles humanitatis iura videantur. Iniectis catenis, arcte vinctum, ne ex motu, atque agitatione corporis ratio ulla levandi do-

loris superesset, cum excruciantium odium, miserandum in modum, artubus membrisque omnibus excarnificato, omne solatii genus negaret, inde nudum in equuleum coniectum, capite corona ferrea igni candente redimito, ad poenae atrocitatem ut dictum est, ludibrio adiecto. Mox quamdiu visum, capite deusto, cum vererentur, ne per celerem mortem graviori supplicio eriperetur, incisis venis, ex his profluentem sanguinem Lucam fratrem sugere vi tormentorum coactum, nequidquam clamante Georgio, et vociferante, abesse a scelere fratrem, quod quidem, etiam si haud ab eo falso tortoribus obiiciebatur, dicenti et quiritanti tamen fidem abrogabat verisimilis coniectura, tamquam excogitatum mendacium ad fratrem poena levandum. Ex his, qui capita seditionis fuisse, et munere aliquo militiae functi dicerentur, tum quorum furor, atque amentia in scelere eminebat, circiter viginti, per trium dierum inediam aestuantes edendi cupiditate, anhelantia membra morientis lacerare morsu, mandere infelicem escam coactos, quae destinatos exsecrando supplicio aleret, natura ad tam dirum, atque immane facinus reclamante. Hinc fessis tortoribus Georgio cruciando, eo cruciatus perferendo fesso, tandem victum pertinax odium, ac vix per tot crudelitatis exempla restinctum torquentium animis, naturae cessisse. Mox in mortuum saevitum: cadavere visceribus avulsis, frustratim dissecto tabo, et sanguine fluentia membra verubus tosta, semicoctos artus, iis mandendos obiectos, quorum usus opera infelici bello esset, quo tamquam funebri epulo inviti, et refugientes expleti, mortui ducis manibus parentarent. Ita satiatos detestandis mensis, atque perpessos omnia tormentorum, et cruciatuum genera

interfectos. Dum ea ad hunc modum a regiis geruntur: parte regni alia Ioannes Bornemissa, quem hominem virtutis ergo ex humili fortuna Tolnae natum Ladislaus ad honestiores militiae ordines promoverat, sive sua sponte, ut gratius officium regi esset, ultro susceptum reipublicae difficillimo tempore; sive regiis litteris evocatus, quingentis quibus praeerat secum equitibus assumptis ad Budam Danubium transmisit, ac Pesti consedit. Coierat per eadem tempora in Pestanum agrum agrestium ingens multitudo, qui ad primam belli famam iisdem de caussis, quae supra a nobis commemoratae sunt, ierant ad arma. Iis praeerat Ambrosius quidam Salerius, in perdita caussa haud plane improbus, id quod docuit eventus. Cum eo Bornemissa astu magis et consilio quam vi aperta agendum arbitratus (non enim erat par futurus, ubi cum viribus vires essent conferendae) equitibus in oppidum receptis, certum e suis hominem, cuius habebat perspectam fidem, ad Ambrosium cum mandatis mittit, non desperans per obiectam spem impunitatis, ubi resipisceret, atque a scelere revocaret animum ad sanitatem revocatum regi conciliaturum. Summa haec mandatorum: Se a rege missum, ut cum eo de communibus rebus colloqueretur, quibus expositis, quam diu rex spem veniae resipiscentibus faceret, hortaretur, si saperet improbatis sceleratorum hominum consiliis, se regis, et nobilitatis caussae adiungeret, quam quidem ius, fas, et religio tueretur: certo quidem scire se eo animo illum esse, ut quae honesta sibi esse, quaeque conducere publicis rationibus, privatisque suis intelligeret, ut deceret civem patriae amantem, et sui officii memorem, facile esset sibi persuaderi passurus. Minime vero regem veritum, ne

parum memor suae maiestatis, aut iuris videretur, si cum iis lenius ageret, a quibus esset, per apertam defectionem in se tam nefarium scelus admissum. Nullus in eum posse tam tetra esse, atque immania facinora, quibus non illius lenitas, et clementia esset maior. Mirari enimvero, cum suae facilitatis, atque indulgentiae iam pridem documenta multa in Vngaros dedisset, inventos qui ea vi, atque armis extorquere conarentur, quae nullo negotio a rege profusissimo iuvandis, sublevandisque suis sperarent se consecuturos. Esse autem, quae a suis, ni tanto infra suam dignitatem maiestatemque esset, rex percunctari vellet: quae secedendi illis caussa fuisset, quae deficiendi a rege, quem secundum deum parentem omnium coli a suis summa pietate, sanctimoniaque aequum esset, cuiusque una certa cura haberetur, communis omnium salus, pax, otium, libertas? Quo vero auctore ausos per speciem religionis, quo exsecrabile magis facinus, et detestabile videretur patriae impia arma inferre? in communem parentem omnium, tamquam in sua viscera ferrum intorquere, cui omnia quae in vita essent expetenda, salutem, libertatem, vitam deberent? potuisse inducere animum, ut patriam peterent infestis signis, hostilem in modum vastando depopulandoque urerent, quorum armis esset usura adversus Turcam Vngaris inferentem bellum? quamnam audaciam, quam amentiam fuisse, quem furorem, quod scelus tantum, ut eo inconsulto, quem regem et agnoscerent, et venerarentur, occulta consilia inire, hominum coitionem facere, non prius indicere, quam gerere bellum auderent? certa servari iura cum externo hoste: quanto aequius, si qua occasio civilis tumultus exoriretur, adiri regem, moneri apud eum

ex legum, et iuris praescriptione, ut otii, et pacis amantes cives deceret, de communibus controversiis disceptari? Cur illi vero, si quid haberent, quod de nobilitate quererentur, non summo iure apud eum experiri, cuius esset in suos summum ius, lenitas, atque indulgentia par, quam certare armis mallent? Cur diffiderent, nisi iusta modo in speciem caussa, furorem, atque amentiam non ferendam praetexeret, suum se ius apud regem aequissimum positis armis, quae indicarent feroces, et contumaces animos, legibus et moribus obtinere? Esse sanctius regum consilium, in quo summae prudentiae, et consilii homines, iis consulentibus decernerent de publicis rebus, patres e pontificum collegio, regni principes, Vngariae lumina, quorum auctoritate, legitimo iure indictis comitiis, de componendis communibus controversiis ageretur? Non esse Ladislaum unis principibus modo regem creatum, non nobilitati, non ulli praecipuo ordini, quem eximium haberet; sed universis populis, et nationibus, quicumque in Vngariae regno longe lateque continerentur. In honore mandando, cum de eo esset inter virum principem, et de plebe hominem, instituta contentio, nullum esse discrimen, ubi illud tolleret splendens in obscuro, et infimo homine illustris virtus; in nato summo loco, insigne, aut flagitium, aut scelus: ut si virtus excellens extolleret infimum hominem ad summum gradum; nequitia in excelso positum deturbaret, semper virtus obscura (si obscura modo umquam esse posset) nequitiae, quae generis splendore esset insignis ad infamiam, anteferretur. In eadem iuris aequabilitate eandem omnium, pro cuiusque merito rationem habendam, ut sutor veteramentarius, ubi eum insignis virtus commendaret

haud deteriore conditione esse deberet, quam qui positus esset principi loco, et summum gradum honoris, et gratiae apud regem obtineret. Nihil umquam a rege commissum omnium suae aetatis clementissimo, ac miti, et placabili ingenio, quare Vngari ab eo alienati per apertam vim regni ruinam, atque exitium molirentur. Sed quando quae facta essent, fieri infecta non possent: permittere iis regem, utrum mallent, sive sua sponte ad sanitatem redire, accepta fide, quod a rege defecissent, multa in deum, et in homines scelerate admisissent, fore se dedentibus impune; sive, nulla cum veniae spe, de communi iure armis disceptare, quod obtinere summa cum regis, atque omnium ordinum voluntate, qui furentium mos, et ferarum esset inermibus liceret. Intelligere se, plurimum imminui suam dignitatem, quod mitius cum iis ageret, quam aut regii imperii maiestas, aut eorum amentia postularet, sed non posse a se impetrare, ut discederet a vetere superioris vitae instituto, severius cum suis agendo, quorum salutem non prius negligere, quam suam posset. Itaque quorum esset sana mens a sceleris labe, tametsi regis laesae maiestatis convicti ultimum essent supplicium promeriti, iubere eos extemplo facessere ab eorum coetu, a quorum scelere abessent: id si facere animum inducerent, quod illos facturos speraret, cuperet certe, a sceleris illos poena quoque abfuturos. Nam quorum animi obfirmati adversus sana consilia essent, eos brevi intellecturos, neque consilium regi, neque animum, et vires ad sceleratorum hominum audaciam, atque impetum reprimendum defuisse. His Ambrosius auditis, quae, ut vere Bornemissa non haberet in mandatis, facta coniectura de Ladislai ingenio, vere habere poterat videri, communi-

cato cum suis consilio, magna cum eorum manu, quibus praeerat, in partes regis transiit, cum non deessent in magno numero, qui desperato eo rerum eventu, quem sibi animis spoponderant, tutiora turbulentis consiliis praeferrent: verisimile est Ambrosium, sive sua sponte exsecratum animo tam atrox scelus, nondum plane odio depravato, sive delinitum Bornemissae oratione facile in optima caussa diserti, regi se conciliari passum, cum praesertim virium conscius minime dubitaret, quin, si esset cum regiis confligendum, minime dubius eventus proelium consequeretur. Nam id percrebuerat, consulto ad id ipsum dissipata fama, Bornemissam cum ingenti militum manu in oppidum receptum. Quod quidem ubi etiam fama tantum vulgatum crederent, ratio tamen suadebat, in magno armorum motu, missam ad belli tumultum sedandum, hostium copiis parem militum manum, cum praesertim in magno rerum discrimine tum regis dignitas, tum publica salus versaretur. Non enim creditur, ubi de summa rerum proelio decernendum sit, temere aleam iaci, et obiici inferiorem viribus superiori ad caedem. Nam, ut Bornemissae fidem haberent, illud etiam faciebat, popularem hominem, et suo, non splendore natalium nitentem, creditum tacito naturae instinctu suorum magis, quam nobilitatis caussae favere: ita vero delectum, qui rem adversus suos gereret, ut appareret, separatam regis caussam, a principum caussa habere multis nominibus nobilitati parum aequi. Accedebat et illud homini a natura insitum, ut in dubiis rebus, quidquid quantumvis leve praeferat timoris umbram, in deterius accipiatur, eoque trahat prava opinione imbutum animum, non quo certa ratio, sed quo obiectus error

nutanti atque haesitanti inclinat. Malus vero animus vates, ad credenda quae deteriora sint, et quae quis minus velit fere semper praeceps fertur. Vnde vero Bornemissae animi ortam tantam fiduciam existimarent, ut, mali metu iniecto, deterrere ab incepto armatos homines auderet, nisi misso a rege explorata esset victoriae spes? quae quidem quam firma erat futura, ubi, euntem adversus multitudinem armatam, non valida equitum, et peditum manus, ac par militum numero belli apparatus sequeretur? Neque cuiquam magis poterat probabile videri, sua sponte illum, et privato consilio sumptis armis leges praescribere gerentibus arma, invitare ad deditionem, spem veniae facere audere. Igitur per alterius partis secessionem, alterius viribus, quod necesse erat, debilitatis, ea pars, quam caussae aequitas, et ius tuebatur, cum ventum ad arma, et proelium commissum esset, Bornemissa eodem tempore, cum regio equitatu ex oppido erumpente, atque in trepidantes, et fluctuantes inferente signa, superior fuit. Magna inde, calentibus utrimque odio animis, e suorum discidio, edita caedes in perculsos, et perturbatos, nullo duce certo, qui territos sua sponte ad rem impigre gerendam excitaret, qui iam cum meliore copiarum parte, ad regem transisset. Ita vix primam impressionem sustinentes, terga verterunt, desperata salute, cuius oblatam certam spem, pertinaci odio obstinatis animis, abiecissent. Inde qua praecipiti fuga elatis spes effugii patebat, non uno defuncti mortis genere, ad unum fere interiere. Haec res ita feliciter, atque ex sententia administrata, magno honori apud regem Bornemissae, atque apud nobilitatem fuit, id quod alii etiam testantur, quos sumus auctores secuti. Nam et habuisse

rationem suae humanitatis, et morigeratus regis ingenio ad misericordiam proclivis, simul id quod erat agendum, consuluisse regni otio videbatur, callido commento ille quidem, sed cum nullius fraude reipublicae salutari, conservata multitudine innoxia, quae inducta in fraudem a seditiosis, et turbulentis hominibus per speciem recuperandae libertatis in sui certam perniciem, et pestem esset rapta. Quae dum ad Pestum geruntur; in Colocensi agro, iam longe lateque belli flamma pervadente, concitata multitudo, duce Antonio Longo seditioso, et nefario homine, cum multa hostiliter agendo infesta circa omnia fecisset; oppressa a regiis disiectaque est. De Longo cum vivus in potestatem venisset, Budae supplicium est sumptum. Iam tot cladibus a victoribus multitudini illatis, cum neque iis trepidis animus, neque amissis amentiae ducibus, incertis consilii spes salutis ulla superesset, principes, magna concepta spe, ubi paullulum adniterentur, tantae pestis ex Vngaria delendae, undique armati ad persequendas belli reliquias iam sua sponte senescentis, incitantur. Ita, magno successu, cum nulla esset certa manus, quae occurreret armatis, brevi interfectis aliis, aliis dissipatis, et disiectis; vix passi a se impetrari ut in puerorum, et mulierum imbellem turbam non stringerent ferrum, nullos sibi reliquos fecerunt, quorum exitio sitientes animos, ad invidiam usque, miserorum sanguinem, in quo quidem, per tot hominum supplicia, et caedes volutati essent, exsatiarent. Duo adhuc erant in armis, qui se duces multitudinis ferrent, Martinus, et Laurentius (cognomina non feruntur) quorum supra mentionem fecimus egentes homines, et qui, propter edita multa tetra in nobilitatem facinora, haud dubitabant, quin, ubi vivi

venirent in potestatem, dignas iis scelere persoluerent poenas, quibus nullo genere supplicii se satisfacere posse sperarent. Horum alter initio tumultus in Agriensi, in Varadinensi agro alter, spe praedae multitudine traducta in sententiam, magnis nobilitatem cladibus affecerat: mox cum, languentibus partium studiis, ob rem male ad Tibiscum gestam, nobilitatis se praedam futuros non ignorarent, ubi infelicibus auspiciis ingressi in caussam, pergerent pertinacius susceptam tueri, sive defuncti mutua caede, quod nonnulli tradunt, sive per noctis tenebras digressi quo facilius captata fuga, custodias fallerent, quibus erant circumsepti, se magnitudini suppliciorum, quae nondum in Georgio excruciando laesa nobilitas absumpsisset, subduxerunt. Augebat hominum invidiam violata ab illis religio, cum uterque sacerdotio functus, damnato vitae instituto, cui se devovisset, a sceleratis armis, militiae initium fecisset, prius impii, et scelerati in deum, a cuius cultu defecissent, quam crudeles, atque immanes in homines; ne quis dubitaret quin facile ad quodvis facinus possent impelli, qui se periurio, et scelere in deum, omni maleficiorum genere in homines obstrinxissent. Cum vero alia eorum facinora commemorabantur, quae per se atrocia, et nefanda, sacra persona, quam gerebant, exsecrabiliora efficiebat, tum unum maxime crudelitate, ut barbara diritate insigne. Captum enim Nicolaum Solohominum praecipuae hominem nobilitatis, et cum eo tres fratres, viros lectissimos, foedissimum in modum, prius direptis, atque incensis eorum aedibus mactaverant, in una morte multas coactos experiri, amissis domesticis copiis, et maiorum nobilitatis monumentis, ut adhuc viventes suorum malorum spectatores, acerbiorem doloris sensum haurirent. Hunc finem habuit, ut

inconsulte, et temere susceptum, ita infeliciter gestum a rustica plebe, adversus nobilitatem bellum, memorabile semper posteritati futurum, cum ob alia, quae supra sunt commemorata, tum ob innumerabilem secutam hominum caedem, qui si diuturno bello, non eo, quod vix ortum, oppressum extinctumque est (quarto enim mense est debellatum) desiderati essent, potuerit Vngarici regni iactura insignis, in omni consequenti aetate haberi. Auctor quidem est Ioannes Cuspinianus gravis magis quam disertus scriptor, cum Maximiliani Caesaris legatus eodem anno in Budensi conventu interfuisset, inito numero eorum, qui eo bello occidissent LXX hominum millia desiderata esse, in his, qui ex amplis familiis essent nati, quadringentos. Idem affirmat, quod iam supra commemoravimus, fuisse eorum consilium, deleta nobilitate, atque eorum bonis per agros viritim distributis, e quatuordecim pontificiis sedibus, ut vocant Vngari, ceteris pontificibus abdicare coactis, unicam dioecesim constituere; cuius qui esset administrator, sacris, et religionibus procurandis universo regno praeesset; cetera sacerdotia, quorum essent peropulenta vectigalia in proemium iis cederent, quorum praeclara opera bello gerendo exstitisset. Rem, ut a nobis exposita est, adversus rusticos gestam Tubero tradit, quem sumus secuti auctorem, id quod videri vult, unius suae fidei, usque ad offensionem, memorem in scribendo. Ita quidem nemini addictus promiscue in omnes stili aculeum distringit, ut non summis regibus, non principibus populis, non Romanis pontificibus parcat, quos unos ipse sacerdotio praeditus, tristis, ac severus censor durissime, atque acerbissime insectatur. Iovius variato rerum, ac temporum

ordine, multa quae a rerum serie minus potuit, mutuatus ab ingenio litteris prodidit: cum ob eas causas, quas a principio commemoravimus, effusa agri multitudo, magno undique concursu ad Pestum urbem confluxisset: inde, ut fit, horum accumulatione atque exemplo audacia et licentia aucta, popularium ingentem manum, cum alii alios ad bellum excitarent armatam coisse. Nihil autem fuisse facilius, quam fame atque egestate confectos, a cultura agrorum avocari ita ingentibus laboribus perfunctos, ut necessario victu fraudarentur, laborum suorum fructum ii referrent, qui ab his quam longissime abessent, fortunati homines miserorum aerumnis. Mox, ut diximus, cognitis per hominum coitionem suis viribus, quae diductae distractaeque laterent, coepisse impune in principum fortunas insultare, diripere oppida, arces igni, ferro omnia vastare, multo acerbiores reponendis iis malis, quae passi essent (quod in ulciscenda iniuria passim fieri animadvertimus) quam ii fuerant inferendis, a quibus praecepta crudelitatis hausissent. Cum in dies maiore licentia, atque impunitate arma circumferentes magnum nobilitati metum iniecissent, praeter suam exspectationem, repente pernicioso bello oppressae: principum adhortationibus precibusque motum Thomam cardinalem, quem in speciem ostentata hominum religio in fraudem induxisset; per aquae et ignis interdictionem recipi cuiusquam nomen, cuius ipse non esset auctor, vetuisse. Ad novi edicti famam honestos homines nonnullos, quos unum pietatis studium armasset, exsecratos sceleratae militiae infamiam, quae religionis falso titulo, in patriae perniciem a nefariis hominibus obduceretur, et arma simul, et, quo illa honestabantur, cruda

insigne, Ambrosio principe, cuius supra meminimus, uno e multitudinis ducibus posuisse. Alios, quibus insigne sacrum, latebra hostilis odii esset, quo in nobilitatem flagrabant; contumaces animos adversus legati obnunciationem retinentes, multo maiore, quam antea audacia, populari agros, publica iuxta et privata loca, sacra, profana omnia nullo discrimine diripere, scelere simul imbutis animis, perrexisse, tamquam contempta legati censura, nihil superesset sceleratis hominibus timendum. Non in eo scelus hominum constitisse. Ne inauspicatum, quod animis agitarent, gererent bellum, Georgium Zechelium qui cum summa potestate praeesset, ducem eundem, imperatorem, regem, quo maiore cum auctoritate rem gereret, sibi, magno consensu delegisse: quasi per adeo nefariam coitionem non satis peccatum esset, ad tam dirum facinus ingenti sceleris accessione quaesita. Eum, copiis divisis, quo in plures partes effusa belli vis, simul maiorem terrorem nobilitati inferret, simul suis praedae maiorem spem faceret, locupletium pagos, arcesque diripientibus, copiarum parte alia Lucae fratri attributa, validiorem ipsum, et in qua quidquid esset roboris haberetur, assumpsisse. His instructum copiis ad imperitos fallendos, crucis insigni praelato, spe praedae opimae illectum Varadinum duxisse: in itinere quoscumque e nobilitate fortuna obiecisset, quod iam commemoravimus, interficiendos, odii feritate in nullo supplicii genere inveniente modum, dilacerandosque curasse: ad mortis acerbitatem contumelia adiecta matronarum, atque ingenuorum pudore per infinitam licentiam violando. Qui Varadini in praesidio essent, sub agrestium adventum, qui ab effusa populatione infestius se invehentes prohiberent, misisse

ordine, multa quae a rerum serie minus potuit, mutuatus ab ingenio litteris prodidit: cum ob eas causas, quas a principio commemoravimus, effusa agris multitudo, magno undique concursu ad Pestum urbem confluxisset: inde, ut fit, horum aemulatione atque exemplo audacia et licentia aucta, popularium ingentem manum, cum alii alios ad bellum excitarent, armatam coisse. Nihil autem fuisse facilius, quam fame atque egestate confectos, a cultura agrorum avocari ita ingentibus laboribus perfunctos, ut necessario victu fraudarentur, laborum suorum fructum ii referrent, qui ab his quam longissime abessent, fortunati homines miserorum aerumnis. Mox, ut diximus, cognitis per hominum coitionem suis viribus, quae diductae distractaeque laterent, coepisse impune in principum fortunas insultare, diripere oppida, arces igni, ferro omnia vastare, multo acerbiores reponendis iis malis, quae passi essent (quod in ulciscenda iniuria passim fieri animadvertimus) quam ii fuerant inferendis, a quibus praecepta crudelitatis hausissent. Cum in dies maiore licentia, atque impunitate arma circumferentes magnum nobilitati metum iniecissent, praeter suam exspectationem, repente pernicioso bello oppressae: principum adhortationibus precibusque motum Thomam cardinalem, quem in speciem ostentata hominum religio in fraudem induxisset; per aquae et ignis interdictionem recipi cuiusquam nomen, cuius ipse non esset auctor, vetuisse. Ad novi edicti famam honestos homines nonnullos, quos unum pietatis studium armasset, exsecratos sceleratae militiae infamiam, quae religionis falso titulo, in patriae perniciem a nefariis hominibus obduceretur, et arma simul, et, quo illa honestabantur, crucis

signe, Ambrosio principe, cuius supra meminimus, no e multitudinis ducibus posuisse. Alios, quibus ingne sacrum, latebra hostilis odii esset, quo in nolitatem flagrabant; contumaces animos adversus leati obnunciationem retinentes, multo maiore, quam ntea audacia, populari agros, publica iuxta et prista loca, sacra, profana omnia nullo discrimine dipere, scelere simul imbutis animis, perrexisse, tamiam contempta legati censura, nihil superesset sceratis hominibus timendum. Non in eo scelus homium constitisse. Ne inauspicatum, quod animis agitarent, rerent bellum, Georgium Zechelium qui cum summa testate praeesset, ducem eundem, imperatorem, rem, quo maiore cum auctoritate rem gereret, sibi, agno consensu delegisse: quasi per adeo nefariam itionem non satis peccatum esset, ad tam dirum fanus ingenti sceleris accessione quaesita. Eum, coia divisis, quo in plures partes effusa belli vis, siul maiorem terrorem nobilitati inferret, simul suis aedae maiorem spem faceret, locupletium pagos, cesque diripientibus, copiarum parte alia Lucae fra- attributa, validiorem ipsum, et in qua quidquid est roboris haberetur, assumpsisse. His instructum piis ad imperitos fallendos, crucis insigni praelato, e praedae opimae illectum Varadinum duxisse: in nere quoscumque e nobilitate fortuna obiecisset, iod iam commemoravimus, interficiendos, odii ferita- in nullo supplicii genere inveniente modum, dilacendosque curasse: ad mortis acerbitatem contumelia iecta matronarum, atque ingenuorum pudore per initam licentiam violando. Qui Varadini in praesidio sent, sub agrestium adventum, qui ab effusa popuione infestius se invehentes prohiberent, misisse

equitatum: inde equestri proelio commisso, male gesta re, perculsos equites, multis e suis amissis, sese recipere in oppidum coactos. Ladislaum sero experrectum, quem nihil minus exspectantem subito tanti belli moles oppressisset, cum neque ineundi, neque explicandi consilii ulla ratio occurreret, territum improviso malo, milites e praesidiis eductos, qui permulti in Vngariae finibus regni provincias, quos comitatus vocant, a Turcarum excursionibus tuebantur ad signa convenire, ad certam diem iussisse, eodem tempore missis legatis ad Sigismundum fratrem, ad Maximilianum Caesarem, ad Germanos, Boemos, Moravos, qui partim opem auxiliumque implorarent, partim voluntarios mercede conducerent, quorum opera, diffisus praesentibus suis viribus, ad bellum uteretur. Quarum in rerum apparatu, dum rex occupatus esset, Georgium elatum successu, copiis Cianadum adductis, quo, territi metu oppidani citius deditionem facerent, milites aedificiis ignes subiicere iussisse, quae fere, ut in suburbiis solet, congesta temere e silvis materia, erant exstructa: tetro, atque immani consilio eventum respondisse: oppidanos simul, et quem unum maxime odisset, Cianadiensium pontificem vivum, eodem incendio absumptos, ne qua effugiendi facultas relinqueretur, undique veprium, et virgultorum exstructa congerie qua oppido circumvallato, exitu inclusi prohiberentur. Nondum exorto incendio, Cianadiensem episcopum cum imminens sibi a barbaro homine exitium animo horreret, ex iis coniectura facta quae ad eum diem adversus sui ordinis homines administrata essent, clam oppido egressum in vicinas silvas quaesisse receptum praecipiti fuga, haud satis tutum futurum se a sceleratorum hominum consiliis ratum, nisi

inclusus ferarum latebris, induceret in animum, et famem, et omnia alia extrema pati. Ita cum hinc late effusa flamma, hinc milites qui per stationes dispositi, attentissima cura exitus omnes ingressusque observarent, fugam miseris interclusissent, ancipiti malo, aut ferro, aut igni circumventos interiisse. Ad tantum editum facinus, barbaram immanitatem accessisse, et raro auditam superioribus saeculis Cianadiensi excruciando, cum quidem non religio, non pontificius honor, non amplitudo sacerdotii, flectere, atque emollire obduratos in scelere possent animos, miserum retractum ex fuga, palo per adversam sedem, in humeros inserto, multis antea laceratum probris, et clavae ferreae ictu exanimatum, supplicii genere teterrimo per lentum mortis genus interfectum. Eadem saevitia, quam nulla excogitata in miseros supplicia emolliebant, nullo aetatis discrimine, dignitatis, ordinis, sive insignis honos quem, sive generis splendor, sive religio commendaret, quae omnia apud crudelem, et barbarum animum ad contumeliam valebant, odii poenas a ceteris expetitas, sive acti casu, sive elati fuga, ad nobilitandam teterrimi hominis carnificinam in manus incidissent. Incensam tot malis nobilitatem, quorum nullum apparebat futurum finem, nisi peteretur primo quoque tempore praesidium ab armis, sceleratis hominum inceptis aliquando obviam eundum statuisse, satis gnaros, ubi diutius hoc agere cunctarentur, audacem hominem in totius regni pestem, atque exitium augendo indies vires sumpturum. Ita cum per crebra colloquia, de ratione belli gerendi consultantibus, quantum quisque virium in medium conferret, cognitum esset: Ioannem Bornemissam ad Budam regiis copiis amnem traductis, cum hostium copias, quibus Lucas praeerat Georgii

frater, patenti planitie esset adeptus, transeuntibus ad regem facta veniae spe, magnam militum partem, sive desperato belli eventu, sive conversis animis ad meliora consilia, iis artibus quibus supra demonstratum est, resipiscentium, in potestatem redegisse. Alios quibus insigniora scelera spem veniae ademissent, perterritos defectione suorum, crebris tormentorum ictibus disiectos, regio equitatui, qui ad intercludendam fugam dissipatis itinera obsedisset, caedendos obiecisse: Lucam, nondum inita pugna, cum qui eius eventus futurus esset, haud dubitaret, omnia autem integra ad fugam essent, perpaucis secum adductis, quos consilii conscios haberet, conscenso equo, ad Georgium fratrem incolumem evasisse. Bornemissa cum victore milite Budam regresso, cum in consilio de iis ageretur, qui ad regem transissent, nonnullis censentibus iis datam fidem non servandam, quos ultimi supplicii metus, non religio redire ad sanitatem coegisset, mitiora aliis suadentibus; veniam dari multidini placuisse, de iis modo supplicium sumi, qui aut fuisse defectionis auctores, aut inter ceteros scelerum magnitudine excellere dicerentur. Atque haec quidem Iovius, qui quidem nemini facile hoc persuadet, religione regem adductum, servandam sibi fidem, legum et iuris gentium violatoribus statuisse. Neque ille tamen accusandus, qui dedit quam nec dare debuit, nec datam praestare, sed stulta eorum temeritas, qui fidei, et religionum omnium hostes, se permittere alienae fidei, et regis praesertim perfidiae vindicis ausi essent. Ita octo, cervicibus securibus subiectis, mactatos, quinque palis affixos, quod genus supplicii, cum per se teterrimum, redderet atrocius mora, gratum spectaculum nobilitati praeberet, quae solati-

um malorum, e longo supplicio nefariorum hominum peteret. Inde proclivi fortuna ad victoriam, cum agrestes viribus in plures manus distractis, ita regias copias distinerent, ut quidquid in his roboris haberent, quod totum numero constaret, extenuaretur; ad Nadlacum primo, mox in Agriensi, et Varadiensi agro, non meliore eventu pugnasse. Quibus cladibus Georgium permotum, cum non ignoraret, quantum sibi auctoritatis, et apud suos pariter, et apud hostes decessisset, quae una res semper magnum ad summam victoriae momentum afferret; quod fortuna adversa negaret, rebus suis parum aequa, petere ab animi magnitudine, et praesentia statuisse. Ita ad eam exercitus partem, quam haberet, reliquiis suorum additis, quas cum cura conquisisset, et si qui abessent longius, revocatis ad signa, ad Tibiscum, bello instaurato exercitum duxisse. Cum copias traduci nisi ponte facto haud facile speraret: iussis militibus materiam e frequentibus aedificiis comportare, quae plurima circa haberentur; e doliis, quae perpetua serie catenis revinctae, ad utramque ripam fluminis pertinerent, insuper tignis asseribusque iniectis, atque humo stratis, pontem effecisse: eo, cum omnibus copiis, maiora tormenta, quae ex captis, ac direptis arcibus nonnulla avexisset, atque exercitus impedimenta, magna usum celeritate traduxisse. Hoc quidem fuisse illius consilium, ut cum parum suorum virtute confideret in regni finibus, validiore oppido aliquo occupato, id quod sperabat haud difficile sibi factu futurum, militem territum ex tot acceptis detrimentis, ad bellum de integro capessendum, temporis spatio instauratis viribus, redderet alacriorem. Vt hoc facere acceleraret, haud dubios nuncios effecisse, auxiliariorum ingentem ma-

num e Boemia regi subsidio venire: ut si dimicandum esset, minime dubitaret, quin, nova accepta clade, in vitae, et salutis discrimen adduceretur. Ita traductas copias, quarum numerum tot adversae res plurimum minuissent, Themesvarum duxisse; quod oppidum situs opportunitate magis, et natura quam opere munitum, magno imposito praesidio, Vngari a Turcarum excursionibus tutabantur, gentis instituto, belli pariter, et pacis tempore omnia armis infesta facientium. Minime vero dubitasse, quin, ubi id in potestatem redigeret, aut meliore conditione cum rege de compositione ageret, aut si nulla spes veniae a rege ostenderetur, suae dignitatis magis, quam ingenii memore; ad Turcam transiret quod consilium sceleratum hominem extremum sibi reservasse, omni alia spe deplorata, verisimile esset: a Barbaro certe Vngariae regno imminenti, peropportuni oppidi deditione voluntaria, ingentem, ut credebat, gratiam initurum. Cum tormentorum nullus esset usus, oppido egregie munito fossis compluribus, idoneo loco in iustam altitudinem perductis, qua amnis Themessa urbem alluebat, flumen avertere conatum esse, magna spe, ubi id ex sententia succederet, urbem ab ea parte capiendi. Quae dum pararet administrare, non malo quidem illum consilio, ubi inceptis cetera responderent, nunciis de Scepusii adventu acceptis, qui magnis instructis copiis, ad soluendam urbem obsidione ferretur accelerare, irrito incepto absistere coactum, copias abduxisse. Hinc quamquam tot malis circumventum, cum omnia aggredienti irritos conatus cadere, ac certum instare exitium animadverteret; audacia praecipitem, et ferocia animi, cuius impotens erat, elatum, virium periculum facere, et de summa rerum decernere cum

Scepusio constituisse. Eo animo cum esset, ut sua fiducia atque alacritate deiectos suorum animos, territosque confirmaret; eos brevi oratione ad pugnam capessendam adhortatum, potestatem hostibus pugnandi fecisse. Commisso proelio, haud dubiam victoriam penes Scepusium stetisse. Addit Iovius etiam Georgii laudes, cum in gerenda re, tum in toleranda cruciatuum acerbitate; quos, ut diximus, constituenda poena in crudelissimum latronem, nobilitas extrema in humano ingenio diritate excogitasset. Nam in acie instruenda, in monendo, suos adhortando, ad virtutem incitando, optimi ducis partes, in pugnando, militis fortissimi praestitisse; ut si pari animorum robore praeditum militem in aciem educeret, haud esset verendum, quin, ubi is rem gereret, illic minime dubio pugnae eventu esset victoria futura. Collocasse in prima acie, quorum sibi magis esset perspecta virtus, minus dubia fides, optimam in eo rationem secutum; ut essent qui virtute, et rei militaris peritia adnixi, adversus omnem fortunae casum, exceptum primum hostium impetum frangerent, victoriam certe de qua ipsi desperarent nobilitati cruentam, quae una voluptas victos maneret effecturi; quod si minus contingeret, materiam in victos saeviendi, victoribus hoc unum maxime expetentibus, honesta morte praeriperent: eos collocasse . . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

Itt a Pray-codexben 16 ívrét lapnyi hézag van.

. . . . . , ...
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . , ...

coguntur enim in eos esse alieno animo, quibuscum habent communem patriam, non habent communia patriae commoda, et a petitione honorum, quasi in alienum ius emancipati, lege excludantur. Est vero haec tota reipublicae iactura, cui bona civium pars, quorum virtute, et consilio, adversis suis temporibus patria sublevari possit, hoc uno nomine cessat, quod sit sacrorum procurationi addicta; tamquam religio sit impedimento, quominus sapiens civis debitum pietatis munus patriae praestet, in qua una re, ut dictum est, summa religio continetur. Nam si ratio est auctoritate, atque exemplis firmanda, in Romana olim civitate e pontificum, atque augurum collegio permulti, res immortalitate dignas domi, foris gesserunt: ut omittam, post occupatum imperium Caesaris armis, qui imperio praeessent, ab Augusto initio facto, eosdem quoque pontificatum maximum gessisse; usque ad Constantinum, Constantii Chlori filium, qui primus Romanorum principum, susceptis Christianis sacris, augusti honoris titulum in episcopum Romanum transtulit. Quid vero aliud est, negare civi ad gerendam rempublicam accessum, quam sanctissimas naturae leges e vita hominum tollere, quae, nullo discrimine omnes, cuiuscumque ordinis sint, communi

societati tuendae conservandaeque per mutua officia addixit? Quae porro ulla iusta caussa hominem instructum iis artibus, quae sint suis civibus subsidio atque ornamento, per sacrorum occasionem, quorum religione maxime homines tenentur, a reipublicae administratione ablegandi? At hoc rationis habuerunt sapientissimi homines, qui iura populis legesque primi descripserunt, ut sacrorum cultum verae religionis ignaris hominibus inveherent, ita fore sperantes, ut captis religione animis, sensim discerent magistratum agnoscere, legibus parere; vigilare, publica munera obire; multos perferre labores; militare pro communi salute; vitam contemnere, cum patria posceret; subire omnia mala, atque incommoda, quae morte graviora homines, spe una incitati immortalis vitae, quam religio spondet, alacres statuunt sibi obeunda. Cur vero quorum ordo amplissimus in hominum societate est reipublicae caussa constitutus, legibus prohibeantur, ubi virtute, et consilio excellent, reipublicae incolumitati, et civium saluti inservire? neque enim, ubi quis in sacerdotum collegium cooptatus est, continuo aut est factus alter, aut civis esse desiit: neque patria in eum suum ius amisit, cui una caussa gravissima est sacrorum cultum retinendi, ut civitas habeat dubiis temporibus, aeque ut laetis, reipublicae utiles cives, cuiusmodi qui esse possunt, nisi cum civili virtute religionem habeant coniunctam? Tanta vero vis est in religione ad homines in fide continendos, ut si legibus sacri homines a publicis functionibus prohibeantur, quo hac parte respublica suorum praesidio non careat, sint legibus soluendi : namque in maximarum rerum consultatione, non solum sapientiam, et consilium, sed etiam religionis auctoritatem secum afferunt,

qua maxime multitudo moveatur. facile iis assentiri assueta. quibus accedere divinam auctoritatem existimat. atque adeo. ubi minus etiam salutaria habeantur. Quemadmodum vero insanire. et furere credantur. qui cum exorta adversa tempestate naufragium immineat vetent navigandi peritos quicunque illi sint ad gubernacula accedere. ita videantur insaniae morbo laborare. qui arceant a reipublicae procuratione peritos homines earum artium. quibus civitates. atque imperia administrantur. quod sint religioni. et cultui sacrorum addicti. quae nemo unquam dubitavit. quin in bene excultis ingeniis plurimum adiumenti ad obeunda civilia munera afferrent. Quid enim si civitatum. et populorum rectores. quod saepius accidit. quam res hominum requirant. sint ipsi regendi? si ii. quorum consilio debet regia muniri. et procurari multorum salus, ipsi consilio indigeant? non eo descendendum videatur. ubi vera vigeat virtus. quocumque illa loco exsistat? Accedit vero. quo magis hoc sit discrimen tollendum pravus nobilium hominum mos: qui. quasi sit satis ad honores capessendos nobilem nasci. aut niti regum gratia. et populi suffragatione. contemnunt earum artium studia. quibus certa disciplina administrandi rempublicam comparatur. contenti iis. quae conducere credantur corporis viribus firmandis. quas Graeci uno gymnasticae nomine comprehendunt: quae quidem ut minime sint nobili homini negligendae. haud tamen iis praeferendae videntur. quibus excoluntur animi, ad munus imperii recte administrandum. cui obeundo, nati homines claro atque illustri loco destinantur. Tanta vero vecordia est. ut apud nobilissimas etiam gentes patres inveniantur, quibus una caussa sit liberos exhaeredandi, quod acrius quam decere no-

biles homines credant, in studia ingenuarum artium incumbant, digni vero parentes, a quibus, pecudes, quorum non sunt dissimiles, non homines gignantur. Et passim quidem videmus honori esse adolescenti ingenuo, viribus, aut pernicitate praestare, qua parte hominibus nonnullae bestiae antecellunt; sapientia excellere, atque iis artibus, quibus animi ad virtutem, sapientiam, magnitudinem animi conformantur, quae sunt vera ornamenta, et propria hominis, credatur ad quemvis potius, quam ad eos, quibus hae sunt certae a republica impositae partes, pertinere: ut aequum sit, nobiles homines, qui sibi sumunt in alios principatum, ferre non iniquo animo eos, qui se a prima adolescentia iis artibus dediderunt, a quibus ipsi refugiunt, deterriti labore, sive ex sacerdotum ordine sint, sive ex infima plebe ad rempublicam accedere: ii enim apti modo populis imperio regendis, in quibus virtus eluceat undecumque illa existat, etiamsi absit fortuna alienae virtutis, non patriae testis. Quae quidem gravis caussa nobilitati est visa, et in aliis regnis, et in Galliae in primis, ut cum aegre ferrent claros sapientia homines ad summos honores pervenire, non generis splendore, sed suo fretos: neque iam se indignum ducerent honestioribus studiis operam dare, et sacerdotia ambitiose peterent, quibus qui funguntur minus instructi ingenuis artibus, etiamsi regiam sanguinis propinquitate attingant, in regni administratione iis cedunt, qui ita honoribus honestantur, ut sint ipsi honoribus quos gerunt ornamento. Nam si quid aliquando ab his incommodi manat: non est ordo accussandus, qui sive probus quis, sive improbus, neque auget, neque minuit editum insigne facinus aut ad gloriam, aut ad dedecus, sed

ultro suscepta aut virtus, aut improbitas, quae non iis in rebus, quae casus, aut fortunae sunt, sed in animo sita suum domicilium habet: non enim persona, sed ingenium, et mores qui persona teguntur, sunt spectandi. ubi eorum hominum, qui sunt summae reipublicae profuturi, delectus habeatur.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER QVARTVS.

LIBER QUARTUS.

Bellum ex sententia a nobilitate gestum, cuius tristem ac funestum exitum anxii homines metu ultimi discriminis, patriae ominabantur; magni in principio motus, maioris inter rem gerendam per ingentes populorum clades saeviente belli flamma, quantum Scepusio apud nobilitatem gloriae, tantum Ladislao invidiae conciliavit; per quem unum factum credebant, ut multitudo, captata ex illius cunctatione, et tarditate occasione, praeberet aures improborum hominum ferocioribus consiliis, qui sua sponte imbelles homines, atque innoxios ad studium rerum novarum excitarent, et ad scelerata arma patriae inferenda, cuius caussa, si ulla agnoscerent humana iura, mortem appetere natos homines deceret. Neque regem fallebat, se apud nobilitatem, et aliis multis olim, et uno hoc maxime nomine offendisse, iam ante belli initium monitum a fratre, cui nihil eorum erat obscurum, quae in Vngaria gerebantur, sibi insidias a nonnullis ex principibus parari. Nam et illius studiosi homines, sive adducti officio, sive Scepusii odio, cuius potentiam plus aequo indies crescentem horrebant, principum coitiones fieri, coetus haberi privatis locis, ac perniciosa reipublicae consilia agitari, in his de regno illi abrogando, docuerant: cuius rei fidem faciunt Sigismundi fratris ad eum litterae, quae adhuc exstant. Neque

vero illa occulta esse poterant communicata multis; in quibus raro est fides, et constantia, ingenii levitate maior, accedente praesertim regis contempta auctoritate, qui in magnis opibus impar ulciscendis suorum iniuriis, quidquid in illum moliri dicerentur dissimulare cogebatur, neque hoc quidem malo consilio, ne frustra tentanti, quod non erat assecuturus, contumelia accederet ad animi dolorem, malum in rege, et viro principe maius. Hoc vero quasi consulto egisse fortuna videbatur, ut per delatum Ladislao regnum, non secus, atque per iniustum onus impositum imbecillo maior illius infamia, magnitudini muneris succumbentis appareret. Ita cum animi aegrum, amici alia ratione diffiderent se posse consolari; iam pridem inchoatam actionem, et temporum potius varietate interruptam, quam certo omissam consilio de iungenda cum Maximiliano Caesare affinitate, renovare aggrediuntur, fore arbitrati, ut per eam coniunctionem, principum ferocia Ladislai solitudinem, atque orbitatem contemnentium, reprimeretur. Id occulte agi coeptum aliquot antea annis, ut videtur, inscio Sigismundo fratre, ob minime obscuras simultates, quae illi, ut iam dictum est, cum Maximiliano intercedebant. Quae causa Sigismundo fuit fratrem monendi, misso superiore anno Petro Thomicio magni consilii homine, et perspectae fidei ad illum legato, ut ab occultis suorum insidiis caveret, suspicatus, per speciem affinitatis cum Ladislao iungendae, Maximilianum ad Vngariae regnum aspirare; quod quidem videbatur, propter Ladislai iners ingenium, Ludovici aetatem nondum maturam regno, subnixus domestica potentia, et Caroli nepotis viribus, maximorum regnorum potentis, facile in potestate habiturus. Augebat Sigismundi suspicio-

nem antiquus Maximiliani mos, per exterarum gentium connubia, domesticas opes augendi, angustis finibus conscriptas, ni ultra paternae ditionis terminos imperium proferret; qui mos quo pertinacius haereret animo, numquam praesentibus contento, longa fortunae indulgentia effecerat; quae illius spem ultra optata, et vota successu fovisset. Ita meminerat se per Mariae nuptias adeptum longe lateque patens Caroli Burgundi patris imperium.....

(Itt négy levél hiányzik).

me ex eorum genere, qui inanibus praedictionibus, regum gratiam aucupantur, fuisse in mora: ex positu siderum praescire se, frustra tum regem ad fratrem iter suscepturum, quo quidem faciendo cum ingenti apparatu indigeret, nihil operae pretii esset relaturus, ut facilitatis, et comitatis regiae esset, non pati diutius suum adventum desiderari, ita non esse dignitatis plus aequo aliorum exspectare; quod quidem, quin esset futurum, haud oporteret dubitare. Licere, nulla cum suae fidei iactura, in longiorem diem profectionem differre. Atque haec quidem Michovius; profectionis moram facile Sigismundi constantia discussit; cum ita dixisset: cuiusmodi suae profectionis eventus esset futurus, qui totus in divinae mentis penetralibus reconditus esset ignorare se; quae suae partes essent, praestanda fide, quam Maximiliano obstrinxisset, quod totum a se esset, et minime posset ignorare non passurum a se desiderari. Itaque daturum se operam, ut cuius rei omissae culpam a se praestari oporteret, fidem suam citius etiam omnium spe repraesentaret; eventu toto dei immortalis providentiae permisso, quam vitae, et consiliorum omnium auctorem haberet. Comprobavit casus, Michovii praedictionem; quae

quo facilius imperitos fallat, numquam nisi cum eventus inceptis respondet, notatur; cum multo saepius. tamen quae praedicuntur irrita cadant, ita elusa eorum fides, quibus secus evenit, atque exspectabant, ut facile suum dedecus alto silentio obrutum exolescere patiantur, certi enim subsecuti nuncii a Maximiliano, ut Ladislao scripserat, regi afferuntur, Mathaeum Gurcensem Cardinalem Viennam praemissum, unde mox esset Posonium iturus, ut illius nomine de communibus rebus cum fratribus regibus colloqueretur. Movit hoc tum multos alios tum Polonos in primis, qui plus aequo in eo detrahi de Sigismundi maiestate contendebant. Iniquam rem videri, cum ipse esset adfuturus, per legatos Maximilianum, quaecumque illi morae caussa esset, colloquium obire. Nam quod ex belli tempore moram praetexeret, nihil esse: bellum enim per legatos geri, ut illi ad caetera munera tum privata, tum publica administranda satis otii superesset; certe, ne parum videretur tantorum regum maiestatis rationem habuisse, ultro illi fuisse integra adhuc re postulandum, ut per legatos rem agerent, et quidem multo maiore moderationis, atque aequitatis suae laude. Mansit tamen Sigismundus in suscepta sententia, et mathematici vanitatem quantumvis celebris atque illustris nominis, et suorum de se sollicitudinem minime necessariam aspernatus; cum unus esse certum regis munus contenderet, a quo abduci non posset, ubi omnia etiam contra acciderent, atque ipse censeret semel datam fidem, quisquis ille esset, cui obstrictam haberet non violare. Ita VI. Non. Mart. Cracovia proficiscitur, nunciis ad Ladislaum praemissis, qui eum de profectione, et mox de propinquo suo adventu docerent. Verum Ladislaus ex temporis ra-

tione haud dubiam coniecturam secutus, Georgium Brandemburgensem sororis filium, cum Quinqueecclesiensi episcopo, magnae homine dignitatis praemisit, qui fratri ad Tirnaviam occurreret, atque honoris caussa Posonium deducerent, magna nobilitatis parte prosequente. Neque interea minus negotii Ladislao cum principibus fuit, ita a Caesaris, et regum congressu aversis,(ut)undique occasionem omnem, quae dirimendi colloquii esset, captaturi viderentur: quam cum non facile affuturam a Ladislao appareret, Sigismundo fratre, cuius nutu pendere credebatur, eum ad officium revocante, si quando sperarent, id quod multis aliis in rebus vel leviter adnitentibus licuisse se eum in potestate habituros; alia eum via aggredi constituunt spe suscepta ex Gurcensi legatione, qui adventare Viennam diceb(atur) eum ab incepto deterrendi, neque vero principes ignorabant, etiam . . . . . eos Ladislaus celaret, quae summa consiliorum esset, quae quidem, s . . . . . animis, in deteriorem partem trahebant, eo spectare suspicantes, non . . . . . illi quidem coniectura, ut per Caesaris coniunctionem tanti principis,... Ladislaus animi fiducia elatus iugum legum, ac regii imperii, quod excep . . . . . cogeret invitos, et detrectantes subire. Neque hoc tamen erat, quod . . Vngari vererentur. Perosi suo ingenio Germanorum gentem, moribus, legibus, institutis a suis diversam, verebantur, ne molli atque inerti (rege) minus suum ius potestatemque agnoscente, ipsi capesserent reipublicae, (procura)tionem, et specioso regis titulo Ladislao contento, ipsi in alieno regno iniustam dominationem exercerent, certe eo duriorem, quo magis per regis indulgentiam metus summi imperii expertes diu egissent. Vt vero alia caussa Vnga-

num e Boemia regi subsidio venire: ut si dimicandum esset, minime dubitaret, quin, nova accepta clade, in vitae, et salutis discrimen adduceretur. Ita traductas copias, quarum numerum tot adversae res plurimum minuissent, Themesvarum duxisse; quod oppidum situs opportunitate magis, et natura quam opere munitum, magno imposito praesidio, Vngari a Turcarum excursionibus tutabantur, gentis instituto, belli pariter, et pacis tempore omnia armis infesta facientium. Minime vero dubitasse, quin, ubi id in potestatem redigeret, aut meliore conditione cum rege de compositione ageret, aut si nulla spes veniae a rege ostenderetur, suae dignitatis magis, quam ingenii memore; ad Turcam transiret quod consilium sceleratum hominem extremum sibi reservasse, omni alia spe deplorata, verisimile esset: a Barbaro certe Vngariae regno imminenti, peropportuni oppidi deditione voluntaria, ingentem, ut credebat, gratiam initurum. Cum tormentorum nullus esset usus, oppido egregie munito fossis compluribus, idoneo loco in iustam altitudinem perductis, qua amnis Themessa urbem alluebat, flumen avertere conatum esse, magna spe, ubi id ex sententia succederet, urbem ab ea parte capiendi. Quae dum pararet administrare, non malo quidem illum consilio, ubi inceptis cetera responderent, nunciis de Scepusii adventu acceptis, qui magnis instructis copiis, ad soluendam urbem obsidione ferretur accelerare, irrito incepto absistere coactum, copias abduxisse. Hinc quamquam tot malis circumventum, cum omnia aggredienti irritos conatus cadere, ac certum instare exitium animadverteret; audacia praecipitem, et ferocia animi, cuius impotens erat, elatum, virium periculum facere, et de summa rerum decernere cum

Scepusio constituisse. Eo animo cum esset, ut sua fiducia atque alacritate deiectos suorum animos, territosque confirmaret; eos brevi oratione ad pugnam capessendam adhortatum, potestatem hostibus pugnandi fecisse. Commisso proelio, haud dubiam victoriam penes Scepusium stetisse. Addit Iovius etiam Georgii laudes, cum in gerenda re, tum in toleranda cruciatuum acerbitate; quos, ut diximus, constituenda poena in crudelissimum latronem, nobilitas extrema in humano ingenio diritate excogitasset. Nam in acie instruenda, in monendo, suos adhortando, ad virtutem incitando, optimi ducis partes, in pugnando, militis fortissimi praestitisse; ut si pari animorum robore praeditum militem in aciem educeret, haud esset verendum, quin, ubi is rem gereret, illic minime dubio pugnae eventu esset victoria futura. Collocasse in prima acie, quorum sibi magis esset perspecta virtus, minus dubia fides, optimam in eo rationem secutum; ut essent qui virtute, et rei militaris peritia adnixi, adversus omnem fortunae casum, exceptum primum hostium impetum frangerent, victoriam certe de qua ipsi desperarent nobilitati cruentam, quae una voluptas victos maneret effecturi; quod si minus contingeret, materiam in victos saeviendi, victoribus hoc unum maxime expetentibus, honesta morte praeriperent: eos collocasse . . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

Itt a Pray-codexben 16 ívrét lapnyi hézag van.

multorum exitio ruiturum. Atque haec quidem Vngari, quae quamquam pervenirent ad regis aures, perseveravit tamen Posonium ire, semel tuendo suo iure, cum liberorum ratio constantiam in magno rerum momento postularet, rex visus. Itaque prior Buda profectus, Posonium venit XV. Kalendas Aprilis, cum iam Gurcensis praemissus a Caesare VII. Kal. Martias Viennam esset ingressus. Inde Sigismundus Tirnavia, qua illi Brandeburgensis sororis filius, ut dictum est occurrerat, IX. Kal. Aprilis Posonium movit, equitum mille quingentis sequentibus, partim Vngarico, partim Germanico ornatu egregie instructis. Accedebant Poloni equites multi e praecipua nobilitate, tum Rutheni, Borussi, et qui quasi testes Polonorum victoriae de Barbaro hoste conspicerentur, Scythae, et Moschi, barbarico ornatu regem victorem, qui instar celebrem triumphum agentis incedebat, ordine praeeuntes. Certatum inter duos fratres omni genere officii, cum nihil sibi reliqui ad summam humanitatem fecissent; inter Polonos et Vngaros pompae magnificentia et celebritate, etiamsi in eo minime facilem aemulationem laudis, domesticae clades Vngaris efficiebant, florentibus tum maxime Polonorum rebus, ob res a Sigismundo rege, domi forisque praeclare gestas. Processit fratri obviam Ladislaus altero ab urbe milliari quem cum propius adventare audisset, iussis suis se e rheda in regia sella collocari, excepit, insigni significatione amoris cum aliquantisper haesisset in complexu, quae illius mollitia erat, lacrymis effusis, quae diuturni desiderii significationem non obscuram haberent. Inde Sigismundus, ad laevum eius latus Ludovico puero succedente, (Ladislaus enim aetate gravis rheda vehebatur) Posonium eques invehitur, paeeunti-

bus e praecipua nobilitate multis, quorum qui dignitate excellebant honoris caussa regem sequebantur, in his insignis fidei, et sapientiae laude, Matthias Dreviczius, qui trium regum Cancellarius, quae magna dignitas est in Poloniae regno, Alberti, Alexandri, Sigismundi, tum Vratislaviensis, postremo Gnesnensis Archiepiscopus a Sigismundo est creatus. Quanta haec pompa fuerit illud indicio est, praeter equitum ingentem numerum, ad quingentos nobilium currus, qui quattuor equis agerentur numeratos cum a quarta ante meridiem hora, ingredi coepissent, vix ad primam pomeridianam rem peractam. Sub regum adventum Thomas cardinalis Strigoniensis princeps senatus, atque eiusdem ordinis alii, quorum erat maior apud Ladislaum auctoritas, urbem ingressi, quod de Maximiliani adventu nihil adhuc certi afferebatur, ut ea mora ex usu reipublicae et fratrum regum esset, de communibus rebus, quae tum ad Vngariae, et Boemiae regnum, tum ad Polonos pertinebant, summa animorum concordia egerunt. Multa de quibus disceptandum esset fuisse dubii, et controversi iuris verisimile est, cum Poloni, tum Boemorum fines, tum Germanorum, et Vngarorum attingant, quorum tuendorum caussa, saepe in aliena iura migrant, novis semper controversiis exorientibus, quibus finiendis raro accidit, ut de eo quod quis partum habet, sive id iure, sive iniuria, non sit aliquid remittendum. Qua ex re fit, ut raro otium, et pacem colant; nonnumquam efficiant pertinacius suum ius tuendo, ut e privata caussa, publica facta, cum alia desit disceptandi ratio, sit veniendum ad arma. Auget vero hoc incommodum multitudini insitum in eos odium, a quibus, ut moribus, et vitae rationibus, sic animis et studiis dissident, ubi a suis commodis discedant nul

multorum exitio ruiturum. Atque haec quidem Vngari, quae quamquam pervenirent ad regis aures, perseveravit tamen Posonium ire, semel tuendo suo iure, cum liberorum ratio constantiam in magno rerum momento postularet, rex visus. Itaque prior Buda profectus, Posonium venit XV. Kalendas Aprilis, cum iam Gurcensis praemissus a Caesare VII. Kal. Martias Viennam esset ingressus. Inde Sigismundus Tirnavia, qua illi Brandeburgensis sororis filius, ut dictum est occurrerat, IX. Kal. Aprilis Posonium movit, equitum mille quingentis sequentibus, partim Vngarico, partim Germanico ornatu egregie instructis. Accedebant Poloni equites multi e praecipua nobilitate, tum Rutheni, Borussi, et qui quasi testes Polonorum victoriae de Barbaro hoste conspicerentur, Scythae, et Moschi, barbarico ornatu regem victorem, qui instar celebrem triumphum agentis incedebat, ordine praeeuntes. Certatum inter duos fratres omni genere officii, cum nihil sibi reliqui ad summam humanitatem fecissent; inter Polonos et Vngaros pompae magnificentia et celebritate, etiamsi in eo minime facilem aemulationem laudis, domesticae clades Vngaris efficiebant, florentibus tum maxime Polonorum rebus, ob res a Sigismundo rege, domi forisque praeclare gestas. Processit fratri obviam Ladislaus altero ab urbe milliari quem cum propius adventare audisset, iussis suis se e rheda in regia sella collocari, excepit, insigni significatione amoris cum aliquantisper haesisset in complexu, quae illius mollitia erat, lacrymis effusis, quae diuturni desiderii significationem non obscuram haberent. Inde Sigismundus, ad laevum eius latus Ludovico puero succedente, (Ladislaus enim aetate gravis rheda vehebatur) Posonium eques invehitur, praeeunti-

bus e praecipua nobilitate multis, quorum qui dignitate excellebant honoris caussa regem sequebantur, in his insignis fidei, et sapientiae laude, Matthias Dreviczius, qui trium regum Cancellarius, quae magna dignitas est in Poloniae regno, Alberti, Alexandri, Sigismundi, tum Vratislaviensis, postremo Gnesnensis Archiepiscopus a Sigismundo est creatus. Quanta haec pompa fuerit illud indicio est, praeter equitum ingentem numerum, ad quingentos nobilium currus, qui quattuor equis agerentur numeratos cum a quarta ante meridiem hora, ingredi coepissent, vix ad primam pomeridianam rem peractam. Sub regum adventum Thomas cardinalis Strigoniensis princeps senatus, atque eiusdem ordinis alii, quorum erat maior apud Ladislaum auctoritas, urbem ingressi, quod de Maximiliani adventu nihil adhuc certi afferebatur, ut ea mora ex usu reipublicae et fratrum regum esset, de communibus rebus, quae tum ad Vngariae, et Boemiae regnum, tum ad Polonos pertinebant, summa animorum concordia egerunt. Multa de quibus disceptandum esset fuisse dubii, et controversi iuris verisimile est, cum Poloni, tum Boemorum fines, tum Germanorum, et Vngarorum attingant, quorum tuendorum caussa, saepe in aliena iura migrant, novis semper controversiis exorientibus, quibus finiendis raro accidit, ut de eo quod quis partum habet, sive id iure, sive iniuria, non sit aliquid remittendum. Qua ex re fit, ut raro otium, et pacem colant; nonnumquam efficiant pertinacius suum ius tuendo, ut e privata caussa, publica facta, cum alia desit disceptandi ratio, sit veniendum ad arma. Auget vero hoc incommodum multitudini insitum in eos odium, a quibus, ut moribus, et vitae rationibus, sic animis et studiis dissident, ubi a suis commodis discedant nul

lam amoris, atque odii caussam aliam agnoscentes: Itaque qui ea impugnant, oderunt, quacumque caussa adducti id sibi agendum statuant; qui promovent, augent, tuentur, amant, etiam si palam illos improbos, et nefarios. Accedit aliud malum, et quod cuique expediat maxime suorum caussa vitare, magna scelerum impunitas, cum improbis hominibus, ubi pedem proferant patrio solo, e propinquo loco admisso facinore pateat ad salutem receptus; ut propter hanc scelerum impunitatem locus proverbio cesserit, raro populis. qui regionum, et civitatum fines incolant, quae diversi iuris, et ditionis sint, esse sancta humanitatis, atque hospitalitatis iura. Quo minus vero tum de communibus controversiis, Vngari armis cum Polonis disceptarent, a quibus alioqui aegre essent temperaturi, occurrebant communi consilio reges fratres, per quorum auctoritatem optime inter se consentientium, si quid existeret inter privatos controversi iuris, a vi et armis, ad iuris aequabilitatem, qui de eo dissiderent, revocabantur. Itaque eius rei caussa, id quod necesse erat, agebantur crebri populorum conventus, quibus regii magistratus, et publicas, et privatas controversias, pro sua aequitate, et maiestate, regum, minuebant. Intercedebant vero inter Polonos, et Vratislavienses haud ignobiles simultates, iam inde ab anno MDXI. quas vix ulla spes esset regum auctoritate posse tolli. Impetraverat enim á Ladislao Vratislaviensis senatus, ut celebre emporium, quod maiorum memoria, Vratislaviae a vicinis populis frequentabatur, et sensim incuria, ut fit, in desuetudinem abierat, instauraretur, magna Polonorum et Sigismundi offensione, de quorum commodis plurimum, per eam rationem, detrahebatur: perpauci enim commercii caussa, Poloniae mercatus,

nundinasque obibant, quam quidem quasi claustris cinctam undique hinc Silesiae, hinc Boemiae, et Vngariae finibus, quae Ladislai imperio parebant, non poterant exteri homines, neque curabant adeo adire, cum propioribus locis, commodiori itinere, et facilioribus vecturis, forum, ubi sua distraherent, coemerent, quae importarent ad suos, pateret. Quod quidem accidebat gravi provincialium incommodo, tum quod minus ad eos quibus indigerent importarentur; tum quod iis deessent, quibus privatos fructus divenderent, assueti cultura agrorum, et perpetuis arationibus victum tueri; postremo quod regni portoria, ob exterorum infrequentiam, insigni regii aerarii iactura minuebantur Quod potuit Sigismundus, suos vetuit forum illud obire; quo minus ultra progrederetur suorum dolore ulciscendo, fraterna caritate impediente, cum, ut maxime Ladislai indulgentiam accusaret, plus aequo per exterorum iniuriam suis morigerantis; minime tamen vindicandam armis censeret: sperabat enim per colloquii opportunitatem, quidquid controversiae, ob eam caussam, ortum esset, sublatum iri. Tenuit tamen, frementibus et frendentibus Polonis, Vratislaviense emporium aliquot annos, quousque Ladislaus, urgente Sigismundo, qui diutius suorum precibus resistere haud posset, pertinaci studio id poscentium, in fratris gratiam novo edicto tollendum, abrogandumque curavit. Interea Maximilianus, cum veritus regum offensionem, meliore consilio, potestatem sui facere ad colloquium constituisset, quod longius sua spe, et regum exspectatione dilatum iri intelligeret, novis semper caussis suborientibus, quae properanti maiorem iniicerent moram, in primis animo angebatur. Neque tamen facile erat, quae vera tam diuturnae morae caussa esset,

divinare: sive enim minus mature adesse liceret belli occupationibus impedito; sive consulto traheret moram, quo diutius exspectatus gratior adventus ess et; sive spatium quaereret ad ea comparanda, quae excipiendorum regum caussa maiora hominum exspectatione agitabat, vix potuit eam ipsam regum offensionem vitare; res quidem ipsa docuit, veram fuisse cunctationis caussam, quae ab ingenio manaret; cui cum plus aequo indulgeret, nactus occasionem animo morigerandi, cuius erant vasti, atque immoderati fines, ita excipere tantos hospites constituerat, ut ad apparatus magnificentiam longiore temporis spatio opus esset. Accedebat, et illa caussa, quod speraret, per hanc rationem fore, ut sua comitate liberalitateque Ladislao, et Sigismundo delinitis, aequioribus in conditionibus ferendis de iis quae in controversiam venerant, uteretur. Id vero, ut, quemadmodum vellet, succederet, cum studio, curaque attentiore, tum productiore die indigebat, quae moram, cunctationemque suspicantibus regibus fratribus tergiversationem esse a colloquio refugientis, invisam reddebat, metu saepe fallaci interprete, ubi rerum verae caussae latent, ad deteriora animos trahente. Itaque, ut eos ab omni suspicione averteret, Gurcensis Cardinalis, cui erat Maximiliani sententia explorata, missis ad Ladislaum; iam antequam Buda moveret, qui simul excusarent Caesaris moram, et simul de suo adventu docerent, Viennam VII. Kal. Martiis erat profectus. Mox cum audisset, utrumque regem Posonium convenisse: V. Kal. Aprilis Vienna profectus, secundo flumine Posonium soluit sexcentorum equitum comitatu septus, qui terra iter habebant, praeter ingentem curruum numerum qui Cardinalem plus aequo suo ingenio tumidum, et Caesaris lega-

tum, honoris ergo sequebantur. Neque est statim in urbem ingressus. Inclinato iam in vesperam die, Posonium navi appulsa, cum celebrem adventus sui pompam, et populi frequentia, et regum occursu speraret futuram, iniit urbem, quae eum spes minime fefellit: Ludovicus enim, et patris regis nomine, et suo adeo medius inter Episcopum Colocensem, et Georgium Comitem Frangipanem Cancellarium regni, magno cum honore, ac multitudinis plausu advenienti occurrit, atque oratione luculenta exceptum ad hospitium deduxit. Non est operae pretium, quae quotidie sint inter reges, et Gurcensem gesta, percensere, quo animi legentium spectant ad rerum summam properanti; illud quidem minime praetereundum, quod argumento esse possit, intentissima cura omnia acta, cum in magna eorum frequentia, qui interesse regis consilio consuevissent, non facile esset, ob sententiarum et studiorum varietatem, quidquam certi de iis rebus constituere, quae in disceptationem venirent; convenisse, ut Gurcensi, quattuor delecti e senatorum numero praesto adessent, Ioannes Meraxius Caesaris consiliarius, Laurentius Saurerus, Gabriel Vogtius, et Cuspinianus, qui quae singulis quibusque diebus agerentur in ephemeridem referrent, eo consilio, ut Caesari antequam Oeniponto moveret, mitterentur. Ladislai nomine Thomas Cardinalis, et duo episcopi Colocensis, et Quinqueecclesiensis: Sigismundi, Petrus Thomiczius episcopus Premisliensis, Christophorus Schidlovicius regni Cancellarius, et Nicolaus Palatinus Vilnensis. Per hos cum de aliis rebus, tum de affinitatis conditionibus actum, cuius rei caussa potissimum reges convenerant callido consilio, ut creditum est, Maximiliano absente; ut si quid esset, qua de re minus conveniret, minore cum vere-

cundia; contentione animi maiore, per alienam personam suum ius tueretur, solitus facile de suo iure decedere, et obsecundare ingenio, ubi suscepta contentione de rebus etiam gravissimis, victo esset magnificentiae speranda laus. Per aliquot dies cum res, quamquam attentiore cura acta, variantibus sententiis, non facile perduci ad exitum posset: varii generis edita spectacula, et equestres ludi: quibus morae taedio fessi regum animi levarentur. In his institutus nobilium equorum cursus, quibus Georgius Scepusii frater magnae spei, atque indolis adolescens victor palmam tulit. Sed omnium oculos Moschus novo spectaculi genere in se convertit. Insidens Thracio equo ducebat alterum manu, ita utriusque aut adductis aut laxatis habenis, quemadmodum cursus ratio postulabat, qui quam concitatissimus erat, ut ex uno in alterum, crebra vicissitudine, in medio cursu insiliret, rei miraculo stupentibus omnibus. Neque inter ea tamen quidquam de pristina diligentia remissum, quo semel incepta actio sublatis controversiis omnibus peragerétur. Ita, cum, post longam disceptationem de affinitate in certas conditiones convenisset: placuit de regum sententia, ut eae ad Caesarem Augustam Vindelicorum, ubi tum substiterat, perferrentur: quas si probaret, id quod futurum sperabant, iam nihil subesse caussae crederent, cur ulterius suum adventum differret. Ita pridie Idus Aprilis Gurcensis, id unum votis omnibus, regibus exposcentibus, Viennam rediit, spe certa confirmatis animis, Caesarem propediem affuturum: simul ad eum mittit certos nuncios, Augustae de his, quae acta essent operientem, Guilelmum Regendorfium, et Laurentium Saurerum magni consilii, et virtutis homines, qui eum docerent quando iam esset dei be-

neficio ex sententia de aliis rebus omnibus transactum, unius Caesaris adventum qui illas, ut convenerat, ratas haberet, fratres reges opperiri, quos diutius frustrari sua spe, neque eorum dignitas, neque Caesaris constantia adeo pateretur, cum illius fidem secuti, magno reipublicae incommodo, Sigismundus maxime, Posonium venissent. Perturbavit reges iam per se nimium anxios de Maximiliani in se animo tristis per eos dies quibus haec agebantur subsecutus casus; cum apud captos superstitione animos facile in omen vertisset: Nondum enim Cardinali Posonio profecto, Bartholomaeus Minsterburgensis a Caesare ad reges orator missus, cum, secundo flumine Vienna Posonium navi veheretur, amnis vorticibus contorta, ac retro acta navi, fluctibus obrutus interierat. Quo quidem casu, ut vehementius quam par est commoverentur, alius hunc statim secutus effecit aeque tristis, et funestae memoriae in omnem posteritatem, si quis, imbuto prava superstitione animo quae tum acciderunt ad ea referat, quae aliquot post ea annis, regnum poscente Ferdinando, Joanne tuente armis ab Vngaris delatum, accidere: qua de re quid sit statuendum ii viderint, quibus non satis est plecti praesentibus malis, nisi impendentium metu ex vanis mathematicorum praedictionibus prudentes, et volentes torqueantur; quorum cum dubius eventus sit, et ad multo reconditiores caussas, quam ad eas quas nobis fingimus referendus, certo ex his sensu atque animi angore affici, extremae dementiae est: eodem enim fere tempore, quo haec, ut diximus, ita administrabantur, tetro incendio Posonii exorto, cum late conceptam flammam venti vis distulisset, magna urbis pars, atque in ea Ladislai regia hominum sedulitatem, atque industriam vi incendii

superante, ad solum usque conflagravit. Sigismundi domum, quo minus absumeret foedum in modum saeviens flamma, sedula opera suorum, et studium, cum a principio statim accurrissent, perfecit. Iidem magno fuisse usui oppidanis ad restinguendum incendium dicuntur, cum ipsi suo ingenio impigri, atque acres, tum ad huiusmodi casus maxime exercitati in Polonia, praeterquam in paucis admodum urbibus, aedificiis fere ex temere congesta materia instructis, quae abunde incolis suppetit ob crebros saltus, et campis interiectas siluas, quas quidem feracitate soli, et clementia coeli succrescentes, ne ad hunc diem quidem hominum solertia his exscindendis, et ad culturam agrorum subigendis laborantium potuit vincere: ut incendiis urbes opportunae vix per nocturnos vigiles tutae a tanto incommodo servari queant. Accidit hoc pridie calendas Maias ad ceteras curas futurum magnae accessionis loco regibus per se plus aequo sollicitis; cum prava opinione proclives sua sponte in errorem impellente, certum eventum malorum portendere credidissent, quod casus, atque hominum incuria invexisset. Reversi a Caesare legati, ut Gurcensis Posonium rediret effecerunt, cum regibus retulissent, in his, quae acta essent, quaedam minus Caesari probari. Ita post aliquot dierum colloquia, accuratius exquisitis sententiis XI. kal. Iunias tandem et de his transactum; cum regum signis, manuque obsignata, et de more, magna cum omnium approbatione in consilio perlecta essent. Postridie eius diei apud Ladislaum magnificentissimo apparatu instructum convivium concelebratum est, cum, praeter reges, Gurcensis Cardinalis, et sex Caesaris consiliarii primae dignitatis homines accubuissent, ingenti omnium laetitia.

Inde placuit mitti a regibus tam longa mora haud dubie offensis, communi nomine ad Caesarem oratores, tum illius honoris gratia, tum ut de adventu urgerent: qui quo minus ultra ab iis desiderari posset, effecissent adversi allati nuncii ex Vngaria, regios haud procul Tauruno nobili urbe, ad Danubii et Savi confluentem sita, quam Nandoralbam Vngari, nostri Belgradum appellant, Scepusio duce insigni clade a Turca victos et castris exutos, tum una cum tormentis atque impedimentis omnibus, Cernovicium arcem praemunitam venisse in victoris potestatem. Movit haec legatio Caesarem, ut sui officii esse duceret, quantumvis graves caussae subessent, quae properantem morarentur, aliquando regum desiderio occurrere; haud ignarus, quanti sua interesset, quae per alios acta accepisset, se praesente, confirmari. Nam reges instare, urgereque de adventu non desistebant, ad priorem legationem alia decreta, qua Hieronymus Balbus functus, vir cumprimis disertus, et acerrimi ingenii, Caesarem quem Oeniponti adierat, maiorem in modum movisse dicitur, ut aliquando vere statueret tantorum regum maiestatis habere rationem, quam illi minime vilem esse crederent, certe crederent minime esse debere. Nam etiam si de illius fide, et constantia non dubitarent, dandam tamen operam existimabant, ne quod esset temporis, esse aut voluntatis, aut ingenii suspicarentur, quorum utrumque illi esset omni ratione deprecandum. Nam, si minus duceret dignos (quod tamen ut suspicarentur, vix possent inducere animum) quibuscum congrederetur, at minime indignos statueret, quibus quae esset sua de ea re sententia, litteris nunciisque, cuius rei illi non deesset facultas, significaret. Quae quamquam Balbus satis acriter, accurateque egisset; distulit ta-

superante, ad solum usque conflagravit. Sigismundi domum, quo minus absumeret foedum in modum saeviens flamma, sedula opera suorum, et studium, cum a principio statim accurrissent, perfecit. Iidem magno fuisse usui oppidanis ad restiguendum incendium dicuntur, cum ipsi suo ingenio impigri, atque acres, tum ad huiusmodi casus maxime exercitati in Polonia, praeterquam in paucis admodum urbibus, aedificiis fere ex temere congesta materia instructis, quae abunde incolis suppetit ob crebros saltus, et campis interiectas siluas, quas quidem feracitate soli, et clementia coeli succrescentes, ne ad hunc diem quidem hominum solertia his exscindendis, et ad culturam agrorum subigendis laborantium potuit vincere: ut incendiis urbes opportunae vix per nocturnos vigiles tutae a tanto incommodo servari queant. Accidit hoc pridie calendas Maias ad ceteras curas futurum magnae accessionis loco regibus per se plus aequo sollicitis; cum prava opinione proclives sua sponte in errorem impellente, certum eventum malorum portendere credidissent, quod casus, atque hominum incuria invexisset. Reversi a Caesare legati, ut Gurcensis Posonium rediret effecerunt, cum regibus retulissent, in his, quae acta essent, quaedam minus Caesari probari. Ita post aliquot dierum colloquia, accuratius exquisitis sententiis XI. kal. Iunias tandem et de his transactum; cum regum signis, manuque obsignata, et de more, magna cum omnium approbatione in consilio perlecta essent. Postridie eius diei apud Ladislaum magnificentissimo apparatu instructum convivium concelebratum est, cum, praeter reges, Gurcensis Cardinalis, et sex Caesaris consiliarii primae dignitatis homines accubuissent, ingenti omnium laetitia.

Inde placuit mitti a regibus tam longa mora haud dubie offensis, communi nomine ad Caesarem oratores, tum illius honoris gratia, tum ut de adventu urgerent: qui quo minus ultra ab iis desiderari posset, effecissent adversi allati nuncii ex Vngaria, regios haud procul Tauruno nobili urbe, ad Danubii et Savi confluentem sita, quam Nandoralbam Vngari, nostri Belgradum appellant, Scepusio duce insigni clade a Turca victos et castris exutos, tum una cum tormentis atque impedimentis omnibus, Cernovicium arcem praemunitam venisse in victoris potestatem. Movit haec legatio Caesarem, ut sui officii esse duceret, quantumvis graves caussae subessent, quae properantem morarentur, aliquando regum desiderio occurrere; haud ignarus, quanti sua interesset, quae per alios acta accepisset, se praesente, confirmari. Nam reges instare, urgereque de adventu non desistebant, ad priorem legationem alia decreta, qua Hieronymus Balbus functus, vir cumprimis disertus, et acerrimi ingenii, Caesarem quem Oeniponti adierat,' maiorem in modum movisse dicitur, ut aliquando vere statueret tantorum regum maiestatis habere rationem, quam illi minime vilem esse crederent, certe crederent minime esse debere. Nam etiam si de illius fide, et constantia non dubitarent, dandam tamen operam existimabant, ne quod esset temporis, esse aut voluntatis,aut ingenii suspicarentur, quorum utrumque illi esset omni ratione deprecandum. Nam,si minus duceret dignos(quod tamen ut suspicarentur, vix possent inducere animum) quibuscum congrederetur, at minime indignos statueret, quibus quae esset sua de ea re sententia, litteris nunciisque, cuius rei illi non deesset facultas, significaret. Quae quamquam Balbus satis acriter, accurateque egisset; distulit ta-

nien Caesar responsum, in aliquot dies, ut videtur, regibus subiratus, qui visi essent, non sine sua magna invidia suam fidem in dubium vocare. Neque in eo tamen eorum constitit sollicitudo. Nam, et alius ab his missus orator, Protesislaus Scemihaus Boemus, quem Maximilianus iussit secum ad suum adventum manere; et mox Nicolaus Siculus Vngarus eques, et cum eo eiusdem ordinis Petrus Polonus; quos comiter, humaniterque acceptos dimisit, datis ad reges litteris, quibus se, posthabitis rebus omnibus, quantumvis illis magni momenti, Posonii citius omnium spe, atque exspectatione affuturum spondebat. Inde omni reiecta cura, quae adeo necessariam profectionem moraretur, accelerato itinere VI. Idus Iunias Viennam pervenit praemisis ad reges nunciis, qui eos iam de discessu cogitantes de suo adventu docerent. Quo illi nuncio accepto, quam honorificentissimam ad illum legationem decernunt, delectis ex principibus magnae existimationis hominibus, et praecipuae nobilitatis, qui illi adventum gratularentur, laeti constantiae sibi, et moderationis fructum quem optaverant, quam speraverant magis constare. Inde missi a Ladislao Quinqueecclesiensis episcopus, Ladislaus Boemiae Cancellarius, et Moses Buslaius summus aulae praefectus; a Sigismundo episcopus Posnaniensis, Lucas Poloniae regni praefectus, Christophorus Schidlovicius Cancellarius, quos equites quingenti egregie instructi ad regiam pompam magnificentiamque sequebantur. Hinc remissis ad regem legatis, ipse Idibus Iul. Vienna proficiscitur stipatus ingenti equitum. et peditum manu, cum nemo in magno numero haberetur, quem non aut insignis nobilitas, aut honestior militiae ordo commendaret: simul Ioannem Cuspinianum cum mandatis

ad reges ire, et cum his de loco, ubi congredi placeret, deque ceteris rebus, quae ad colloquii summam pertinerent agere diligenter iubet. Per eundem, ne quid esset in congressu, qua in re, aut nimium reges ambitiose agendo de suo iure decederent; aut offenderent nimium sui iuris memores,quid et qua ratione placeret agi,ubi ventum in congressum esset,constituitur.Ita autem convenit,sive equo vehi,sive rheda,lecticave mallent, non Caesar, non reges salutandi caussa equo, rheda, lectica descenderent, et amicitiae munere, amabili aequabilitate et plane vacuo ambitione animo, stantes suo loco fungerentur. Ita visum iri, humanitatis simul, et dignitatis tum fratrum regum ,tum Maximiliani habitam rationem. Id quidem a Maximiliano consulto excogitatum ad moderationis, et temperantiae laudem captandam,paullo post apparuit. Locus, de gentis more, qua fines utriusque ditionis arbor dirimebat, congressui delectus. Quae quamquam magna concordia animorum ita essent acta; cum Sigismundus Hamburgo una cum liberis, Ladislaus eodem tempore Bruggo movisset: Caesar contra, atque convenisset, alligari nullis conditionibus animi magnitudinem suam passus, simulatque eo accessit lectica delatus, descendit, quaesita comitatis, et moderationis tanto maiore laude, quanto superior muneris, et personae maiestate haberetur. Certatum equestri pompa, et splendore comitatus inter Germanos, Vngaros, Polonos tres nobilissimas gentes, ut numquam antea magis ad summae aemulationem laudis incensis studiis. Germanis pro gentis ingenio, et maiorum gloria, cura omnis in cultu armorum, quae animi magnitudinis, fortitudinis decus ostentarent ita corpora militiae laboribus durare assuetis: ut ubi arma niterent, quod

alibi a nobis demonstratum est, reliquum cultum, qui, praeter necessarium usum, parum virilem ornatum, unam modo divitiarum ostentationem haberent, aspernarentur: id enim iis persuasum est, per huius unius rei studium flecti ad mollitiam animos, atque enervari vires, quas quidem, ubi rei militaris ratio postulet, quam unam artem nobilitas novit, in gerenda re, fatiscere, et relanguescere existiment. Aliarum gentium, ut varii mores, atque instituta, ita haud dissimilis ornatus: in quibus Vngari Polonique excellebant; cum quidquid auri, gemmarum, purpurae, peregrinae vestis apud eos reconditum esset, tamquam in eius unius diei celebritatem, et pompam paratum protulissent. Cum vero omni alio genere magnificentiae, et splendoris, tum equorum ornatu in primis ceteris anteibant, quos stratos auro gemmisque, quasi eductos in pompae certamen, aemuli peregrinae laudis ostentabant: utriusque enim gentis cum equestris rei cura, et studium par, tum minime varium iudicium genere equorum probando, quos e Thracia fere, ut moroso, atque anxio delectu, sic sumptu ingenti quaesitos haud malam rationem secuti, omnibus praeferunt, levi armaturae aptiores in pugnando homines, quod militiae genus generosae indolis equos, atque eximiae pernicitatis ad cursum requirit, qua laude Thracii equi ceteris fere antecellere creduntur, assueti tenui pabulo contenti magno ferendo labori. Nam gravis armaturae usum nullum noverunt, rei minime necessariae iis, qui virium robur a virtute, et magnitudine animi, non ab armorum onere petunt, quo viri fortes, ut ipsi contendunt, non indigent; inertes, et diffidentes domesticae virtuti obruuntur. Vbi in complexum ventum est, Caesar bene rebus ominatus, cum

non pateretur prius ulla de re mentionem fieri, utrumque regem per Gurcensem rogat, quod iis posterisque felix faustumque sit, suisque, animum inducant colloquium indictum Posonium, et coeptum iam adeo Viennae peragere, atque apud se in regiam divertere: hoc sibi, et in praesentia perhonorificum, et magnificentissimum ad posteritatem futurum de sua fide, et constantia tantos reges iudicium dignum sua virtute, et magnitudine animi fecisse, et ad comparandam sibi apud omnes gentes comitatis, et moderationis laudem peropportunum. Visa regibus invitatio Caesare digna, et cuius altitudo animi maiestatem imperii aequaret. Itaque, quamquam principibus Vngaris spatium ad deliberandum sumentibus, sive illi recte censerent, in minime necessaria re, non esse trium regum salutem alienae fidei permittendam; sive insito in Germanos odio insignem magnificentiae laudem Maximiliano inviderent, quae illum minime dubia apud nationes omnes, et gentes manebat: Sigismundus, quidquid morae iniiceretur id totum de sua laude, et de Maximiliani in se animo detractum iri arbitratus, (non enim erat dubitandum, quin magna cum illius offensione eius fides revocari in dubium videretur) simul veritus, ne aequitatis, facilitatisque suae famam, quam minime sibi praereptam vellet, cunctatio, et mora corrumperet: Enimvero, inquit, nihil sibi caussae videri subesse, cur non aeque illius fidei vitam, fortunas, salutem permitterent, cuius affinitatem, et sibi, et posteris futuram honestissimam maturo consilio, maximorum in Europa regum praeoptassent. Iret secum frater deo immortali bene iuvante, et quando referre primam laudem non licuisset, ut in munere hospitalitatis fungendo non an-

teverterent, agnoscenda Caesaris facilitate darent operam, ut quae proxima laus esset, discerent ab eo qui vere nosset, quod regum munus haberetur, reges esse. Vbi contentio de officii laude susciperetur, quibus non liceret referre primas, quas sibi maior virtus vindicaret, eos haud turpiter secundas petere; quae eorum laus esset, qui meliora docentibus inducere(n)t animum parere. Praeclare vero secum agi, qui ei se crederent cuius esset multo maius futurum dedecus violanda fide, si hoc modo de Maximiliano esset statuendum, quam eorum, in quos violata esset, incommodum, et detrimentum: ita enim posse reges tolli, ut manerent regna, atque illa adeo neque facile, neque temere innitenti malis artibus invadenda; in eo qui fidem violasset, manere etiam vita defunctum, in multa saecula infamiae, et dedecoris aeternam labem. Ita Viennam, assentiente Ladislao fratri vera dicenti, itum triumphali pompa, quasi e suis sedibus convulsa civitate, magna frequentia, et celebritate omnium ordinum obviam egressa: certe ita video inter omnes convenire, nullum umquam clariorem diem Viennensium Civitati, quantum memoria repetere grandes natu homines possent, ad eum diem illuxisse. Non est operae, neque si esset, nostrum consilium est, diu morari iis describendis, quae, deducente reges in hospitium Caesare, ad domesticam magnificentiam ostentandam sunt excogitata: et quod ab aliis, litteris prodita leguntur, et quod statuimus aliena a scriptoris gravitate, qui paucorum iudicio servit, multorum non temere indulget, cum gravius illi in scribendo munus propositum sit. Dati perpauci dies exhilarandis, relaxandisque animis, quos anxios curis Maximilianus dubii eventus exspectatione, distinuerat. Hinc XIV.

kal. Sextil. Caesar principibus ascitis, quorum fidei arcana consilia credebantur, brevi oratione fratres reges allocutus: accidisse vero, inquit, praeter animi sui sententiam insigni fortunae iniuria, ut, quod unum semper maximum in votis habuisset, non licuisset per occupationes suas gravissimas, de quibus non esset consilium pluribus agere, cum ea neminem fugerent, hominum spe, atque opinione maturius, amicissimis regibus adventus sui diem repraesentere. Difficile quidem dictu, molestiusne hoc sibi acciderit, cui solida voluptas, ex officii accelerati laude esset speranda, an iis ipsis, quibus ea mora minime illa quidem ex eorum temporis ratione, gravis, et molesta fuisset: certe in eo suam conditionem esse deteriorem, quod, et suum dolorem simul, et amicissimorum regum doluerit, quos gravissima incommoda perpessos diuturnae morae taedio, non ignoraret, atque id quod minime voluisset adeo sua caussa: ex qua molestia sua tanta uberem se tamen fructum consecutum esse, ut, quod sibi de eorum in se benevolentia pollicitus esset, minime se eo intelligeret falsum fuisse, id quod totum eorum aequitati facilitatique sibi intelligeret acceptum referendum. Quae de foedere, et pace sancienda, acta audisset, eo censere sibi magis rata habenda, quo magis intelligeret, cum ea esse Christianae reipublicae salutem, otium, et securitatem coniunctam, a qua numquam, pro sua religione, et pietate separata consilia habuisset. Ita vigere Christiani nominis hostem regum discordiis, discidiis populorum, ut nihil sibi certius esset, quam illum, ubi vere coire eodem consensu in sacri belli expeditionem vellent, per eorundem coniunctionem, deiectum sublatumque iri. Eo quidem semper sua consilia omnia spectasse, cuius rei testem

deum immortalem, quem eundem haberet auctorem rerum omnium, ut coniunctis viribus, cum ceteris Christianis regibus, in Turcam hostem salutari expeditione suscepta se duce, atque imperatore arma converterentur: quae sinistro reipublicae fato inter se Christiani populi exercerent; ut ab eorum commemoratione abstineret, in quorum improba cupiditate, Christianae reipublicae summam moderantium, tanti incommodi culpa resideret. Ita semper se cupidum fuisse verae laudis, ut eam certam, et solidam sibi sperandam statueret, unde materia suppeditaretur ad orbem terrarum importuna barbarorum dominatione liberandum. Quo minus id licuerit volenti, Gallorum olim bella gravissima sibi partim a Ludovico Vndecimo illata, partim a Carolo VIII. eius filio, impedimento fuisse: quorum quam insignes iniuriae, quamque acerbae, atque graves in se domumque suam exstitissent, qui ignorarent, ii simul ignorare se quoque ipsi viderentur. Quod reliquum esset, rogare obtestarique adeo si id modo a se fieri pro sua fide, et constantia paterentur, quod paullo ante ominis caussa praefatus esset, darent operam, ea meditando, quae digna maiestate summorum regum haberentur, ut quo vinculo amicitiae, atque affinitatis tres reges in terris maximi essent iuncti, eodem Christiana respublica adversus Turcam hostem perpetuum devincta staret. Ac quando tum a romano pontifice, tum a ceteris fere Christianis regibus, et liberis populis, legati viri amplissimi in eo conventu adessent, censere eos etiam atque etiam orandos, darent operam, ut positis armis dissidiisque omnibus, et controversiis sublatis, in eam se traduci sententiam paterentur, in quam sententiam propendere animadverterent trium

regum inter se consentientium animos, quorum virtute, consilio, copiis Christiana respublica inniteretur. Effecturum se quidem, ut, quod illis verbo sponderet, non suae, non suorum salutis, non vitae memor, quam naturae deberet, et necessario aut domi in otio, aut foris in acie defungendam sibi intelligeret, sed personae, et muneris, quod sacrosanctum, atque augustum, dei immortalis providentia, ut credere fas esset, in terris gereret, consilio, auctoritate administranda re, manu in hostem pugnando praestaret. Dei beneficio esse in sua ditione, atque imperio, Christiani orbis magnam, et luculentam partem bellicossimas nationes, Germanos, Belgas, Italos, Hispanos, Galliae populos nobilissimos, et fortissimos; ut si optimae caussae accederent ceterorum regum, et populorum coniunctae vires, minime esset dubitandum, quin ubi tantis copiis tot praesidiis Christi caussa munita esset sua sponte firmissima, illic quoque esset victoria futura. Cum ita Caesar perorasset: cetera, quorum caussa convenissent, uti acta per suos legatos primum, et mox se praesente essent, in easdem leges percusso foedere, se rata habere, confirmareque dixit, atque adeo, ut nihil adderet, tolleret, mutaret. Ita XI. Kal. hinc Caesar ornatus imperii insignibus, illinc Ladislaus medius inter Ludovicum filium, et Annam mox, ut credebatur, Caesari nupturam, sequente Sigismundo cum regio Polonorum comitatu, ad Stephani, quae est in urbe omnium aedes magnificentissima facta populo ingrediendi potestate convenere: cuius frequentiam, cum satis per se magna sit semper quippe urbis peropulentae, et opportunae in primis ad commercium exterarum gentium, ingens hominum multitudo augebat, qui permulti non solum e vicinis urbi-

bus, sed e longinquis etiam regionibus spectaculi caussa confluxerant. Attollebatur in superiore parte templi per aliquot gradus, suggestus peramplus, atque in omnes partes aperto prospectu, ut quae agerentur a populo spectari commodius possent. In eum Caesar, de more, sacris peractis conscendit, duobus regibus eum medium accipientibus : mox Strigoniensi Cardinali verba praeeunte, Annam Ladislai destinatam adhuc incerto viro, (Maximiliano enim adhuc in integro res erat, utrum sibi illam mallet an uni ex nepotibus nubere) sanctissimo iureiurando patri patruoque obstricta fide, datam in manum accipit, et simul ornatam corona aurea reginam salutat. Atque hoc loco non est praetereundum Maximiliani cum ea de re ageretur, scite, et venuste dictum : cum non deessent, qui illi essent auctores, ut vigenti adhuc aetate, et firmo constitutionis robore, quamquam grandis natu, egregia atque eximia forma puellam duceret: se vero a parente principe sapientissimo accepisse, cum de re haud dissimili esset mentio orta : Seni iunctam puellam, dulcem quidem, et suavem potionem haberi, sed eandem dilutam veneno : per brevem voluptatem, quae pararetur vitae iactura prudenti homini, et sui potenti magno cum dedecore quaeri, non magna cum laude contemni. Aliud Vngaris traditur, qui iis agendis interesse potuerunt, haud alienum a Maximiliani ingenio: cum illi data nuptiarum optio esset, Annae puellae amore captum noctem ad deliberandum sumpsisse, quam cum animo versaret, quanta cum brevi voluptate esset coniuncta dignitatis iactura, ubi percrebresceret intempestivo amori senem indulsisse, anxium curis insomnem traduxisse : recens exemplum Ludovici regis Gallorum effecisse, ut sau-

cium amore animum haberet in potestate, qui ingravescenti aetate, Henrici Anglorum regis Mariam sororem, uxorem duxerat, puellam vix maturam viro, et forma excellenti : cuius magis, quam valetudinis memor, cum ea ipsa vitam simul, regnumque amiserat. De duobus, utri magis Annam nubere expediret, Carolo, an Ferdinando, aliquamdiu aiunt consultationem tenuisse. Atque e Germanis quidem pluribus desponderi Carolo placebat, praesertim cum Ferdinandi proclivior animus ad pacis artes, sacra et religionem spectare crederetur, caste a primis annis in Hispania, ad interiorem cultum Christianae pietatis institutus. Quae quamquam ita essent; ut tamen Carolo Ferdinandus praeferretur, effecisse adversa Vngarorum studia, recusantium Carolum tot regnorum potentem, et certa spe imminentem Germanorum imperio, Vngarici regni successorem; id quod moliri animo Maximilianum, si quis casus Ludovicum de medio tolleret, suspicabantur. Mox eadem ceremonia Maria puella Ludovico nupsit, et regina appellata est, parum laetis Vngarorum auspiciis, haud multo melioribus suis. Quibus ita administratis, V. kalendas sextilis foedus in eas leges ictum, et publice populo per Cuspinianum perlectum est, nonnullis suppressis, quae fugere multitudinem vellent, cuius ea cognoscere parvi interesset; quae inter magnos reges acta, ut nihil commodi, sic nihil damni, aut detrimenti cuiquam magis, aut minus perspecta afferrent. Ita a Caesare fratres reges digressi, in Pannoniam alter, alter in Poloniam rediit, uterque quidem ita animo affectus, ut existimaret non solum affinitatem cum Maximiliano, verum etiam per eam, amicitiam solidam, perpetuamque iunctam : id ita esse dies declaravit : ictum enim foedus

inter utramque regiam quamdiu fata tulerunt, ne mors quidem, quae alia omnia dirimit, violare frangereve potuit: posteri quidem aemulati eorum laudem pari constantia religioneque sancte coluerunt. Fuit hic regum congressus Maximiliano magno honori apud exteras gentes, longe lateque fama eorum, quae acta Viennae essent ex Austria et Germaniae finibus egressa. Atque inerant quidem Maximiliano a natura insitae virtutes fere omnes, quae in summo rege sunt conspiciendae, animus augusto honori par, peracre ingenium, et supra fortunam suam sese efferens, quam indulgentissimam semper esset expertus; ut neque praesentia explerent animum poscentem semper maiora iis, quae parta haberet; et, ubi liceret iis potiri in quibus esset acquiescendum, iis quasi illecebra, ad ea concupiscenda, a quorum spe longe abesset, incenderetur, unus non aliis modo, sed, si mos esset ingenio gerendus, se ipse etiam maior. Idem omnium prodigus, quae aut fortuna, aut industria hominibus largitur, unius laudis, et gloriae tenax ad invidiam usque, cuius studio cum haud raro spe longius progrederetur, et nullos haberet cupiditati praescriptos fines; nihil erat quod impleret plus aequo cupiditate, atque ambitione elatum; in omni fortunae varietate, sive illi secunda adspiraret, sive reflaret adversa eundem animum gerentem. Ita illius cupiditatem, ne ea quidem fortuna aequavit, qua nulla habetur in terris maior. Accedebat formae dignitas, et oris decus, par magno gerendo imperio, ut si eo modo standum esset, abessent cetera, quae vere in homine nomen, et maiestatem regiam tuentur, non ille a fortuna, aut ab hominum suffragiis habere regnum, atque imperium, sed fictus naturae manibus, ac conformatus ad imperandum videretur.

Tuebantur haec, quae conspiciebantur, animi aequitas, facilitas, comitas, et quidem non Maximiliano solum, atque eo quidem multorum, ac maximorum regnorum moderatore; verum etiam principe orbis terrarum digna: ut ad gloriam natus, atque ad eas excolendas artes, quibus fama inter homines, et nomen comparatur, omnia contemneret, quae parta fortunae indulgentia destituerent concitato cursu ad summum gloriae verticem contendentem. Saepe illum aerarium, cum tot populi, ac gentes unius imperio parerent nullum in dando, ac profundendo invenientem modum; numquam animus sumptui faciendo largiendoque defecit. Neque cum aliis magis certabat magnificentiae laude, quam ipse secum: ut cum nihil omitteret, quod esset magnifice agendum, et pro nominis maiestate, quidquid deesse crederet properanti ad summam laudem, quamquam id esset omnium opinione maius, id totum de sua laude detractum iri existimaret. In hoc quidem regum congressu, centum quinquaginta nummum aureorum millia, perpaucorum dierum spatio, quo peracto, colloquium diremptum est, Cuspinianus affirmat impensa fuisse. Quae quidem summa, ut immanior videretur, frugalitas eorum temporum efficiebat; certe eiusmodi, ut hac ipsa etiam aetate cum luxus, epularumque magnificentia in immensum modum, atque infinitam licentiam excessit, summis etiam regibus possit magna videri. Mansit Anna apud Caesarem Viennae ad nuptiarum usque tempus, ut discendae Germanicae linguae, cuius illi erat necessarius usus nuptae Germano, operam daret. Neque vero cuiquam verisimile videatur, id quod Tubero tradit, caussam Ladislao fuisse relinquendi filiam Viennae, cum liceret cum fratre una in Poloniam mittere, qui id enixe praeser-

tim postulabat, quod vereretur, ne Barbara regina, quae soror eadem Scepusii erat, memor veterum simultatum, quae inter fratrem, et Ladislaum intercedebant, minus prolixe, et liberaliter puellam tractaret : reiicit enim tam impudentem calumniam, Barbarae reginae sanctitas, atque exculti ad veram pietatem mores quam, ad hunc usque diem Poloni laudibus maximis in coelum ferunt.Sed haec ille, ut pleraque alia temere et nullo certo auctore, quamcumque in partem elatus odio, intendit stilum, quo nullo discrimine in omnes utitur, numquam magis suae fidei, quam ingenii memor. Per id tempus, quo Ladislaus abfuit, ut supra commemoratum est, minimae quietae res in Vngaria fuerunt, per speciem pellendi Turcas, vetere consuetudine, in Vngariae fines excurrentes, a Scepusio sumptis armis, consulto dissipatis rumoribus, ut nonnulli crediderunt, barbaros magnis contractis copiis, in regni fines, quo magis necessaria expeditio crederetur, irrupisse. Fuisse autem hoc excogitatum, ut per excitatum belli tumultum, dirempto regum colloquio, Ladislaus, omissis in praesentia parum regno salutaribus consiliis, quod Scepusii studiosi homines vulgo persuadere conabantur, ad eum rerum motum compescendum in Vngariam rediret. Hanc ortam suspicionem auxit non obscura fama, quae per aliquot dies tenuit, duobus fratribus regibus, cum nondum Posonio movissent, sub Maximiliani adventum insidias in itinere comparatas, quo, per hanc rationem redacti in potestatem, in eas quas mallet conditiones descendere, vellent nollent cogerentur. Quae exorta fama, ut videtur ob nimiam Maximiliani cunctationem, raro umquam fere non fallax, cum longius paullo a sua origine progreditur, facile, ut diximus, est Sigismundi gravitate, et constantia discussa.

cum sibi aeque, et fratri meliora ominatus, colloquii dirimendi caussa, falsos rumores dissipatos a cupidis rerum novarum hominibus demonstrasset, quorum consiliis, haec regum coniunctio, affinitasque obstaret: neque enim ignorabat, quo spectarent a fratre aversi nonnullorum e principibus animi, quibus assuetis per regis indulgentiam regnare, esset gravis futura Maximiliani potentia, ubi per accessionem regni maximi, atque opulentissimi, altius efferret per se omnibus, ut cetera abessent, iam plus aequo formidolosas vires. Neque vero credebant contracta ea affinitate, permagni interesse, Ladislausne, qui totus futurus esset in alterius potestate, an Maximilianus regnaret, qui minime Ladislai ingenii ignarus hoc unum spectasse in iungenda affinitate videretur. Praeclare Maximilianum sensisse, cautum magis principem declinandis inimicorum insidiis, quam aptum struendis: male de eo inimicos iudicasse fallacibus innitentes coniecturis, brevi rei eventus indicavit. Neque interea tamen Vngari reprehendendi, quod nimium cauti in procuranda regni salute haberentur. In dubiis enim rebus, si quando de summa imperii agatur, in eam partem peccare, quae est tutior, sapientium hominum est, qui male adeo speciosum titulum tuentur, ubi temere quae obiiciuntur sibi statuant assentiendum. Nam si quando plus aequo solliciti de rerum eventu, quae veri similia sunt sumunt pro veris; in eo videntur laudandi quod nullius cum incommodo statuant vitanda, quae neglecta sibi possunt esse fraudi: ut maxime ex sententia eveniant, nimiae sedulitatis accusari queant; quae numquam nimia sapientibus iis malis declinandis est visa, quae undique vitam hominum circumstant, saepius impendent unde minus fuerunt exspectanda. Nam quod

cundia; contentione animi maiore, per alienam personam suum ius tueretur, solitus facile de suo iure decedere, et obsecundare ingenio, ubi suscepta contentione de rebus etiam gravissimis, victo esset magnificentiae speranda laus. Per aliquot dies cum res, quamquam attentiore cura acta, variantibus sententiis, non facile perduci ad exitum posset: varii generis edita spectacula, et equestres ludi: quibus morae taedio fessi regum animi levarentur. In his institutus nobilium equorum cursus, quibus Georgius Scepusii frater magnae spei, atque indolis adolescens victor palmam tulit. Sed omnium oculos Moschus novo spectaculi genere in se convertit. Insidens Thracio equo ducebat alterum manu, ita utriusque aut adductis aut laxatis habenis, quemadmodum cursus ratio postulabat, qui quam concitatissimus erat, ut ex uno in alterum, crebra vicissitudine, in medio cursu insiliret, rei miraculo stupentibus omnibus. Neque inter ea tamen quidquam de pristina diligentia remissum, quo semel incepta actio sublatis controversiis omnibus peragerétur. Ita, cum, post longam disceptationem de affinitate in certas conditiones convenisset: placuit de regum sententia, ut eae ad Caesarem Augustam Vindelicorum, ubi tum substiterat, perferrentur: quas si probaret, id quod futurum sperabant, iam nihil subesse caussae crederent, cur ulterius suum adventum differret. Ita pridie Idus Aprilis Gurcensis, id unum votis omnibus, regibus exposcentibus, Viennam rediit, spe certa confirmatis animis, Caesarem propediem affuturum: simul ad eum mittit certos nuncios, Augustae de his, quae acta essent operientem, Guilelmum Regendorfium, et Laurentium Saurerum magni consilii, et virtutis homines, qui eum docerent quando iam esset dei be-

neficio ex sententia de aliis rebus omnibus transactum, unius Caesaris adventum qui illas, ut convenerat, ratas haberet, fratres reges opperiri, quos diutius frustrari sua spe, neque eorum dignitas, neque Caesaris constantia adeo pateretur, cum illius fidem secuti, magno reipublicae incommodo, Sigismundus maxime, Posonium venissent. Perturbavit reges iam per se nimium anxios de Maximiliani in se animo tristis per eos dies quibus haec agebantur subsecutus casus; cum apud captos superstitione animos facile in omen vertisset: Nondum enim Cardinali Posonio profecto, Bartholomaeus Minsterburgensis a Caesare ad reges orator missus, cum, secundo flumine Vienna Posonium navi veheretur, amnis vorticibus contorta, ac retro acta navi, fluctibus obrutus interierat. Quo quidem casu, ut vehementius quam par est commoverentur, alius hunc statim secutus effecit aeque tristis, et funestae memoriae in omnem posteritatem, si quis, imbuto prava superstitione animo quae tum acciderunt ad ea referat, quae aliquot post ea annis, regnum poscente Ferdinando, Joanne tuente armis ab Vngaris delatum, accidere: qua de re quid sit statuendum ii viderint, quibus non satis est plecti praesentibus malis, nisi impendentium metu ex vanis mathematicorum praedictionibus prudentes, et volentes torqueantur; quorum cum dubius eventus sit, et ad multo reconditiores caussas, quam ad eas quas nobis fingimus referendus, certo ex his sensu atque animi angore affici, extremae dementiae est: eodem enim fere tempore, quo haec, ut diximus, ita administrabantur, tetro incendio Posonii exorto, cum late conceptam flammam venti vis distulisset, magna urbis pars, atque in ea Ladislai regia hominum sedulitatem, atque industriam vi incendii

essent praestaturi, ubi spes bene rem gerendi affulgeret, minime Vngaros violaturos existimarent: quod casus afferret, Scepusium in occasionem bene gerendae rei vertisse. Ita barbaros, non exspectati belli fama oppressos, sub Vngarorum adventum cessisse, quaesito receptu intra regni fines. Qua re animadversa Scepusius spei plenus, suos ad rem capessendam sua sponte alacres non longa oratione adhortatur: Quamdiu occasionem secunda fortuna offerret, rem ex sententia gerendi quae raro iis diu faveret, quibus semel se benignam ostendisset, beneficio fortunae utendum, neque abscedendum a cedentium vestigiis, qui, praeter exspectationem, peti bello, spem salutis in turpi fuga, virium suorum, et Vngarorum conscii positam haberent; quibuscum pari Marte congredi numquam essent ausi, numero, qui haud obrueret veram virtutem, non disciplina militari, non animorum robore umquam superiores. Qua virtute freti, ingenti sua gloria patriam domestico bello liberassent, positam in magno discrimine, eandem in Turcam aeternum hostem ostenderent, futurum iis praedae, a quibus vinci, quamquam circumvallatus immensis copiis, constantia et magnitudine animi potuisset. Neque vero esse, cur quemquam foederis religio moveret, cum expressi per principum infrequentiam a parum sanae mentis rege, tum icti cum eo hoste, qui haberet adversus religiones omnes perpetuum indictum bellum. Vnam religionem haerere animis, et sanctam esse Vngaris debere, ut nullam sibi colendam religionem, cum eo genere hostium statuerent, in quos sumpta honesta arma, et gloriosum bellum efficeret toties ab iis violata pietas, prodita fides, terra mariquc infestis armis oppugnatum Christi nomen; tot vastatae provinciae profanis

atque impiis manibus; tot eversae urbes, tot templa sanctissima, quibus Christi sacra colerentur, solo aequata; incensa antiquitatis monumenta; quibuscum una liberales omnes artes, atque omnis humanitatis cultus concidisset. Vaderent vero animis alacres in hostes barbaros, eius signa atque auspicia secuti, quo duce, vincere sceleratos cives didicissent inferentes patriae impia arma; onusti praeda, et gloria aucti, in patriam ad suos penates redituri. His incitatum militem Cernovicium ducit; quod oppidum edito loco in modum arcis situm, haud longe Belgrado distat, qua Danubius superiorem Moesiam ab Vngaria disterminat. Erat in eo oppido non contemnenda militum manus, quorum praesidio Turcae, nostros, manente etiam vetere instituto religione foederis, ab effusa populandi, ac praedandi licentia prohibebant. Eam arcem, quod hostibus propter locorum propinquitatem, magno erat usui ad exploranda nostrorum consilia, qui Belgradi in praesidio erant, adoriri, atque maioribus tormentis adductis, ne quid spatii relinqueretur ad militem e propinquis praesidiis accersendum, subito oppressos improviso malo, oppugnare constituit. Non procul a Cernovicio Samandria aberat, quam urbem Iacius Turcarum praefectus, magni animi vir, et spectatae virtutis, valido munitum praesidio defendebat. Nihil vero a nostris agi tam occulte, quin continuo ad hostes perlatum, pari celeritate Samandriam ad Iacium deferretur, ad quem iis in locis summa imperii spectabat. Interea Scepusius, qua tumulus modice acclivis, faciliorem ad oppidum ascensum praebebat, tormentis ad arcem traductis, muros summa vi verberari iussit. Erant Scepusiani ad V. hominum millia, magna equium pars, ut parum valida manus, si quis modo nume-

rum spectaret, ita virtute, et rei militaris usu, ut dictum est, in primis, ad rem gerendam apta. Iam deiecta muri parte, qui in praesidio erant, cum, propter militum exiguitatem non essent, qui integri fessis succederent; veriti ne, si nostri oppido per vim potirentur, quod quidem futurum non dubitabant, victi omni suppliciorum genere Vngarorum odium explerent, de arce iis dedenda, quo in se aequioribus agentibus de conditionibus uterentur, consilia agitare coeperunt. Quod flagitium indignum Turcarum nomine, cum nonnulli morte quavis luendum censerent, pervicerunt; ut nuncii ad Bassam Samandriam mitterentur, qui docerent, quanto in discrimine versaretur omnium salus; minime dubii, quin Iacius, cognita re, ferre suis auxilium ne cunctaretur, vir, ut postea docuit eventus, magnitudine animi, et rei militaris peritia insignis. Ita prima noctis vigilia falsis nostrorum custodiis, dimissi nuncii Samandriam proficiscuntur, quod oppidum, ut diximus, haud ita procul Cernovicio abest, ac barbarum adeunt, docentque quibus rerum angustiis milites qui sint in arcis praesidio Cernovicii laborent, adversus hostem ferocem fiducia virium, et Turcarum paucitate, opem atque auxilium implorantes. Ni properet oppressis, atque in extremum vitae periculum adductis auxilio ire, brevi futurum, ut quaecumque arces Selimus in Vngariae finibus habeat, in potestatem hostium redigantur. Neminem vero posse dubitare, cui Selimi imperatoris severum ac triste imperium suorum socordia vindicanda exploratum sit, quin, si quid inde incommodi, et detrimenti accipiatur, id magno cum eius periculo sit usu venturum, cuius fidei provinciam tradiderit administrandam; de qua nihil detrahi possit, quin simul plurimum de imperatoris maiestate detraha-

tur, quam inviolatam intemeratamque servari adversus superbi hostis insultus omnes, vita suorum et sanguine, si usus requirat, aequum sit : nihil quidem certius esse, quam eum cuius non sit fortuna maior, quam animus, et ingenio insitum gloriae studium, magnam inustam maculam Turcarum nomini, multorum flagitio multorum pariter supplicio sublatum ire; eius in primis, cuius aut inertia, aut perfidia sit flagitium admissum. Permagni interesse communis salutis, quam habeant cum Selimi maiestate, et publica caussa coniunctam, omni praecisa mora, occurrere hostium audaciae, ne, si quid durius accidat, id suae virtuti tribuant, atque ulterius elati successu, in interiora provinciae irrumpant, cuius retinendae, ut lingua, et moribus, sic hominum ingeniis, et studiis a Turcarum gente aversae, nulla sit spes futura: haud diu enim manere in fide consuevisse, quorum animi non religione officii, sed metu mali, qui unus fere multitudinis consilia moderetur, et commodi spe contineantur. Nam, simul atque succedat a quo plura habeant, quae aut metuant, aut sperent: ab eo refugientes, quem faventem frustra respiciant opis atque auxilii indigentes hostem, qui infestus immineat vereantur; quo spes certior, et metus adigat se conversuros. Quantam vero infamiam praefecti futuram, si hoc percrebrescat, eo per otium spectante, eversa, atque exscissa arce munitissima, fortissimos milites, quorum praesidio maiestas tanti imperii tuenda permissa sit, aut vivos captos venisse in hostium potestatem, aut desertos et proditos a suis, crudelissime interfectos? Affuturum divinum numen pugnantibus adversus foederis ruptores; cuius quidem religionem usque adeo contempserint, ut eorum tempori insidiati, quos per

interpositum insiurandum data, et accepta fide, abstinere ab iniuria, et maleficio omni aequum fuerit, aggredi incautos imparatosque veriti non sint. Cognito Bassa suorum periculo quamquam minus a bellicis copiis paratus, consilio agendum, ubi deficerent vires arbitratus, nuncios remittit; atque bono animo obsessos esse iubet: simul hortatur ut viros fortes deceret et Selimi milites tanti imperatoris, pergerent impigre, uti ad eum diem fecissent arcem adversus vim hostium tueri: daturum se operam ne diutius, quam necesse esset, qui tam scelerato incepto ius gentium, et foederis religionem violassent, impune ferrent: tolerarent modo paullisper hostium impetum, et consilio, atque animi magnitudine eluderent se invehentium ferociam, simulatque in congressum venirent; audaciam verae virtuti cessuram, quam numquam feliciter sceleratorum hominum perfidia, atque arma oppugnassent. Ne plus aequo deiicerent animos; eorum spe celerius se auxilio suis affuturum. Ea re ita administrata, ne magnificis, et speciosis verbis videretur parum virtus, et magnitudo animi respondere, deductis ex proximis praesidiis militibus, atque, ut subito potuit, coacta agrestium manu pari adhibita celeritate, suis ire auxilio pergit. Quamquam vero agrestes homines, et cultus idem religionis, et lingua eadem suis cogebat favere, metu supplicii tamen inviti, et tergiversantes quod in praesentia satis esset, imperata faciebant. Quod cum minime Bassa ignoraret: antequam propius accederet ad Scepusii castra, ab arte, et consilio, quod minus a virtute, et numero militum suppetebat, petere subsidium constituit. Ita quosdam ex his nactus, qui Vngaricae linguae periti, atque eiusdem gentis, cultusque essent, quo magis dictis fides exstaret, transire,

per speciem transfugii in castra hostium iubet, ingentia praemia pollicitus, ubi impigre atque industrie mandata exsequerentur: simul docet, quae eos facere, et qua ratione velit. Neque secus quam cogitaverat accidit, metu ab invitis, quod nulla religio efficeret, et spe praemii exprimente. Ita temere accepti a Scepusio in castra, et ad se perducti, facta loquendi potestate, se pastores esse ex proxima Illyrii regione, aiunt, quae in Turcarum ditione sit: quod detrectantibus imperium intelligerent, ultimum supplicium subeundum, coactos metu adversus eos arma sumpsisse, quorum maxime victoriae faverent, eiusdem generis homines, et iam inde a maioribus Vngarorum affines, et consanguineos. Sperare, sibi eo facilius fidem haberi, quo minus aut simulandi necessitas, aut dissimulandi apud notos sibi homines, et quibus noti essent ipsi. alienam personam ementientibus esset. Habere se compertum, Turcarum maximas equitum peditumque copias ad arcem obsidione liberandam adventare. Ita vero illis cum militibus, qui in praesidio essent convenisse, uti eodem tempore, his ex arce erumpentibus illis, de improviso a tergo castra adorientibus, circumventi medii utrimque Vngari caederentur. Vt fides sua, et communis caussa postularet, monere de eo ducem constituisse; atque adeo etiamsi non ignorarent, ubi manaret, quae se supplicia apud Turcas manerent hoc pietatis officio functos, quos nullo officii genere ita delinire possent, ut in se minus crudeles, experirentur. Quibus auditis et in vulgus militum relatis, cum transfugis, quod a vero oratio non abhorrebat, haberetur fides, magnus repente omnium animos timor incessit, ut fit in dubiis rebus, et quarum est metus interpres raro non fallax, pro suo sensu, iis quae

id negotii datum erat, subire per adversum collem facibus ad oppidi muros praelatis; simul iis qui in arce erant signum ad erumpendum dare; parte diversa alios contento cursu, in eos invadere, qui tormentis praesidio erant, atque ea, militibus de praesidio deiectis, quos prius conceptus animis pavor opprimeret, quam hostium arma, abducere iubet. Inde signo dato, cum barbari inter se cohortati in nostros impetum fecissent; qui ad tormentorum custodiam vigilias agebant, noctis tenebris, et hostium audacia facile transfugarum dictis faciente fidem, metu ac trepidatione acti, praecipiti se fugae mandant: maior pars quibus deplorata salutis spe praeclusa erat fugae facultas, interfecti. Multo maiorem caedis occasionem, ii praebuerunt, qui inter primum tumultum evaserant, cum fuga effusa, se in castra recepissent: sua sponte enim iam perculsis eorum metu, atque exspectatione, quae transfugae attulissent; taedarum flammae quas Turcae, ut iis erat praeceptum, incensas praeferebant, sensum omnem attonitis miraculo rei ademerant. Hinc pari terrore trepidationeque ceteris perturbatis, cum quidvis potius, quam, id quod erat suspicarentur, omnes receptum, et fugam spectabant, usque adeo omnium obliti, ut non duci, non praefectis, non centurionibus verbo audientes essent, minime se castris valloque satis munitos arbitrati. Ita vero consternati dicuntur, ut ne exspectato quidem die, cum vererentur, ne lux hosti palatos proderet, qua disiectis, et dissipatis noctis tenebrae, et pavor iter aperiret, sibi fuga, desertis castris fuerint consulturi. Ita Turcae in oppidum ludicro commento nostris elusis, recipiuntur, militibus qui erant in praesidio paullo ante ad extrema quaeque descendere paratis, et oppido simul saluti

futuri. Paxius, sub primam lucem, non mala coniectura arbitratus hostes fessos itineris, et pugnae labore alto somno obrutos, de improviso opprimi posse, cum ea militum manu, quibus ipse praeerat, sive ipse sua sponte, sive ducis imperio, cuius rei tamen nulla apud eos, qui haec sciipserunt mentio est, ad tormenta recipienda proficiscitur, quibus magno cum dedecore nostrorum, erat potitus barbarus hostis. Inde levi proelio cum iis commisso, quos Turcae tormentis praesidio reliquerant, atque facile in fugam coniectis, dum tormenta conversis vehiculis, quibus avehebantur, retro agi in castra iubet, lapideo globo, ex arcis muro emisso ictus interficitur. Ita non illius milites solum, sed universi etiam e castris effusi, tormentis, et impedimentis relictis, fugam capessunt, quod turpissimum est, qui iis infestam faceret fugam aut a tergo fugientibus instaret, urgente ac persequente nemine : Turca enim ad id quod constituerat satis profectum arbitratus, arce obsidione liberata : quantumvis perculsum, ac territum hostem, diffisus suorum viribus persequi non est ausus, quod praeter spem acciderat, insigni sua cum laude, nostrorum magna ignominia castris, et tormentis potitus. Quae per se expeditio, magnae erat Scepusio futura invidiae, ubi etiam sortita esset laetiorem eventum, cum unam ob caussam suscepta crederetur, ut per eam, occurreret regis consiliis, a quibus alienus esset, ea tam foedo, ac turpi exitu, cum apud regem, tum apud alios, quos aemulos domesticae gloriae acerrimos habebat, magnae offensioni fuit. Ita quem paullo ante, res adversus Zekelum gestae laudibus extulerant in coelum, magna commutatione fortunae, cuius temeritate, cum de summis hominibus iudicandum est, multorum iudicia pendent, conscindi ab inimicis, et ma-

transfugae afferrent, maiora etiam existimantium; nihil ut proclivius fuerit, quam, ut soluta statim obsidione, qua fors perterritos casusque ageret, turpi fuga se eriperent, imminenti malo. Vnius Michaelis Paxii summa virtus, viri nobilitate et animi magnitudine clari, quo minus tanta labes Vngarorum nomini haereret, fertur obstitisse: cum milites ultro adhortando, castigando interdum severius, atque a metu, et trepidatione territos revocando, in officio continuisset: rogare cum ordines circumiret concionabundus, quae metus, quae trepidationis caussa, viris fortissimis esset; unde repente invictos illos Vngarorum animos tantus invasisset pavor, ut, ne exspectato quidem certiore nuncio, qui aut refelleret, aut confirmaret, quae afferrentur, transfugis levissimo hominum generi, exteris numquam fido, qui inducerent animos, temere sibi fidem habendam censerent? Sed fingerent ita esse: usque eo diffidere domesticis viribus, horrere hostes, de quibus clarissimas saepe victorias retulissent, ut cum imbellium turba, quos Turca mali metu ab vomere, et stiva ad arma rapuisset, conserere manus vererentur? Vnde vero repente tot natos milites, pacis atque otii tempore, quorum perpauci in praesidiis, magis moris servandi causa, quam defendendi provinciam numerarentur? cur, nondum viso hosti trepidi darent manus, obliti se prolem eorum esse, quorum gloriae monumenta illustria, tot victi populi, tot gentes externae nationes testarentur? Enimvero abiicerent maiorum virtute indigna consilia, ac rerum gestarum memores, et pristini roboris, ut Vngaros deceret, quibus a maioribus cum tanto imperio esset haereditaria relicta virtus, sese animis ad pugnam compararent. Manendum ne, discedendum, obviam hosti eundum statuere, eius unius partes esse,

cuius ducis atque imperatoris virtuti, et felicitati ita respublica credita esset, ut nihil non ageret de prudentium hominum sententia, quos in consilio haberet. Quod certum esset militis munus, ut obtemperarent imperanti salutaria, et quae maiorum gloria digna haberentur ea singuli pertinere modo ad se, cetera uni sibi permittenda existimarent, cuius virtutis, et fidei periculum non ita pridem, magna cum gentis gloria bello domestico fecissent. Huius oratione confirmatis animis, ad pristinam alacritatem, et studium dicuntur milites plurimum addidisse, cum in gerenda re pollicerentur, nihil sibi reliqui ad delendam turpis metus infamiam facturos. Turca interea optimo consilio existimans, non esse interdiu virium periculum faciendum, ne conspecta ab Vngaris agrestium multitudo inermis in ludibrium atque exitium suorum verteret, totum diem suos in castris continuit, iussos primis tenebris expedita arma atque animos habere ad ea agenda, quae imperasset, et signum ad proficiscendum exspectare. Inde Turcarum delectis, faces, quarum per ea loca est magna facultas, taedasque accensas, inanes quidem oculorum praestigias, sed quae noctis beneficio, magno usui ad hostes fallendos essent futurae, distribuit : alios in oppidum ingressos, qua forte erant hostium stationes intermissae, iubet milites, qui in praesidio erant, monere, ut exaudito pugnae signo ex arce eruptionem faciant, atque eodem quo ipse tempore in perculsos, perturbatosque noctis errore impetum faciant. Praeclaram oblatam bene gerendae rei occasionem, modo cunctatione, et mora non corrumpant, eventum sua spe, atque exspectatione dignum secuturum. Quibus rebus ita administratis, inter primam, et secundam vigiliam, militum partem quibus

id negotii datum erat, subire per adversum collem facibus ad oppidi muros praelatis; simul iis qui in arce erant signum ad erumpendum dare; parte diversa alios contento cursu, in eos invadere, qui tormentis praesidio erant, atque ea, militibus de praesidio deiectis, quos prius conceptus animis pavor opprimeret, quam hostium arma, abducere iubet. Inde signo dato, cum barbari inter se cohortati in nostros impetum fecissent; qui ad tormentorum custodiam vigilias agebant, noctis tenebris, et hostium audacia facile transfugarum dictis faciente fidem, metu ac trepidatione acti, praecipiti se fugae mandant: maior pars quibus deplorata salutis spe praeclusa erat fugae facultas, interfecti. Multo maiorem caedis occasionem, ii praebuerunt, qui inter primum tumultum evaserant, cum fuga effusa, se in castra recepissent: sua sponte enim iam perculsis eorum metu, atque exspectatione, quae transfugae attulissent; taedarum flammae quas Turcae, ut iis erat praeceptum, incensas praeferebant, sensum omnem attonitis miraculo rei ademerant. Hinc pari terrore trepidationeque ceteris perturbatis, cum quidvis potius, quam, id quod erat suspicarentur, omnes receptum, et fugam spectabant, usque adeo omnium obliti, ut non duci, non praefectis, non centurionibus verbo audientes essent, minime se castris valloque satis munitos arbitrati. Ita vero consternati dicuntur, ut ne exspectato quidem die, cum vererentur, ne lux hosti palatos proderet, qua disiectis, et dissipatis noctis tenebrae, et pavor iter aperiret, sibi fuga, desertis castris fuerint consulturi. Ita Turcae in oppidum ludicro commento nostris elusis, recipiuntur, militibus qui erant in praesidio paullo ante ad extrema quaeque descendere paratis, et oppido simul saluti

futuri. Paxius. sub primam lucem, non mala coniectu ra arbitratus hostes fessos itineris, et pugnae labore alto somno obrutos, de improviso opprimi posse, cum ea militum manu, quibus ipse praeerat, sive ipse sua sponte, sive ducis imperio, cuius rei tamen nulla apud eos, qui haec scripserunt mentio est, ad tormenta recipienda proficiscitur, quibus magno cum dedecore nostrorum, erat potitus barbarus hostis. Inde levi proelio cum iis commisso, quos Turcae tormentis praesidio reliquerant, atque facile in fugam coniectis, dum tormenta conversis vehiculis, quibus avehebantur, retro agi in castra iubet, lapideo globo, ex arcis muro emisso ictus interficitur. Ita non illius milites solum, sed universi etiam e castris effusi, tormentis, et impedimentis relictis, fugam capessunt, quod turpissimum est, qui iis infestam faceret fugam aut a tergo fugientibus instaret, urgente ac persequente nemine : Turca enim ad id quod constituerat satis profectum arbitratus, arce obsidione liberata : quantumvis perculsum, ac territum hostem, diffisus suorum viribus persequi non est ausus, quod praeter spem acciderat, insigni sua cum laude, nostrorum magna ignominia castris, et tormentis potitus. Quae per se expeditio, magnae erat Scepusio futura invidiae, ubi etiam sortita esset laetiorem eventum, cum unam ob caussam suscepta crederetur, ut per eam. occurreret regis consiliis, a quibus alienus esset, ea tam foedo, ac turpi exitu, cum apud regem, tum apud alios, quos aemulos domesticae gloriae acerrimos habebat, magnae offensioni fuit. Ita quem paullo ante, res adversus Zekelum gestae laudibus extulerant in coelum, magna commutatione fortunae, cuius temeritate, cum de summis hominibus iudicandum est, multorum iudicia pendent, conscindi ab inimicis, et ma-

ledictis vexari est coeptus; quorum quidem magnum numerum, illi ex bene gesta re orta invidia, numquam fere non recte factorum comes, conciliarat. Ita vero natura comparatum est, ut nihil homines arctius devinciat, quam rebus adversis quaesitum auxilium; nihil quo citius effluat inventum, quam beneficii memoria, ubi quis rebus adversis est defunctus; quod minime tamen sine certa ratione usu venit: nisi enim adsit summa virtus, quae a tam foedo lapsu sustineat animos eum fere homines oderunt, cui se esse obnoxios norunt; cum ea vis beneficii sit, ut ei qui benigne facit eum devinciat in quem est beneficium collatum; quod cum sua sponte grave sit natura homini libertatis amanti; ita ab eo refugit, uti ab eo vulgo solent, in cuius aere sunt, malam gratiam bene de se meritis referentes. Oppressa nobilitas pernicioso bello, et imploravit opem a Scepusio, et impetratae praemium maximum obtulerat regnum, cum tota in unum effusa, vix illud ipsum tantum in terris praemium dignum illius in patriam merito credidisset; exolescente mox periculo perfunctis beneficii recordatione, quae semper est gravis, nisi in animo grato haereat beneficium, praepostera gratiae relatione, in odium vertit. Itaque per magnam licentiam cum aliorum, tum eorum in primis, qui ita se plurimum Ladislao gratificari putabant, liberae voces, atque omnis generis probra adeo in eum iaci audiebantur, quem non ita pridem summis laudibus, et divinis honoribus erant prosecuti: Recte vero Scepusio, et pro illius merito evenisse, cum aliis muneribus amplissimis a rege aucto, tum in summo praefecturae honore omnibus praelato, quorum permultos, et generis splendor, et maiorum gloria minime illo inferiores redderet, ubi de eo esset certamen institutum:

quorum enim consiliorum unum sibi finem proposuisset, ut deturbato de regia sella Ladislao, non regis, non regni iura, non hominum existimationem veritus, per paucorum factionem, in regiam conscenderet; ea, deo immortali humanorum scelerum ultore, regis optimi, et sanctissimi innocentiam respiciente, quem par erat, exitum tristem, atque infelicem consecutum esse: ita enim consuevisse hominum malefacta vindicare, ut qua illi parte laederent, ea acrius, vehementiusque ipsi plecterentur; quae tela intenderent innocentium iugulis, ea in eorum viscera, qui intenderant, retorquerentur. Referre enimvero Scepusium aequo altius elati animi uberem fructum, regi infestum, quo semper indulgentissimo usus esset, ut sua spe deiectus, per fracta foederis iura, et iurisiurandi violatam fidem in suorum iustissimum odium incurreret, quibus adeo foedam ignominiae notam inussisset, contemptus a barbaro hoste, illusus, inani commento impulsus in fraudem, ut inde, insigni accepta clade sibi salutem quaerere turpi fuga cogeretur; qua utinam contentus Selimus, Asiatico bello confecto, ulterius persequendo armis foederis ruptores, non progrederetur: cuius si ingenium recte Vngari nossent, tum, quo esset futurus animo, ab iis lacessitus armis, a quibus minime deberet, iurisiuran di vinculo sibi obstrictis, et quidem difficillimo suo tempore gravissimo bello illigatus, minime possent dubitare. Itaque qua gloria inflatus gesto ex sententia domestico bello intumuisset in quo magis adversariorum imbecillitate, et unius, temeritate, atque amentia, quam sua virtute victor enituisset, eam corruptam, cum aliorum, tum etiam iudicio suo amisisse: stetisse enim Vngarorum virtutem invictam unius Michaelis Paxii constantia, atque

animi magnitudine quamdiu per adversa iis fata licuisset. Cuius si aut ducem similem milites habuissent, aut in privato cum animi virtute, par fuisset coniuncta auctoritas, haud dubiam de hostibus victoriam, penes quos tantum haesisset dedecus, fuisse consecuturam. Perterritum militem transfugarum dictis, per inanem obiectum terrorem quidem, sed non absimilem vero, viri fortissimi oratione confirmatum collegisse animum, mansisse in castris, ne militare dedecus admitteret, sibi persuaderi passum esse. Neque hanc unam modo illius laudem fuisse. Quae certae ducis partes essent, ut, post tantum acceptum detrimentum, milites solatus erigeret in meliorem spem; defixos pavore haud dubiae cladis a barbaro victore imminentis excitaret, in officio contineret; eas ultro privatum, quiescente duce, qui nomine contentus, meliori munus haud invitus concessisset, deplorata omnibus spe salutis, suscepisse. Inde se iussos sequi, tormenta, quae in hostium potestatem venissent, magna sua gloria recuperasse: ne solido gaudio fruereturex bene administrata re, importuna morte, virum immortalitate dignum interceptum: cuius quanta fuerit iactura, quae sint postea consecuta, docuisse: sublato enim eo, quem vere unum agnoscerent ducem, foeda dilapsos fuga milites, cum eo, qui inane sibi nomen imperii sumeret, et tormenta, et castra, praedae barbaro hosti, aeterna cum Vngarici nominis infamia, reliquisse. Haec atque alia multa, ut dolor, atque odium suadebat, multi in coronis iactabant, quos, aut unius gloriae aemulatio, aut spes regi gratificandi ubi haec resciret, non pietas erga patriam ulla, non officii religio, qua nulla tangebantur, non virtutis studium disertos in Scepusii perniciem efficiebat. Neque deerant tamen,

qui eius nominis perstudiosi, in parum illi aequum regem, male gestae rei invidiam retorquebant: tamquam milites consulto, ut regi gratificarentur, per metus simulationem, tam turpiter, et flagitiose soluta obsidione, hosti et numero, et virtute militum inferiori cessissent: „Nihil adeo praeclare posse ab homine excogitari, quin ubi id parum laetus eventus sequeretur, trahi in deteriorem partem posset, cum rationem perturbaret imbutus ac depravatus odio animus, qui efficeret, ut minus recte iudicari de dubiis rebus liceret. Nam si qua in eo offensio esset, quod inconsulto rege isset ad arma: cur per eundem regem, conniventem in suorum malis, licuisse Scepusio, eodem inconsulto, sumere arma, civili gravissimo, ac perniciosissimo bello? Cui vero non apparere, quo minus illi invidiosa ea expeditio esset, laetum secutum belli eventum effecisse? Excoecari hominum mentes odio, ne ea videant, quae aliis clarissima sint, quorum animos nulla inficeret malevolentiae labes: cur enim, quod tum illi invidiae non fuisset, cum recte res successisset, id ipsum quod nunc, variato tempore, male evenisset, quae humanarum rerum vicissitudo esset, iniquo iudicio eidem fraudi verteretur? Miseram esse virorum summorum conditionem, quorum res gestae, cum e celso loco incurrerent in multitudinis oculos, de his non ex praescripto rationis, quae in adverso etiam rerum eventu laudem haberet, sed ex fortunae temeritate iudicarentur: ut si secus accideret, quam illi vellent, quorum interesset, eas praeclare agi; non quo consilio, quid, quave ratione esset administratum, sed, quam recte, et minus ex sententia evenisset, in disquisitionem veniret, quod iniquissimum iudicium esset. Quanto vero rectius nobilissimos olim populos, cum

sapienter iudicarent, fortunae temeritatem, ne cui laeta quidem obsecundaret, esse in exemplum trahendam; lege lata in eos animadvertendum censuisse, quorum temerario consilio, quamquam re praeclare gesta, ubi vera virtus temeritati fortunae obiiceretur, esset descendendum in salutis discrimen? Contra apud eosdem, numquam summos duces reos caussam dixisse, quod recto usi consilio rem male adversus hostem gessissent; cum non aeque rerum, et temporum, ut mentis, et consilii, quantumvis magni duces, et rei militaris periti potentes essent. Non damnatum Hamilcarem ducem tantum Hannibalis patrem; non parente maiorem filium, infelicis belli auctorem, quo victa patria Romano hosti, quem saepe vicerat proeliis memorabilibus, cessisset orbis terrarum imperio: quod ex certa ratione, ac rei militaris scientia re gesta, non solum suis, sed hostibus etiam, ducis munere, atque imperatoris obeundo, dignum se, qui semper vinceret, ostendisset. Non magis fuisse fraudi apud populum Romanum Fabio Maximo, Hannibalis fallacia eluso, male administratam rem: non aliquot postea annis, C. Neroni in Hispania, quod Hasdrubali huius fratri licuerit fallaci commento, ludibrio verius evadere e manibus: cum brevi postea docuisset, cetera posse vinci; virtutem adversus omnes fortunae casus, atque hominum consilia invictam stare: magna enim sua cum gloria, cum eo ipso fallaci hoste collatis signis, in omni posteritate clarissimam futuram victoriam, et ducis, et militum internecione retulisse, quae victoria saluti fuisset perpetuis cladibus afflicto, ac prostrato Romano imperio. Posse in duce spectari virtutem, magnitudinem animi, rei militaris scientiam, usum rerum, quae adversi saepius, quam secundis rebus vigerent:

ubi haec omnia cumulate adessent, non semper spectari, cum his coniunctam vincendi felicitatem, cuius, fortuna sibi maximam partem vindicaret. Haec alii pro Scepusii causa; in quibus, cetera quidem praeclare dicta, in uno rex perinique perstringebatur: Militem consulto, cum posset vincere, spe regi gratificandi se vinci maluisse: cui quidem calumniae (undenam a Tuberone haustae ignoratur) ut etiam de rege Scytha ageretur, vix credibile est locum futurum. Neque vero maius ad Scepusium dedecus ex mala gesta re, quam ad regem erat perventurum. Nam Scepusii ductu, Ladislai auspiciis res gerebantur, et quidem ea conditione, ut si clades acciperetur, quidquid inde incommodi eveniret, id omne ad regem, atque ad universam rempublicam, male gestae rei infamia ad unum Scepusium pertineret. Quid vero absurdius in rege praesertim suopte ingenio mitissimo, quam, inimici exitium quaerere suo? Tantine erat Ladislao, Scepusium plecti, ut eius quidem insigni cum ignominia, sed cum delectorum militum magna iactura, induceret animum suum ulcisci dolorem? Non est consilium in scribendo, per meum interpositum iudicium, cuiusquam existimationem convellere: sed quid de tota hac re tamen statuendum sit, ex iis, quae gesta sunt tacente etiam me coniici potest. Nam quod sint, qui hoc munus in scriptore requirant, ut de iis quae scribit, pronunciet quae sentiat, ab eorum sententia longe absum; ubi testis religionem caste, et severe praestare rebus narrandis visus sim, satis me recepto muneri fecisse arbitratus: neque enim scribentis ingenio sunt adiuvanda, quae sua sponte praeclara litteris mandat, non magis, quam quae digna reprehensione ubi aut oderit, aut faveat, satis per se, qui ea gerunt, ut scriptor nihil de suo addat, aut re-

prehendunt, aut laudant; cuius rei iudicium non penes rerum scriptorem, sed penes eos qui legunt esse aequum est. Budam Ladislaus inde revertit, hinc laetus nova affinitate, cum ea innixus, si quid humanitus accideret, satis recte crederet consultum Ludovici rebus, hinc aeger animi, quod suorum securitati sine gravi principum offensione, sua pari molestia, haud prospicere licuisset. Erant vero iis dolori, non quae prava iniisse in regem consilia ferebantur: sed quae inchoata simul, et disiecta per iunctam cum Maximiliano affinitatem, intelligerent se exsequi nisi alte dissimulata, haud posse. Iam quod maiorem dolorem inureret, quaesitum adversus male sentientes ab exteris subsidium fremebant, suorum damnata, atque improbata fide. Multa quidem reversus offendit, quae aestuantis animum diversis curis, indies gravius angerent a suis rationibus alienatos populorum animos, non potentium solum, perpetuo odio a Germanis dissidentium; factiosorum hominum coitiones, quorum libidini septa regia novae coniunctionis foedere minus patere ad iniuriam videretur; cetera cum his congruentia, quae, cum Viennae adhuc esset, ad incepta retardanda, nobilitatem moliri litteris amicorum cognovisset. Quae ille, sive dissimulanda sibi, sive cum mentis stupore minus teneret quanta essent, sibi contemnenda existimavit; quod propius ad illius ingenium accedebat, satis exploratis, ut sibi videbatur, et suis, et adversariorum viribus, quibus diu sua solitudo, atque orbitas, tum filii impar aetas gerendis rebus contemptui fuerat. Erat vero haud difficilis coniectura, tametsi obstinato silentio arcana consilia alte involuta animo haberet, quae agitaret animo, a virtute, et consilio, an ab insito stupore, et tarditate ingenii manarent. Atque iniuria tamen hoc loco

Vngari a scriptoribus reprehenduntur; qui cum ferrent iniquo animo rempublicam a Ladislao adduci in salutis discrimen, id quod futurum credebant, ubi cum Vngarorum regia, affinitatis vinculo potentissimi reges iungerentur, eius inceptis sibi obviam eundum statuerent. Ita vero se gesserat in regni administratione, ut egregie volenti, si hoc modo satis est, ad populorum studia sibi promerenda possent Vngari male regni administrati culpam haud gravate condonare, pati non aeque facile adversus legitima Vngarorum iura, quasi perditae rei per summam inertiam esset mali accessio quaerenda, dotale regnum ad posteros transmitti, novo invecto more, cum exteris affinitatis necessitudinem iungendi; ut quasi haereditario iure sperarent se regnum adituros, cuius mandandi liberum ius, quibus visum esset, maiores posterorum esse voluissent. Nemini vero dubium erat, quin si quid Ludovico humanitus accidisset, id quod postea evenit, aegre Vngari possent tueri patrium ius, adversus duos fratres reges, quorum imperio maxima pars Christiani orbis, magna regna atque opulenta, provinciae nobilissimae in Italia, Germania, Hispania parerent. Ac si rerum initiis sit standum, quae sunt eadem initia naturae, ex cuius instituto sunt res hominum administrandae; nemo non fateatur, cum iis male agi, quibus fortunae temeritate reges per ius haereditarium impositi imperant; cum eorum modo sint habenda legitima imperia, qui a volentibus sunt ad regnum acciti: qui quidem quamdiu iuris sui sunt, numquam committent ut cuiquam nisi suis suffragiis regnum adepto, vitae et necis in se permittant potestatem: certe non male sensisse Vngaros, quae sunt consecuta postea tempora docuerunt. Nam cetera ab eodem fonte derivata mala, amissa oppida,

arces, vectigalia, quibus sumptus in regiam suppeditabatur, expilatum aerarium, atque exhaustum a privatis, direptae divitum fortunae, agrestes ultima omnia passi, unde initium domestici belli, caedes, incendia, in regia egestas, in privatorum domibus regia opulentia, ut non videantur Vngari reprehendendi, quod aliquando de novo rege creando cogitarint, sed quod non viventi suffecerint accusandi, sive illi Scepusio, sive alii statuerent potestatem regiam mandandam: ut enim cum Ladislao mitissime agatur, ita illi iustitiae, probitatis, pudoris, innocentiae tribuitur laus, ut pater familias forte non malus, a regia procul arcendus, amandandusque videatur, quae non modo innocentiam inertem, et sedatum ingenium, sed consilii vim acerrimam, gravitatem summam, constantiam, fortitudinem, summis virtutibus exaggeratum animum, et qui nihil non audeat, quod ius, fas, suadeat agendum, (*requirit.*) Eo certe erant redacta omnia, ut e Moravia, quae provincia uberrima latissimos, feracissimosque agros habet, ne assem quidem vectigalis nomine, perexiguum e Boemiae regno referret; quod tum opimum ditissimumque habebatur. Iam, quae aliquanto erat iactura maior, amissum per omnium rerum licentiam militiae decus, corrupta rei militaris disciplina, legum maiestas; quae omnia, ut in dies deteriora, minus corrigi spes esset efficiebat, per ictum cum hoste foedus, sublatus belli timor: ut tamquam perpetuus hic rerum status aeternam pacem populis, atque otium sponderet, securi ab externis malis, cuiusvis potius rei, quam sui aut maiorum memores omnem de republica curam abiecisse viderentur, iis fere artibus addicti, quibus in homine robur, viresque enervantur. Ita florentissimum paullo ante regnum, tamquam corporis informis ac vasta mo-

les, nervis virtutis incisis, cum regis sapientia quasi anima careret, omnibus erat futurum praedae, quibus terrori esse consuevisset non labefactatum externa ulla vi, sed intestino perditum, atque afflictum malo. Ac de Ladislao quidem cum multa alii, tum nos primi libri initio nonnulla, quae vix credenda, quamquam a vero hausta videantur: illud superat omnium fidem, quod Dubravius Boemicarum rerum scriptor litteris mandavit. Neque vero ille se accepisse ab aliis, sed vidisse ipsum affirmat, cum rei gestae interfuisset. In regia cella unde mos esset maiorum instituto, vinum honoris caussa, principibus viris suppeditare qui aulam sequerentur, vino deficiente, quo rex in prandio, atque in coena uteretur, regios ministros rogatum ire ad privatorum domos, non ad delicias sed ad necessarium usum consuevisse: cum semel ad pontificem Quinqueecclesiensem itum esset, rei indignitate, gravem hominem commotum, stomachabundum ministros interrogasse, eone malorum esset ventum, ut ne vinum quidem in cellam regi, cuius opulentia multi vivere regio more consuevissent, ad prandii, et coenae usum suppeditaret? ministros, quod flagitiosius esset, non vinum solum, sed etiam quotidianum obsonium defuturum respondisse, nisi precario quaererent. Tum illum incensum ira, atque, Enimvero, minime ferendum, et tantum tollendum e regia dedecus praefatum, recta ad regem contendisse: Iussu regis quaestorem accitum, ab homine sui iuris, et cuius animum auctoritas aequabat, acri, et vehementi oratione castigatum, qui cum unius regis liberalitate, et munificentia refertissimam domum haberet rerum omnium, quae expetendae homini in vivendo essent, eum pateretur annonae, et necessarii victus angustiis conflictari. Quid

vero absurdius, quam in feracissima omnium regione, magna regiorum opulentia, ubertate, et copia rerum omnium egentes reges cogi victum sibi precario parare? Inde e sua in regiam cellam generosi vini aliquot dolia, quae essent ad mensae regiae usum transvehenda curasse. Turpe quidem hoc regi, sed multo regiis ministris turpius, qui quando illius animum tanta contumelia non tangeret. non ipsi domestica infamia commoverentur. Neque vero statuere facile est, utrum regi maiori dedecori sit, ferre se indigna; an populis diutius, quam necesse sit, regi qui eo sit ingenio parere. Sive autem id accideret vitio regnantis, cum profusa quadam natura ad beneficentiam, nullum in dando, et largiendo agnosceret modum, ut alibi diximus, sive eorum petulantia, qui postularent; quibus, cum referrent quae poscerent, etiam si immoderata, numquam fieri poterat satis; res portenti similis videatur, egentem regem, ditissimis populis, et praepotentibus imperare. Nam quod non desint nostri temporis scriptores, qui Ladislao regi impuros mores, vitam mollem, luxuria, et voluptatibus diffluentem opprobrent: neque illi sunt audiendi, et ubi ius, fasque homines colant, digni habendi, qui tantum flagitium vita et sanguine luant, haud satis iusto supplicio pro adeo immani scribendi licentia; qua, nullo veri, et falsi discrimine, existimationem, famam, nomen non aliorum modo, sed maximorum regum [illegible] quos venerari in terris divinis honoribus pa[illegible]ulant infesto stilo, quae temere vanis rum[illegible] auditionibus [illegible] runtur, saepe e tr[illegible] mandantes. Ex [illegible] annales, tam v[illegible] starum a[illegible]

speciosis titulis, hianti cupiditate animo legunt, saepe pro veris quorum nullus certus auctor, nulla monumenta illustria sumentes. Hinc nobilissimis familiis nullo maiorum merito aeternae inustae infamiae, atque ignominiae notae : hinc falsae laudes gratiam potentiorum hominum venantium, habiti non merentibus honores ; hinc elogia verbis magnificentissimis, quibus historiae referciuntur ; hinc sepulchrorum monumenta ; laudationes ; quae incommoda, scriptorum nobis turba, quorum iam scriptis obruimur, invexit : ut interdum queri veniat in mentem, nobilissimam alioqui, artem inventam typis libros excudendi, unde doctis, indoctis datur facultas quae vigilantes somniant, modo spes compendii obiiciatur, in lucem edendi. Sed ut eo unde discessit oratio revertatur, neque res meliores eo tempore in Boemia fuerunt : quo enim longius rex aberat, eo immaniore licentia regii ministri, omni cura perfuncti, diripere pecuniam publicam, depeculari aerarium, ditare quos visum esset, e montium iugis effosso argento, se suos explere, honores, dignitates, sacerdotia mandare male de republica meritis, non legitimo suffragiorum more, non publica auctoritate, non rege consulto, rempublicam administrare. Quorum neglecta animadversio, quam acrem, et severam ea tempora postulabant, ministrorum cupiditatem, atque audaciam, et per eam populorum pestem, atque exitium alebat, qui in perdita republica victi praesentibus malis, iis ferendis quae imminebant, non erant pares. Ac quamdiu Anna regina vixit, nulla in re passa est minui regis maiestatem, non distrahenda pecunia publica, non exhauriendo aerario, non pagis, regiis arcibus, vectigalibus alienandis, quae magno cum compendio redempta, gratiosi in aula homines in domesticum

usum convertebant. Dicitur quidem hac sedulitate perfecisse femina ingenio acerrimo, ut brevi ingenti pecunia coacervata, praeter gemmarum ingentem vim, et ceteram regiam opulentiam, vasa omnia ex solido auro in regiae mensae usum conspicerentur. Neque dum ea vixit, quisquam Ladislao dissimulante, et connivente in omnibus suis e re publica rem facere privatam, et regium ius rebus administrandis, abutentes regis ingenio, usurpare. Sero tandem, edicto interposito, ut cum nullus esset usus, cum alia sustulit genera expilandi, plus aequo gravia privatis, quibus nihil in legibus adversus potentium vim subsidii erat; tum omnem facultatem eripuit largiendi pecuniam, quae, regis auctoritate contempta a privatis, ut visum erat, pro cuiusque libidine distrahebatur. Eadem severitate coërcuit, nonnullorum in regia impotentem in privatos dominationem, cum aliis in rebus, tum in tutelarum, atque haereditatum iure violando: usque adeo enim progressi licentia erant, ut passim per regias urbes, legitimis haeredibus exclusis, invadere in aliena bona, nemine audente mittere liberam vocem, auderent. Ad haec si qua erant lautiora sacerdotia, quorum vectigalibus religiosi homines rei divinae procurandae alerentur, quae permulta, tum in Boemia, tum in Vngaria habebantur

(Itt hiányzik egy levél.)

Polonorum rebus, quo tempore, ut sua fides, et in fratrem observantia postulabat, consulto senatu, pollicebatur ea de re quicquid crederet utriusque regni rationibus conducere se constituturum. Quae dum in Vngaria geruntur, res male ad Jaiczam gesta, oppres-

sis subito nostris a Turcis, cum commeatus in oppidum importarent: quorum inopia, qui erant in praesidio milites laborabant. Pars eorum caesi, pars vivi capti, atque in vincula coniecti, magno provincialium metu, quibus spes nulla supererat oppidum retinendi cum magnum periculum immineret, ne, eo amisso, hosti aditus, ubi visum esset, ad vastandas, et populandas finitimas provincias pateret. Eius rei nuncio accepto, Ladislaus milites in supplementum scribi iubet, qui simul commeatus in urbem inferrent, simul oppidum cum iis, qui erant in praesidio, si id quod fore suspicabantur, Turcae oppugnationem tentarent, tuerentur. Quibus comparandis rebus cum plus aequo anxius solito gravius ex artuum doloribus laboraret: vehementiore mox febre correptus mali vi superante humanae opis industriam omnem, interiit, eadem patientia vim morbi ingravescentis, et mortem perpessus, qua vitae molestias tulerat, quibus et multis, et gravissimis perferendis, quamdiu vixit, obduruerat. Decessit integris sensibus, ac valido mentis robore, omnibus de more, cum vitae munere perfunctus, quae Christianum regem obire, et religiosum decebat. Dicitur ante mortem, principibus advocatis, cum deplorata vitae spe, iis ederet postrema mandata; orasse maiorem in modum pro summa sua in illos indulgentia, studio in rempublicam, pietate in omnes, quorum salus suae fidei esset commendata; Ludovicum filium, ut regni, ita suae voluntatis, et studii haeredem erga Vngarorum gentem, susciperent regendum, ea quidem aetate, quae per se imbecilla duce et moderatore indigeret, sed unde tamen magna esset facultas adolescentem magnae spei, atque indolis ad virtutis et sapientiae normam, nactum adolescentiae rectorem prudentem, et gravem hominem, confor-

mandi. Quae virtutes cum suppeditari ab adolescentia haud possent, dandam operam, ut a sapientium consilio hauriret, quoad optimis artibus animus imbutus, non solum aliorum prudentia, sed suo robore subnixus staret. Adiuvari suam spem suscepta opinione de filii indole, quae non secus, ac generosa planta consita in feraci solo, copiosos fructus, atque opimos, culta sedula manu suo tempore suis sponderet. Nullam quidem esse aetatis partem, sine prudentium consilio, adversus rerum humanarum casus satis munitam: sed adolescentiam multo minus; quae non usu, prudentia, et cognitione rerum, non litteris, et studiis ingenuarum artium, nisi admodum raro, confirmata, prona ad interitum rueret, nisi labantem sua sponte, sapientium virtus, et prudentia sustentaret. Ac quoniam in omni munere administrando, multorum consilium, unius auctoritas moderaretur, rogare enixe, ut Sigismundum fratrem principem auctoritate aetate filii regenda agnoscerent, quem sorte patruum, voluntate parentem, et quidem qui vix sibi eo fovendo, atque amando concederet, singulari benevolentia, atque observantia prosequeretur. Ita quidem regis fratris animum Vngaris esse exploratum, ut de eius fide, et constantia non possent dubitare, cuius aliquamdiu periculum fecissent, cum adhuc adolescens, praeesse Silesiae esset iussus: ita vero eius sapientiam probatam omnibus, ut a nemine, aut certius consilium, aut magis fidum iis esset exspectandum. Id si agere inducerent animum, tum illud etiam consecuturos, ut rebus minus recte succedentibus, quod deus omen averteret, nulla graviore invidia laborarent; magnam iidem sibi compararent laudem ubi is eventus rerum succederet, quem sperarent, optarent certe: aequissimum enim videri, eos

fratrem consortes gloriae habere, quos habuisset consilii. Illud in primis postulare, ut summum ius regni, eorum concessu, penes fratrem esset; ut qui dignitate haberetur princeps, id quod maiestati regiae esset dandum, haud iis superior auctoritate haberetur, et in tutelae procuratione, rex esset eorum collega, quorum in filium, quin esset par caritas, atque animi studium minime dubitaret. Dicitur haec postrema Ladislai oratio, principum animos, quibus viventis auctoritas contemtui fuisset, magnopere movisse. Itaque paucis hortati, ut de valetudine meliora sibi ominaretur, de cura filii, si quid secus, quam sui vellent, accideret, plane esse iusserunt soluto animo. Rem, ut exposuimus, actam docent Sigismundi litterae ad Ioannem Laschium Archiepiscopum Gnesnensem, et Christophorum Schidlowiczium Cracoviensem Palatinum : quos cum certis de ea re mandatis ad Ludovicum miserat, et ad regni principes, certior factus a Ioanne Carnkowskj regio apud fratrem oratore, hanc supremam voluntatem morientis fuisse.

FINIS LIBRI QVARTI ET TOMI PRIMI.

A M. AKADÉMIA TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYÁNAK KIADÁSAI.

[illegible] TÖRTÉNELMI TÁR. I. köt. X. és 260 l. egy pecséttáblával 2 frt 50 kr.
— — — II. köt. 316 l. több rézbe[illegible]
— — — III. köt. 283 l. egy rézmetszéssel 2 frt 50 kr.
— — — IV. köt. 280 l. 2 frt 50 kr.
— — — V. köt. XVIII. és 251 l. 2 frt 50 kr.
— — — VI. köt. 253 l. egy pecsétnyomással 2 frt 50 kr.
— — — VII. köt. 296 l. 3 frt 50 kr.
— — — VIII. köt. 280 l. 4 rézmetszet táblával 3 frt 50 kr.
— — — IX. köt. 284 l. 2 frt 50 kr.
— — — X. köt. 240 l. [illegible]
— — — XI. köt. 340 l. 3 frt 50 kr.
— — — XII. köt. [illegible]

A fentebbi Kötet ára együtt [illegible]

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA. Magyar Történelmi [illegible]
[illegible] álló füzetem ára 10 frt 50 kr., külön egy kötet [illegible]

1. sz. Első osztály: Okmánytárak — I. köt. (Heicenfeld Magyar [illegible]
2. sz. Második osztály: Írók — I. köt. (Szerémi Gy[illegible]
3. sz. — — — II. (Verancsics [illegible]
4. sz. — — — III. (Verancsics Munkái II.)

5. sz. Első osztály: Okmánytárak — II. köt. (Orlándi Magyar [illegible]
6. sz. — — — III. köt. (Orlándi Magyar [illegible]
7. sz. — — — IV. köt. (Orlándi Magyar Okmánytár [illegible]
8. sz. Második osztály: Írók — IV. köt. (Verancsics Munkái III.)

9. sz. Második osztály: Írók — V. köt. (Verancsics Munkái IV.)
10. sz. Első osztály: Okmánytárak — V. köt. (Lambert Magyar Okmánytár [illegible]
11. sz. Második osztály: Írók — VI. köt. (Verancsics Munkái V.)
12. sz. Első osztály: Okmánytárak — VI. köt. (Árpádkori új Okmánytár [illegible]

13. sz. Második osztály: Írók — IX. köt. (Verancsics Munkái VI.)
14. sz. Első osztály: Okmánytárak — VII. köt. (Árpádkori új Okmánytár [illegible]
15. sz. — — — VIII. köt. (Árpádkori új Okmánytár [illegible]
16. sz. — — — IX. köt. (Árpádkori új Okmánytár [illegible]

17. 18. sz. Második osztály: Írók — XV. köt. (Török Jaurr[illegible]
19. sz. — — — VII. köt. (Hódoltsági Mária [illegible]
20. sz. — — — XI. köt. (Ágost[illegible]
21. sz. — — — XII. köt. (Bruto[illegible]

Ezután sínt [illegible]

Első osztály: Okmánytárak — X. köt. (Árpádkori új Okmánytár [illegible]
Második osztály: Írók — VIII. köt. (Gyulai Lestár [illegible]
— — — X. köt. (Verancsics, VII.)
— — — XIII. XIV. köt. (Bruno Magyar [illegible]
— — — XVI. köt. (Európai Pragma [illegible]

TÖRÖK-MAGYAR-KORI TÖRTÉNELMI EMLÉKEK. Első osztály: [illegible]
Okmánytár a Hadtörténet történetéhez Magyarországon. I. II. köt.

MAGYAR LEVÉLTÁR. I. kötet. Magyarok [illegible]
[illegible] I. s II. füzetei vannak a kötetben.

GYÜMTATÓ. Fejér György Okmánytárához, Kassa által. 30 kr.

27. sz.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

MÁSODIK OSZTÁLY IRÓI.

PEST.

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XIII.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

TIZENHARMADIK KÖTET.

PEST, 1867.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

BRUTUS JÁNOS MIHÁLY

MAGYAR KIRÁLYI TÖRTÉNETIRÓ

MAGYAR HISTÓRIÁJA

1490—1552.

A M. K. EGYETEMI KÖNYVTÁR EREDETI KÉZIRATÁBÓL

A SZERZŐ ÉLETÉVEL

KÖZLI

TOLDY FERENCZ,

M. AKAD. R. TAG S A TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁG ELŐADÓJA.

MÁSODIK KÖTET.

II. LAJOS KIRÁLY TRÓNRA LÉPTÉTŐL 1537-ig.

PEST, 1867.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

B932
.164
.13

. . . in eo maximus mihi mei laboris fructus constabit, si, quod maxime spectandum est, fidem meam probari rebus narrandis iis, quibus cognitae et perspectae sunt; rationem scribendi qua sum usus, viris iisdem bonis et non imperitis, quos spero me aequos habituros, haud penitus improbari intelligam.

BRVTVS in Praef. Florent. Hist

Pest, 1866. Nyom. Emich Gusztáv, m. akad. nyomdász.

ELŐSZÓ.

A jelen kötet Brutus Történetének V—VIII. könyveit hozza, szinte mint az első kötet az első négy könyvet a „Pesti Codex"-ből, ennek hézagait, ahol lehetett, a „Bécsi Codex"-ből pótolva. Különösen:

az V. könyv, mely Brutusnak előttünk már ismeretes, állandó, iródeákja[1]) által íratott (ezt neveztem „első kéznek"), egy levél híján, melynek ívjegye F8, teljes (l. itt a 12. lapot).

A VI. könyv, s a VII-dik nagy részt, szinte ez első kéztől vannak. Ezek már csonkábbak, hibázván a PPIV. és v., a QQIV. és v., a VV1—8 ívjegyű levelek, s minden, mi a ZZ jegyű ív után következett. E hézagok közől az elsőnek csak felét pótolhattam a „Bécsi Codex"-ből, ez is e helyt hézagos lévén (l. itt a 158. lapot); — a másodikat egészen (l. 172—177 ll.); — a harmadikat egy levél híán (l. 239—250 ll.); — végre a ZZ. ívvel megszakadó eredetit a második kéz folytatja, mely nem egyéb Szamosközi István, a jeles történetiróénál (itt a 302—337. lapokon), de ez is megszakadván, a VII. könyv végét (337—353. l.) a „Bécsi Codex"-ből adtam. Végre

a VIII. egy helyet kivéve (468 l.) ép, s Szamosközi kezétől van. Azonban nem hallgathatom el, hogy e könyv kéziratának 22-dik lapja alján e szavak után: „Nemini enim dubium erat, quin ... Soli-

[1]) L. az I. köt. Bevezetését a LXXXI. lapon.

manus pertinaci certamine esset urbem in potestatem redacturus“ ezen aláhuzott s rögtön megszakadó mondat eleje következik: „Ex inde non apud Vngaros modo, sed apud exteras etiam gentes, pertam insignem &c.,“ s e lapőr: „partam“ (tán victoriam), mi azt gyaníttatná, hogy itt a codex csonka; és csakugyan az utolsó beköttető (Pray) négy üres levelet tétetett e hely után: a következő lapon pedig a szöveg folytatólag így kezdődik: *Turcarum aliae naves* stb., (mikép az itt a 375. l. 8. sorában látható.) A Bécsi Codexben itt semmi hézag nincs, s így feltehető, hogy Brutus e helyt egy pótlást szőtt be, mint több helyt a Pesti Codex által képviselt második dolgozatban. De mit jelent az „&c“? A lapőr „partam“ mutatja, hogy még következett valami, mit nincs már ma honnan pótolnunk.

Nem szenved kétséget, hogy a Szamosközi által irt részek, ki már a VII. könyvben váltja fel az első kezet, szinte részét tették a Brutus saját példányának, mert az ő másolataiban is találok Brutus igazító kezére némely nyomaira, noha felette kevésre, s azok mindössze csak idézőjelekre, aztán a szórendet megváltoztató betüjegyekre, s nagyritkán egy-egy betűnyi vagy szótagnyi igazításra szorítkoznak. De így áll a dolog az „első kéz“ által készült másolatra nézve is már a IV-dik könyvtől kezdve, hol szinte csak a pontozatokban, áttételi jelekben, s egyes betű- és szótagjavításokban ismerünk Brutus kezére, pl. egy quibus, egy-egy kimaradt *et*, vagy *nam*, kisbetű nagy helyett stb.

S valóban feltünő, hogy a 4-ik könyvtől kezdve valódi *szövegjavítások* egyáltalában nem találunk, milyek az első három könyvben oly nagy számmal fordúlnak elő, még pedig nem csak irályi, hanem dolog-

beli javítások is. Sőt sok hely arra mutat, hogy Brutus ezekben nem csak a stílnek nem adta meg az utolsó simító kezet, de még saját s a leirók valóságos hibáit sem igazította ki. Mintha első fogalmazatai e másolatait újra el sem olvasta volna, annyira darabos helyenként a nyelv, s ugyanazon szókat egy mondatban ismétlő, hol sem ékesség, sem a hatály nem kiváuta. A leirói hibák gyakran a rövidítések hibás feloldásán, néha rossz olvasáson alapszanak. Szamosközi, hol az előtte volt szövegnek hibáit javítani bírta, a javításokat tartózkodván a szövegbe bevinni, azokat az oldalra vetette, s hogy teljes legyen a kiadó calamitása, ezeket is sok helyt elvágta a buta könyvkötő, ki már az I. II. III. könyvekben is Brutus sajátkezű számos oldaljavításait és pótlásait megcsonkította. Így tehát itt is Brutusnak igazítatlan s megromlott szövegével van dolgunk. Ahol a hibák nem csak bizonyosak, hanem világosak is, természetesen nem volt szabad azokat igazítatlanúl hagynom. [2]) De vannak, mint az imént érintettem, oly helyek is, hol a codex csonkított, vagy átlikasztott, vagy elszennyezett: az ily *hézagokat*

[2]) Példák: Itt a 17. l. 20. s 21. sorában reprehenden*dos* és reg*i* áll, a PC. reprehenden*do* és reg*i* hibás olvasása helyett. A 23. l. 18. s. quod omen *obruat* deus állott, *abnuat* h. L. 35. 19. s. exolevis*set* exolevis*sent* h. A 26. l. al. 7. sor: transigend*is* van a codexben, transigend*i* h. A 67. l. 15. s. ver*ae* állt ver*e* h. A 69. l. 18. s. *sic*, *si* h. A 73. l. al. 6. s. agendam, agendum h. 1 77. l. i. s. oppon*at*, oppon*ant* h., s a végelőtti sorban viszont intelliger*ent*, intelliger*et* h. A 82. l. vég szava volt *pro*,pro*ut* h. A 83. l. 1. sorában *poena*, *plena* h. A 98. l. 14. s. *al*uit, *all*uit h. A 124. l. 11. s. *cr*edebant, cedebant h. A 135. l. 10. s. alul ex*stitis*se, ex*cess*isse h. A. 145. l. 15. s. *per* állott *penes* h. A 151. l. végelőtti s. ex*tre*mum, externum h. A 157. l. 11. s. *quo* áll *quod* h. A 176. l. végelőtti s. constantiam *in*constantiam h. A 209. l. 18. s. defend*i*, defend*endi* h. A 327. l. 20. s. *par*, par*iter* h. A 421. l. 7. és 8. sorában alulról re*rum* gesta*rum*, re*bus* ge*stis* h. A 452. l. al. s. *per*, post h. A 454. l. al. 10. s. vivendo, *ve*re*nda* h. A 466. l. — s. *usque maxima*, világosan *iisque* maxim*is* h A 467. l. diminu*tum*, diminu*tam* h. — s így *számtalan más*.

már csak sejtelmi úton lehetett, ahol lehetett, pótolni[3]); több helyt kénytelen voltam a nem pótolhatott hézagokat kipontozni. Végre nem kevés helyen egész szókat hagyott ki a Brutus tisztázója; a hol a kihagyott szót sejteni lehetett, a conjecturális pótlás zárjel közt áll[4]). S ily iráshibái nem csak a Pesti Codexnek vannak, hanem a Bécsinek is; itt is tehát a conjecturális critica ugyanazon ovakodó szabadságával szabadott, de kellett is, eljárnom[5]).

Mind ez igyekvés mellett távol vagyok attól, hogy correct szöveget véljek nyújthatni. Sőt számos akad nálam is a zavart, s az igazítatlanúl maradt, első dolgozásra mutató hely, melyeknek megigazítása sikeretlenűl kísértetett meg. Van tehát valahára Brutusunk, de romlott szövegű; s még csak azon remény maradt fenn, hogy, ha netán az eltévedt s általam eddig hiába nyomozott erdélyi-fejedelmi codex elékerűlne[6]), jobb kiadást érhetünk,— t. i. ha az csakugyan correctebb volt, a mit azonban eddigi tapasztalásaim után, miket nagy számú codexeink mivolta körűl gyűjtöttem, kétségbe vonnom méltó okom van. Minden, mit ily felfedezéstől várhatunk: *egy teljesebb* szöveg nyerése.

[3]) Ilyeket lel az olvasó a 288. 291. 293. 362. lapokon.

[4]) Mint a 45. 166. 205. 365. 376. 408. 417. 450. lapokon.

[5]) Péld. a 173. l. 15. sorában in*iu*stas, in*u*stas h. A 238. l. végelőtti sorában *regum*, reg*num* helyett. A 240. l. 2. s. inter*vecti*, interfecti h. A 249. lapnak alulról 9. sorában *proferet* hihetőleg *pateret* h.

[6]) A *B.-codex* lehetett az (l. az I. kötet Bevez. a LXXVIII. l.). melyről gróf Teleki Sámuel 1802. dec. 21-kén ezeket írta Éder Józsefnek: „Das Original-Exemplar *vom ganzen Werke* soll vermög der Anordnung des Fürsten Stephan Báthori (tán inkább Zsigmond fejedelem) an das Capitular-Archiv von Carlsburg zur Aufbewahrung depositirt worden seyn. Es ist dort gesehen, und *um die Mitte des vorigen Jahrhunderts durch manus rapaces entwendet worden.* Der selige Cornides hat mich versichert, dass es durch die Jesuiten nach Wilna in Polen gekommen ist." (E levél-kivonatot Trausch József erdélyi szász atyánkfiának köszönöm.

De addig is, míg ily remények teljesedésbe mehetnének, örvendjünk hogy a M. Tudom. Akademia módot nyújtott három századi hányatás-vettetés után Brutust, habár csonkán s nem ritkán az-érthetetlenségig hibásan bírni, de bírni mégis: mert ennek, s az írónak szemére lobantott minden szaporaságnak daczára, nagy becsü forrása marad ő a XVI. század történetének.

A III. kötet nyomtatása, melyben a munka be leszen fejezve, s melyhez Brutusnak magyar érdekü Levelei, s egy név- és tárgylajstrom járúlnak, derekasan halad, s még e nyár folytán történetbarátaink kezeiben lesz.

Pest, május 1. 1867.

TOLDY FERENCZ.

LIBER QVINCTVS.

Ludovicus annum decimum quintum agens, de more, iustis parenti solutis, iniit regnum, ut iam pridem infans sumptis regiis insignibus, ita ea aetate suscepta mole imperii, qua parere salutaria imperanti grave esset, Vngaris imperare, quorum ferocia ingenia moderari vix sapiens rex, et multorum annorum usu confirmatus recte posset, et sibi imperare adeo, quod in omni vitae parte arduum est, esset gravissimum. Itaque postea non defuerunt, qui inter infelicis regni initia memoria repetentes, illius natalem diem, ut suo loco commemoravimus, in eorum omen verterent, quae postea evenerunt. Negabant vero debere mirum videri, si cuius ortus matri occasus exstitisset, eius esset interitus pesti patriae et exitio futurus. — Alios in spem regni natos, quae speranda populis de his, quae timenda, aliquot annorum progressu in apertum ingenii indole erumpente, certa signa dedisse : ne quem falleret Ludovicum ipso statim vitae ingressu ita primam huius lucis usuram hausisse, ut Vngaris minime difficile esset divinare, qui eo capessente regnum esset rerum status in Pannonia futurus. Neque educationem rege dignam nato infelicibus auspiciis, quae si quid boni a natura inesset, perpoliret, si qua

vitia, aut tolleret aut emendaret, contigisse. Natum per matris interitum, in patris regis luctu, cui, qui plurimum faveret, unam maximam laudem impertiret, ita actae vitae, ut nemini volens prudensque incommodaret, propterea patriae non fuisset subsidio, quod voluntatem facultas agendi destitueret, certe minime dignus haberetur, cuius proles, a natura ficta ad parentis ingenium, in Vngaros, hoc est in viros fortes, obtineret imperium. Atque haec quidem nonnulli, Ladislai memoriae parum faventes. Fuit enim in Ludovico virtutis indoles; animus in primis (quamquam multa essent, quae deprimerent erigentem se naturae instinctu) ad honesta studia proclivis, elegantia morum, gravitas in puero adhuc, index regii animi, sed quae tamen popularis esset, et abesset procul a regio fastu. In eodem mite ingenium, lenitas summa, comitas, morum elegantia. Iam quae conspici maxime in rege debent in adolescentia praesertim, gloriae cupiditas, rei militaris studium, exercitatio armorum, equitandi usus assiduus, atque omnium aliarum artium peritia quae dignae maiestate regia haberentur. Quae omnia commendabat formae decus, qua nemo illi erat aequalium par; statura procera, firma latera, atque optima totius corporis constitutio. Tribuunt illi in primis fidei, et constantiae laudem, iis tegendis, quae illi arcano crederentur, sive ad se, sive ad alios pertinerent: quae in adolescente virtus eo admirabilior, quo pauciores sunt, in quibus natu etiam grandioribus non desideretur. Vnus deerat adolescentiae moderator, qui ea, quae illi natura largita esset, prolixa eo ornando atque augendo, cultura meliora redderet. Ferebantur vero in illo nonnulla, quae cum aetatis, non ingenii essent, danda opera videretur, ne tum obessent, cum esse ingenii non aetatis crederentur.

Neque deerant, qui insidiarentur pueri aetati, improbi homines, atque earum voluptatum administri, quibus maxime adolescentia capitur, nusquam in regia satis tuta innocentia, atque adeo quamquam illa praeclare a natura, atque a domestica disciplina educationeque munita. Nam prater illam infamem assentatorum turbam, quae regum indulgentia alitur, et magnam habet illecebram ad captandos imbecilles animos, paucorum infesta melioribus potentia accedebat, per quam aditus ad regem omnes recta suadentibus obstruebantur; nonnulli enim per Ladislai inertiam regnare assueti, haud sperabant, ubi filius, innixus sapientium hominum consilio, evaderet melior patre, quo illum natura impellebat, diutius quam ipse pateretur, regnum se praedae habituros. Itaque variis artibus se in interiorem illius consuetudinem insinuantes, non aegre ferebant lusibus aetatis indulgentem sensim assuescere, ab ingenio degenerare, in rege modo agnoscere licentiam agendi quae blanda et suavia haberentur; non personae maiestatem agnoscere, non munus, non decus; in primis ab eorum congressu refugere, quorum prudentia melior fieret, totus iis deditus, qui ea, quae vellet voluptatum illecebris delinitus animus, non ea quae regem velle deceret, suaderent. Inde, exolescentibus sensim, quae praeclare a natura inchoata haberet, quae, ut ad frugem perducerentur, formatore prudenti homine, et sedulo, atque industrio indigerent, corruptum ingenium improborum assentationibus, cum se esse crederet, non qui esset, sed qui esse deberet, vitiis iis patuit, quibus, nisi opportune occurrat magna virtus, regna maxima, et principes civitates convulsae, atque eversae corruunt. Hinc bonorum assiduae querelae, quae temporum rationi opportunae, parum aequo animo acci-

piebantur, obsessis regis auribus paucorum blanditiis, qui per eius infirmam aetatem, magna quidem cum invidia, sed non minori cum impunitate, privata commoda honoresque, deiectis melioribus, captabant. Itaque, et monere inter se principes, et hortari palam non desistebant apud regem gratiosos homines, et patriae amantes (nondum enim virtus pudorque plane e regia exsulaverat), ut puerum Regem, aversum ab improborum consiliis, ad ea quae essent se digna capessenda, quae digna Vngarorum gente, qui multa praeclare audendo tantum regnum posteris reliquissent, serio de constituenda republica agerent, neu paterentur ulterius, permissum sibi regem ea aetate, quae vix cum frena acciperet posset regi, se, regnumque universum una in certam perniciem trahere. Ita in unius regis, multorum salutem verti, ut nisi sibi fulciendam pueri aetatem, viri graves sapientia et consilio statuerent, brevi esset verendum, ne respublica rege destituta, quod votis omnibus, precibusque esset detestandum, subito exorta a Turca hoste belli procella, pessum iret. Quibus enim viribus sperandum ab eo regium munus posse sustineri, quem nullae artes dignae tanto futuro rege commendarent; natura quidem adiuvaret, sed quae vix, cum benignius ageret, daret nobis inchoata, quae elaborata pertinaci studio, atque industria aegre perficerentur. Multa in Ludovico laudanda, quae ab ingenii indole manarent, avorum magis, maximorum regum, quam parentis similem futurum spondente; sed quae ea conditione haberet, ut nisi contento studio et sedulitate excolerentur, quemadmodum in generosis plantis accideret, quae incultae siluescerent, et in frondes luxuriarent, in vanam, atque irritam spem, utinam non in magnam multorum perniciem red-

undarent: „magna enim ingenia raro conspici sine ingenti populorum malo in summa rerum potestate, nisi ea summa virtus, et magnitudo animi moderaretur; ut in furentis manu telum praevalidum, quod numquam a viro forti, nisi pro eorum caussa, quos aequitas et ius defenderet, emitteretur.“ Dandam operam iis, qui rempublicam saluam vellent, ut regis ingenium, quod, pro excolentium studio, aut virtute aut vitio excelleret, quocumque illum, aut prava educatio flecteret, aut castior et severior disciplina, quae numquam semina virtutis iaceret sine certa spe proventus, quando propria virtus minus regni impotentem adiuvaret, aliena innixum, ut regem deceret sui officii memorem, regium munus tueretur. Ita fore, ut iusto, sancto, moderato regi Vngari parerent; rex miti, facili, atque aequabili imperio Vngaros haberet, cum iis benignitate, amore, liberalitate, et munificentia certando. Exterminatis e regia hominibus impuris, quorum illecebris, et lenociniis emollitus fatisceret regis imbecillus animus, ex omnium delectu sapientes homines evocandos, quorum consuetudine disceret rex esse; quem non genus solum, quod saepe posteri multis scelerum et flagitiorum tenebris obscurarent, sed virtus, iustitia, sapientia, sanctitas, casti mores, redderent in quavis fortuna natum regno dignum. In primis deligendum ex omni nobilitate, cuius prudentiae regis imbecilla aetas regenda, et quasi fulcienda adversus adolescentiae aestum tuto permitteretur: cum qua quidem liceret sperare corroboratam virtutem sapientium praeceptionibus, suo tempore opimos, atque uberes fructus suis edituram. Ita fore, ut neque de eius voluntate, qui ita esset educatus, neque de facultate, ubi per aetatem liceret per se obire regium munus, quisquam dubitaret. In quo duo illa

essent, ab eo facile impetratum iri, ut quamdiu sub melioris imperio hauriret bene aliis imperandi praecepta, oblitus ad tempus, se regem esse, regi se, ac flecti ad meliora vitae instituta, atque honestiora pateretur. Neque dubitari oportere, in quo esset virtus, et sapientia tanto munere digna, quin disciplinae suae alumnum, magno studio ad regium decus conformatum, haberet in potestate : numquam enim spectatam virtutem auctoritate caruisse, ubi mollia ingenia nondum, pravis consiliis a rectis virtutis studiis detorta, in scelerum et flagitiorum licentia obduruissent. In primis avertendas teneras aures a vocibus assentatorum, quibus esset aula referta. Hanc unam olim pestem nobilissimas Europae regias evertisse; hanc omnes eversuram; quas non sapientium hominum consilium, et altis stirpibus haerens animis muniret virtus. „Vt vero eius esset deploranda salus, cui, cum gravi morbo laboraret, persuasum esset, se optime valere: ita de eo omnem spem abiiciendam, qui cum ad summam virtutem contenderet, infirmis viribus, tum se crederet verticem tenere, cum vix ab imo exsurgere coepisset.“ Eiusdem aetatis maiorum memoria Hieronymum Syracusanum (facesseret tam triste omen a Ludovici regia), cum hereditate crevisset regnum peropulentum, et cuius magnitudini vix sufficeret fortissimus rex, et per se adnixa validior ac robustior virtus, reiectis meliorum consiliis, quasi sub iniusto fasce, cecidisse. Ac non illum quidem eius regis prolem, ut credi posset, vitia a genere hausisse; sed Hieronis regis, qui, et aliarum virtutum omnium clarissimum exemplar, et ad extremam usque aetatem documentum illustre regibus exteris colendae fidei exstitisset; ut, quem aemularetur rex adolescens, optimum regem

iustissimum, in suos aeque, atque in exteros munificentissimum, domi haberet, magnum futurum semper ad summam laudem incitamentum. Adolescenti regi, non externos magis timendos, quam intestinos hostes: tanto enim illos infestiores, quanto tecti magis, per insidias certius et gravius laederent, ne facile vitari possent, amicorum persona, quae incautum falleret, assumpta. Sed omnium infestissimos esse, quos ipse perpetuos hostes, dies noctesque alte abditos in pectoris penetralibus haberet, effrenatos impetus mentis, et cupiditates animi, quae nullo intermisso spatio, hinc lascivientem rerum omnium opulentia, hinc ferocia exsultantem, quae raro a summa potestate imperii, sine pari moderatione, abesset, ad se raperent totum, ne esset aut sui, aut regii muneris memor. In eo enim regum, quam privatorum deteriorem conditionem, quod hos metus legum a maleficio retardaret, illos legibus subtraheret regia potestas, et volentibus quae leges vetarent, quantumvis tetra, flagitiosa, nefaria, dedecori sibi, privatis, et reipublicae exitio adeo futura, frena licentiae laxaret, quae pestis, capitalis iis ipsis, qui sibi omnia licere vellent, magna quondam regna, atque imperia evertisset, usque adeo quidem regnantibus infesta, ut adversus eius vim, atque impotentiam, ne satis quidem tuta essent munita pectora virtutibus omnibus, quas homines colerent; certe ut in nequitiae, et probitatis contentione, iis victoriam difficillimam redderet. Quae gravis caussa olim fuisset sapientibus, quorum consilio regia potestas esset inter homines instituta, ut cum diffiderent, cuiusquam sapientiam tantam esse, ut illi tuto committi multorum salus posset, eandem ipsam regiam potestatem, arctioribus vinculis sibi esse constringendam censerent. Inde perscriptas,

et sancitas leges populorum et gentium omnium consensu, quarum divinam vim, atque aeternam, ad praemium recte hominum factis, ad poenam sceleribus imminentem, mortales in terris venerati horrerent: e quorum numero non nobilitas quemquam, non copiae, non regia maiestas eximium, cui leges parcerent, haberet. Additum delectorum hominum consilium, in quibus fidem sapientia, sapientiam fides, utramque virtus par, et constantia tueretur : accedere scripta veterum, et antiquitatis monumenta, quae omnia excogitata, a prudentibus hominibus, et litteris prodita essent; ut haberent populi, quibus impares hominum vires administrandis summis imperiis, quasi virtutis firmioribus vinculis vincientes, confirmarent. Quid sperari de puero debere, qui ea aetate regnaret, qua vix esset credendum tuto posse a tutorum latere sine discrimine avelli? Vsu iam pridem tritum, ut, „qui male velit regno ominari, illi aut regem puerum, aut feminam precetur : in altero enim aetatem, in altera sexum obesse, quorum utrum esset hominum rebus pestilentius, haud facile posset diiudicari."

Haec a rerum peritis hominibus, magno cum assensu, audiebantur; sed quod minus ea sententia vinceret, quae et honestior, et tutior erat, nonnullorum ambitio efficiebat, qui eadem quidem, sed alia ratione, et consilio, cum non idem propositum finem haberent, suadebant : moderanda enim Ludovici aetate, verbo prospicere communi saluti videbantur, moderatore aetatis constituendo, cum potentium quisque per tutelae speciosum titulum munire sibi viam ad regnum crederetur, id quod minime iis poterat probari, qui cum patria pietate coniunctam prudentiam, atque usum rerum haberent. Vigebat tum in omnium ore recens Ludovici Sfortiae

scelus, qui, matre pupilli deiecta tutela atque imperii procuratione, Insubrum regnum Joanni Galeatio fratris filio ademptum tutelae nomine invaserat, ne quando aetate, animi virtute, et studio ingenuarum artium corroborata repeteret iura paterni imperii, molli educatione, et perniciosa indulgentia depravato, atque a cura regni averso. Quod hominis scelus, non prius aliis, quam illi ipsi exitio fuit, cum quidem insigni cum hominum invidia, violato divino, atque humano iure, per suorum ruinam, sibi viam ad iniustum imperium stravisset. Atque in his, qui hoc acrius urgerent, ii maxime ferebantur, qui Scepusium, aut necessitudine aliqua, aut familiaritate attingebant, facilem calumniae viam viri potentia, et auctoritate aperiente. Alia erat factio, qui contra atque alii sentirent, neque detrahendum quidquam de regis maiestate, et eundem tamen regno imparem muniendum auctoritate legum, ac prudentium hominum consilio tutelae iure minime astringendum censebant: ita fore contendentes, ut maturius quam ferret aetas, assuesceret rex esse, et munera regia obeundo tuto disceret regnare. In unius tutoris moderatione non regi solum, sed populis etiam multa esse metuenda, qui ipse exlex, regem, qui quantus esset minus nosset, haberet in potestate. Quae impunitas quasi quaedam ad peccandum illecebra potenti homini obiecta (verisimile enim, cui tantum munus deferretur virum principem delectum iri) non aliis solum, sed ei etiam ipsi, cuius tutelae praeesset, pestem atque exitium importaret. „Ambitionem enim, quo animi morbo fere potentes homines laborarent, ita ingenerare in magnis animis regnandi cupiditatem, ut cui per tutelae occasionem quantum vellet liceret, conciliatis variis artibus eorum animis, in quos ius imperii obtineret,

vix crederetur tantam adeptus potestatem a scelere et malificio temperaturus. Nam tametsi interdum in principibus viris excitata virtus, ad officii respectum sui potentes excitaret: saepius tamen eam ipsam in magnis animis invictam virtutem ambitioni cedere; unde semina ingentium malorum, quae hominum vitam infestam haberent, iacerentur. Lubricam quidem, et periculosam rationem esse aliena invidia et periculo regnare, ut si tutor male rem administret, tegat pupilli nomen, quod speciosum in primis in reipublicae procuratione iactatur, quidquid male administratum sit; si quid ex sententia, in tutoris laudem vertat, cuius ductu, alienis auspiciis est res praeclare gesta; quam fallaciam, etsi prudentes homines non ignorarent, non tenere tamen imperitos, qui cum numero bene sentientes longe superarent, sibi rerum iudicium sumerent, magno rerum humanarum incommodo . . . . . *) Ergo Sigismundus, cognitis Vngarorum postulatis, iis ita respondit, ut ingentibus gratiis actis, quod de se tam honorificum iudicium fecissent (non enim deesse e suis, qui virtutis, et generis splendore clari, pares tanto muneri haberentur), diceret, se primo quoque tempore, quemadmodum illos velle intellexisset, legatos in Vngariam, qui iis, quae sua esset sententia, significaret, missurum. Sumpserat vero hoc ad deliberandum spatium, non alienus quidem a suscipienda Ludovici tutela, quem fratris filium, ut aequum erat, statuerat sibi filii loco habendum, sed Vngarorum constantiae diffisus: quorum propter domestica discidia, et veteres simultates, ita erant variae de republica sententiae, ut non ignoraret suo ingenio esse aversos a regni procuratione exteris tradenda, tametsi nonnulli

*) (Itt a „Pesti Codex"-ben egy ívrét levél, F. 8., hiányzik).

viderentur privato consilio secus statuisse. Neque vero eundem fugiebat, quamquam temporis caussa dissimularent, quid de Maximiliano Vngari sentirent, a cuius amicitia, et affinitate, praeter insitum in Germanos odium, semper supra omnem fidem abhorruissent, praepotentis principis, et cuius non solum opes, quae essent tantae, sed voluntatem etiam, quam agendi facultas, et vires pares consequerentur, sibi cavendum statuebant. Favebat porro Sigismundus sua sponte Maximiliano solito impensius; tum quod existimabat ad minuendam Vngarorum principum potentiam, quae Ludovici securitati officiebat, maiore auctoritate innitendum; tum quod sperabat per suam suffragationem sibi conciliatum, aequiorem in iungenda secum affinitate habiturum: mortua enim per idem tempus fere Barbara regina, Scepusii sorore, relicta insigni probitatis, et pudicitiae fama, ambiebat Eleonorae nuptias, quam Philippus Maximiliani filius, ex Ioanna Hispaniarum regina, susceperat. Haec est Eleonora, quae postea Emanueli Lusitanorum regi, atque eo vita functo, Francisco regi gallorum nupsit. Quae cum ita se haberent: destinatos iam in Vngariam legatos Ioannem Laschium, Archiepiscopum Gnesnensem, et Christophorum Schidloviczium regni Cancellarium, summae homines dignitatis accelerare iter in Vngariam iubet, datis ad illos e Litvania litteris, quarum sententiam, ut adhuc exstat in Polonorum monumentis, huc placuit transferri: Certiorem se factum Ioannis Karnkowszkj litteris, sui apud Ludovicum regem legati, rogare principes Vngaros, ut, ex mortui regis sententia, quae illi cum vita postrema fuisset, filii pupilli tutelam, et regni procurationem susciperet; quod quidem, ut generis, et sanguinis propinquitas. atque eximium adeo suum in

Vngaros studium abesset, cuius a prima usque adolescentia, praeclara documenta iis dedisset, hoc unum se plurimum movisset, quod intelligeret quam gravis, et acerbus casus propinqui regis esset: qui quidem orbus, pupillus, puer, cum magnis regnis, et multis populis imperaret, ne quando oppressus mole imperii succumberet, esset aliena fide, et sapientia sustinendus. Atque esse quidem tanti honoris percupidos multos, sed ut in quibus insignis esset voluntas, et fides, quod fere accidere consuevisset, sapientia desideraretur, in quibus prudentia et vis consilii, requireret fidem; cui a nulla alia re gravius periculum immineret, quam a magni animi hominibus, in quibus non solum regnandi cupiditas, sed facultas regni potiundi per studiosorum hominum factiones, et multitudinis studia adesset. Raro vero inventam fidem in privatorum tutela, commonefacere Vngaros, quam exigua spes esset in tutela regis inveniri, cuius augustior fortuna multo uberiorem materiam ad scelus, et nequitiam, oblito tutori suae fidei, subministraret. Quae calamitas tanto esset maior, quanto plures essent populi, nationes, gentes, ad quos illa per unius incommodum et pestem manaret. Rem fide sua, et constantia dignam principes facere, qui postularent, ut communi consilio de constituendis rebus ageretur, dum Vngari rege, infirma regis aetas rectore careret: sed ignorare se tamen, quid usus Vngaris esset allaturus, ubi per belli curas congredi sibi cum iis liceret, quibus gravissimis esset districtus, ubi sui potestatem ad colloquium faceret. Nam si prudentium hominum consilio indigerent de tanta re agentes, dei immortalis beneficio superesse Vngaris, unde alii sumerent, tantum abesse, ut illis foris esset precario quaerendum. Neque magis de

eorum fide dubitandum videri, cuius saepe documenta insignia a primis usque regis sui incunabulis dedissent, praesertim tum cum consultarent de regni salute, quae esse non posset a regis salute separata. Rogare vehementer, atque obtestari, pro sua in illos voluntate; egregia eorum in se observantia; in suum regem pietate, qui in ulnis nutricis, regem consalutassent, ut e principibus deligerent primarios homines, quorum auctoritate, et prudentia conciliatis discidentium animis, atque omnibus de regno controversiis sublatis, si qui essent modo a tam sulutari consilio aversi, communi consensu, quod maxime in praesentia videretur salutare consilium, constitueretur. Haud satis compertum habere, quo res esset evasura in magna sententiarum varietate, quibus animi distraherentur : non enim se ignorare, etiamsi a nonnullis sibi tutelae procuratio, et regni deferretur, non omnium ea de re eandem esse sententiam : cognovisse praeterea ex iisdem Karnkowszkj litteris, principes in magno metu esse, ne flagrantibus partium studiis, et in diversum rem trahentibus, iretur ad arma; quorum esset exitus, utravis pars superior esset, calamitosus reipublicae futurus. Orare se illos maiorem in modum pro sua in patriam pietate, in regem amore, atque observantia, cuius, quasi aetatis crepundia, sceptrum, coronam, et alia regni insignia esse voluissent, darent operam, ut odiis et simultatibus aliquem statuentes modum, in eam sententiam inclinarent, quae procul ab omni cupiditate, unam modo publicam salutem respiceret et quietum reipublicae statum, quo illos curas omnes cogitationesque intendere aequum esset. Nam, quod a nonnullis sibi praecipue hic honos haberetur, ut summum ius regni, et regis pueri tutelam sibi ultro de-

ferrent; agnoscere se vero eorum erga se praeclaram voluntatem, atque animi studium, cuius numquam esset immemor futurus : sed se iis aequo animo eum honorem remittere, et quod intelligeret minime id regni rationibus expedire, quod perincommode, regi extero sibi permittendum statuerent, satis nativa virtute sua, et robore validum, et vero, quod vix crederet, sine insigni Maximiliani offensione id posse accidere. Quem enim non suspicaturum, eo consilio id actum, ut Maximiliano per adversam factionem excluso, unus Sigismundus capesseret, aliorum consilio, atque auctoritate, si id modo crederent expedire, obeundum, atque administrandum munus? Meminisse vero Schidloviczium posse, quae in conventu Posoniensi, cum de ea re mentio fieret, acta essent; nimirum spem factam Maximiliano a rege fratre, si quid sibi humanitus accideret, in illius tutela simul regnum, simul regem filium se relicturum : ut non posset ipse regis patruus, et quidem, qui fratri fere fuisset iungendae affinitatis cum Maximiliano auctor, ab eo separata consilia habere. Itaque, ubi principes sua sponte sibi aeque, et Maximiliano pari auctoritate rempublicam administrandam permitterent, habere, quod statueret neque se recusaturum. Sperare vero eos intelligere, ubi id accideret, multo praeclarius secum, quam cum iis ipsis quibus hunc honorem haberent, agi : labores enim, molestias, curas, quas maximas et gravissimas ii sustinent, qui non sibi, sed suis regnant, penes se, et Maximilianum fore; eorum fructum omnem penes Vngaros futurum. Cum illos vero, per hanc rationem, allaturos plurimum firmamenti ad stabiliendum convulsum reipublicae statum, tum ad confirmandum affinitatis, atque amicitiae ius, quo iuncti cum Maximiliano essent, maximas

accessiones, atque opportunitates addituros. Postremum erat mandatum, ut cum Caesaris legatis, qui in Budensi conventu essent affuturi, consilia omnia communicarent, atque adeo iis ostenderent omnium quae de hac re iis mandata dedisset, unum potissimum imperatum, non solum, ut ne quid agerent, in quo suspicari possent, vel levissime illius animum praestringi, sed ne quid, quod plane intelligerent, ex illius sententia non administrari. Quodsi principes tamen pertinacius in suscepto consilio manerent, et sine suspicione ingentis motus, negarent se posse Maximiliano summum regni ius permittere, et vicino regi, et potentiori, quam crederent Vngarorum rationibus conducere: iam minime obscuris argumentis, probata sua in Caesarem fide, suo nomine, id poscentibus iussisse significare, quando id esse e republica existimarent, se illis in mora non futurum; arbitrari enim, se amici regis officio functum, ubi per hanc rationem suam apud Maximilianum fidem liberavisset. Neque vero se credere Vngaros reprehendendos, ubi diffisi extero regi, fidei suae regni procurationem permitterent, quem scirent in fratris filium gerere paternum animum.

Atque haec quidem Sigismundus; legati uti erant iussi illius nomine spondent: quod felix faustumque utrique regno Vngarorum Polonorumque esset, multis necessitudinibus devincto, alacri et praesenti animo munus sibi impositum fide, et constantia par administraturum. Quem suum in illos animum, quoniam per reipublicae tempora, et belli curas minus sibi liceret praesenti praestare, placere, ne qui locus querelae relinqueretur, id quod accideret, multis praeteritis qui aeque nobilitate et gratia excellerent, unus de sua sententia

rebus administrandis praeficeretur, quemadmodum iam Posonii convenisset, alterum ex pontificum collegio, e principibus alterum deligi, qui potiores dignitate haberentur, et multa suae fidei et prudentiae documenta dedissent, penes quos, absente se, summa reipublicae esset. Ac ne eos fugeret, quos maxime idoneos censeret tanto gerendo muneri: placere (si ita eis videretur) e pontificum ordine Thomam Cardinalem Strigoniensem; Colocensem, et Quinquecclesiensem episcopos rebus praeesse: ex nobilitate, ut videretur, et muneris, et personae ratio habita esse, regni Palatinum, tum Ioannem Scepusium, qui tum cum imperio Transilvaniae praecrat, Petrum Comitem Groffium. aut si mallent, Mosem aulae regiae praefectum. Per hos delectos optimo consilio, qui in regenda Ludovici adolescentia sibi essent collegae, sperare fore, ut omnes intelligerent, et in mandando munere hominum probitatem et sapientiam, et in habendo honore spectatam nobilitatem esse, more atque instituto maiorum, qui ex utroque ordine, ne quis invidiae locus relinqueretur, deligi semper voluissent, qui propter singularem virtutis, et sapientiae opinionem haberentur digni qui in arcano regis consilio de republica consulerentur. Postrema orationis pars, adhortatio fuit: Quando eorum virtus excelso loco sita iam pridem omnium in se oculos convertisset, in spem certam erectis animis, fore, ut eorum auctoritate et consilio republica constituta, regnum pristinum suum decus recuperaret, darent operam, ut inde partam gloriam, pari constantia pergerent tueri: permagni quidem interesse ad hominum famam, hoc non ignorari, maluisse Vngaros exemplo esse ceteris ad moderationis, et constantiae laudem, legitimo agnoscendo rege, quam ad levitatis,

et inconstantiae dedecus, rescindendis convellendisque iis, quorum ipsi auctores exstitissent. Quando omnibus idem atque unus esset finis propositus, regni securitas, libertas, otium, salus: de certa via et ratione, qua perveniendum ad eum finem esset, turpe esse inter eos parum convenire. Esse quidem gravem consultationem de re tanta, ut cum alii, pueri regis aetatem regendam censerent unius prudentia, quod sibi patruo munus ultro detulissent; alii negarent, ei ex alterius praescriptione imperandum, cui leges traderent, et gentium ius, liberam regni administrationem: videri eo confugiendum, quo in gravioribus consultationibus descendere maiores consuevissent; ut ordinum conventus indiceretur, ac, dictis in utramque partem sententiis, decerneretur quod maxime ex regis dignitate consilium esse, atque e republica constaret. Id voluisse Sigismundum regem Vngaris significari pro vetere sua in illos voluntate, proque eius coniunctionis vinculo, quo esset Ludovico devinctus, quo nullum arctius haberetur, ubi esset a patria sanctitate descendendum: atque adeo id magis amoris sui, et benevolentiae testificandae caussa, quam eos monendi, prudentissimos homines, et qui, pro sua sapientia, quantae res essent, de quibus in praesentia ageretur, tum ex regis aetate nondum matura regno, tum ex praesenti reipublicae statu facta coniectura, minime ignorarent: certe, quae esset temporum ratio, quae hominum ambitio, quam immanis cupiditas, quanta nonnullorum conspiratio adversus bonorum consensum, quam perniciosa consilia, dubia et fluxa fides, interesse permagni eos cognoscere, quorum prudentiae, et fidei esset summa reipublicae permissa. Optime vero cum Vngaris agi, quibus a teneris annis datus rex esset, cuius studia,

et vitae rationes liceret conformare ad patrios mores, ac quasi ipsi sibi effingere regem suis manibus, cuius ubi cum aetate adolesceret virtus, dignus iis rex haberetur, quorum in se eximia studia adhuc vagiens in cunis esset expertus. Nam nisi molle illius ingenium eo flecterent, quo reipublicae ratio, et temporis postularet; de quo quererentur, praeter se, habituros neminem. Brevi oratione legatis, regis nomine responsum est; qui quidem, minime ignarus, quo totius eius legationis summa spectaret; ubi minus etiam patrui regis auctoritas accederet, satis per se erat aversus ab eorum sententia, qui aetate diffisi uni regni tutelam, et regis mandabant. Agnoscere se vero in patruo rege, quem patris loco coleret, eandem, quam praestare parentes aequum esset in liberos indulgentiam: ut minime sibi esse orbatus patre videretur, in cuius locum regem maximum et sapientissimum, eundem patruum fortuna parentem studio animi, atque amore successisse animadverteret, qui, quasi hanc unam haberet susceptam contentionem laudis, mereri praeclarius in dies de sua salute conaretur. Atque, ut multo sibi accideret gratius hoc ab illo tum persolutum officium, adolescentiam suam facere; quod tamen officium in omni alia vitae suae parte fuisset gratum futurum: satis enim intelligere, aetatis suae imbecillitatem, nisi auctoritate tanti regis fulta staret, non uni regi sibi solum, sed multis etiam gentibus, et populis, quae illius imperium, auctoritatemque respicerent, esse pestem, et perniciem importaturam. Cetera in adolescente posse esse praeclara, vim ingenii, et solertiae a natura, virtutis, et probitatis studium, a disciplina et parentum educatione, ad magnas gerendas res conformatum animum; desiderari prudentiam, quae ab usu, et tractatione

rerum comparanda, una vere virtus esset, quae a mutis animantibus hominem discriminaret. Hoc proprium haberi patriae pietatis munus, quod in omnibus regibus conspiciendum, sibi Sigismundus rex praecipuum sumeret, ut maiestate honoris inter homines, ita inter reges sapientia et virtute summus: facere enim prolixo quodam in se amore, ut per unius regis personam, una officii perfunctione, de multis simul bene mereretur. Itaque non iam suo modo, sed omnium etiam nomine, eas illi gratias agere, quas tanta illius in se suosque caritas postularet, quod tamen officium desperaret se ullo genere verborum posse aequare.

Profectis legatis, nihil prius Ludovicus sibi statuit agendum, quam, ut indiceret nobilitatis conventum, in quo, quid de se statui, et totius regni administratione placeret, in primis, quo quisque in se animo esset, exploraret: sive enim Sigismundi adhortationibus, qui paucorum potentiam suspectam haberet, sive sua sponte in eos male animatus, qui illius adolescentiam subiiciendam unius arbitrio censerent: quidvis potius videbatur facturus, quam ut per speciem tutelae, regi pupillo invisae potestatis, et regio imperio officientis, quod unum maxime animo aversabatur, quemquam, vivente se, regnare pateretur. Ferunt quidem, frequenti iam conventu, interrogatum a rege Thomam Cardinalem, qui proxime regiam sellam assidebat; quaenam eius esset futura potestas, quem sibi rectorem, moderatoremque regni, nonnulli imponi vellent; minime hominem nobilitati aequum respondisse: Quae uni in regem simul, et in omnes regni ordines summum imperium traderet. Inde cum Ludovicus indignabundus, et quo loco esset ipse futurus? addi-

disset; tum cardinalem renidenti ore, ut appareret, in respondendo, non plus rei, de qua ageretur, quam odio dedisse, quo in nobilitatem inexorabili ferebatur, ita excepisse dicentem, eam illius rationem futuram, ut tutor pupilli regis vere regiam potestatem obtineret, ipse regni insignia gestaret, statuae persimilis, aut tabulae pictae, quoad tutoris imperio pareret. Hic Ludovicum, tantum enimvero flagitium negasse umquam admissurum se, ut cui regia potestas in alios, legitimo regni iure tradita esset, is ultro prudens, et volens, cuiquam, quo ille cumque nomine animi cupiditatem tegeret, regium in se deferret imperium. Ad haec Cardinalem, praeclare illum vero, et, ut magno rege dignum esset, respondisse: neque passuros magis suos, ut in excutiendo servitutis iugo, quo, per honestam officii speciem, constringere nonnulli eos vellent, degenerare a maiorum virtute, atque adeo parum dignos se ostendere tam augustae indolis rege viderentur. Frequens Pestum convenit ad indictum gentis concilium, qui patrius mos erat. Vngarorum armata multitudo, neque ita multo post Scepusius, adductis secum, praesidii caussa, delectis equitibus sexcentis, quae res, adversae factionis hominibus, nactis verisimilem magis, quam veram maledicendi materiam, occasionem praebuit innoxium, ut postea cognitum est, apud regem criminandi. Nihil vero facilius, quam male sua sponte in illum affecto, et nonnullorum assentationibus, atque incitamentis gerenti saucium animum, pro veris in eum, quem odisset, falsa probare: qui morbus tum aetatis, tum ingenii, quod praesertim nulla rege digna disciplina excoluisset, non regem prius, quam, cui erat impositus, perdidit regnum. Ea vero in pronas aures ad sua mala insusurrabantur;

Iam non Scepusium per occultas artes imminere regno, sed per multitudinis studia, cuius ducem se, contempta regis aetate, profiteatur, quae ratio explicatissima esset eo viam molienti. Regiam unam Budae constitutam, quae legitima Vngaris esset, quam regum sedem agnoscerent, in qua venerari eum soliti essent, quem sibi iustis suffragiis, et per omnium populorum consentientia studia, regem creassent. Sed non eam unam in Vngaria regiam esse: habere Scepusium alteram ad Pestum institutam, quae legitimae obiiceretur, non iure ullo, non veterum more, sed multitudine armata fretum: et quidem, ut maiore stipatus frequentia, et splendidiore comitatu incedere, quam Ludovicus Rex conspiceretur. Neque hoc naturam rerum pati, neque ulla gentium iura, ut ullum in terris regnum duos simul reges, quo, quasi duo capita unicum corpus, nullum esset immanius monstrum, agnosceret. Quem vero posse dubitare, si, quod omen abnuat deus, hoc Vngaris accidat, quin brevi opulentissimum regnum, quod concordia coalescens, maiorum virtute in tantam magnitudinem pervenerit, discissum et convulsum, sit ruiturum ad extremum casum? Per Ladislai mortem, ludificatum pueri Ludovici aetatem; regnandi immanem cupiditatem, quam male diu latebra ulla animi occultasset, detegere ausum; cuius spe inflatus, cum in regis caput, tum in aliorum vitam, et fortunas insultaret, quibus stantibus omnis illi aditus ad regnum esset praeclusus. Quae si non essent, cur non mallet in magna principum frequentia, qui regi adessent, primae vir dignitatis, quam succinctus turba armatorum conspici in incondita hominum multitudine, qui libertatem haberent venalem, quam prae iis contemnerent, quae sibi praemium uni addictae sponderent, agros, latifundia, insignes militiae hono-

res? Nam si vere crimine esset animus insons, si integra a fraude et maleficio mens, cur regis offensionem, cum recte posset declinare, augere potius, magna sua invidia, pari existimationis iactura pergeret?

Haec atque alia his similia multa in Scepusium dicebantur, ut multi credebant, ni partam antea gloriam, infelici ad Cernovicium expeditione corrupisset, facile regnum, revocato ad antiquum morem iure creandi regis, per nobilitatis suffragationem obtenturum: quod, per exterorum connubia, Ladislaum perturbasse quererentur, non meliore conditione futuro Ludovico, quam multi maiorum memoria fuissent, quibus deiectis legitima regni successione, meliores ad regnum, id postulantibus reipublicae temporibus, adsciti essent. Vsque adeo vero suscepta spe frustratum, ut (si hoc modo de viro tanto liceret suspicari) unde sperarit secundam sibi auram afflari, contendenti ad regium decus: inde exorta saeviore tempestate, ex eo loco sit reiectus, quo fortunae indulgentia provectus incredibili hominum plausu pervenisset. Dura enimvero eorum conditio, qui reipublicae serviunt. Nam „raro apud praesentes homines est recte factorum memoria diuturna; id quod cum alii multi apud Graecos, Miltiades, Themistocles, tum alii apud Romanos, in his Camillus, Africanus, Asiaticus frater, docuerunt; quantumvis enim levis offensio, magnum meritorum cumulum deruit, temere quidem vulgo, atque ex eventu rerum de virtute virorum principum, non ex certa ratione iudicante; quam ut quis maxime in cursu gerendarum rerum ducem sequatur, non semper habet tamen fortunam in potestate; cuius est vis magna, et praeclare aut secus quam quis velit inceptis respondeat eventus." Haec conditio summorum virorum, uti eorum dignitas multitu-

dinis iudicio pendeat, quae de iis, sive quid bene, sive quid male agant, statuat fere temere semper, non fortunam, non temporum vim, non humanos casus sibi censeat spectandos, pari temeritate quos odit, et quibus favet, ex suo sensu, fallaci semper, non ex certa ratione rerum, afficere poena, aut praemio assueta. Eodem tempore, principes Budam convenerant, quorum auctoritas in sanctiore regis consilio eminebat, et pontificatus honore insignes alii. E quorum numero nonnulli, sive de regis salute vere solliciti essent, sive ad conflandam Scepusio invidiam, esse videri vellent, minime regis salutem multitudini armatae committendam, et, suspensis de eventu bonorum animis, in regia urbe conventum peragendum censebant, haud hominum invidiam veriti, quod ita viderentur discedere a gentis instituto, quae indicere armatorum concilium, ubi agendum esset de gravioribus rebus, ad Pestum, quem campum Rakos vocant, consuevisset, ut alibi dictum est. Itaque de eorum sententia edictum, ut quibus potestas legibus fieret in regis consilio sententiam dicendi, Budam intra certam diem coirent: extra, nisi quem constaret abfuisse reipublicae caussa regio senatu moveretur. Ad huius edicti famam furens licentia multitudo, accitis ex ulteriore Danubii ripa circiter tribus hominum millibus, planitiem occupat, quae peramplo spatio ad urbis arcem protenditur. Inde muris succedens, clamore sublato regiis denunciat, ni animum inducant, conventum quo leges iubeant et veterum consuetudo Pestum transferre, se invitos, et recusantes, vi, atque armis coacturos: simul ad portas concursu facto contendunt, ut, iis refractis, in arcem impetum faciant, quo se rex cum suis receperat territus metu. Erat ad portas dispositum validum praesi-

dium. cui praeerat Paulus Tomoreus magni animi vir, atque audaciae, quo duce aliquot postea annis res est male ad Mohacium gesta. Is ubi multitudinem tumultuantem nulla alia ratione sedari posse animadvertit, obiectis ad portas maioribus tormentis, ad inferendum terrorem, armari suos, atque ultro portis reclusis, erumpere in tumultuantes, et vim facientes iubet. Ita illi regiorum audacia perculsi, effuso cursu, cum plures esse ex audacia, atque animorum fiducia suspicarentur, se fugae mandant, nonnullis ex suis desideratis, quibus oppressis improvisa re, et animus et sui servandi defuit facultas. Inde a regiis, qua praecipites ferebantur, in subiectam fossam deturbati, ad unum fere omnes interierunt. Interea missi a rege nonnulli, quorum erat prudentia perspecta, et probata virtus, multitudinem adeunt, iam, tumultu sedato, et armis ferocia repressa, imperii potentem. Hi docent, gravissimis de caussis regem, quas scire eorum minime intersit, Budae peragere concilium constituisse; simul pollicentur, ubi velint, positis armis, amentia desistere, et postridie mane inermes eodem venire, regem cum suis quoque, quod iis indicium lenis ac clementis animi sit, ad illos processurum. Errasse illos quidem, sed, ut abductis aliena fraude a recta via, locus resipiscendi, et certa spes impetrandae veniae fieret: omnia enim in rege suo ingenio mitissimo, ad condonandum iis temere admissum proclivia, ubi, id quod divinae, atque humanae leges iuberent, unum regem agnoscerent, a quo omnia sibi speranda statuerent, reiectis eorum consiliis, qui munerum et largitionis spe impulsos in fraudem, secum in eandem perniciem traherent, eorum vitam, et sanguinem pretium improbae dominationis, ad quam scelerate viam

affectarent, facientes. Ita rem gestam nonnulli tradunt, quibus quidem fides habenda est, minime assuetis ad gratiam scribere de iis rebus praesertim, quibus aut interesse ipsi potuerint, aut discere ab iis, qui ipsi interfuissent, quod illis fuit facillimum factu. Alii quietiora omnia, et tranquilliora fuisse affirmant: multitudinis seditionem nullam, nullum tumultum, nullius, ne paullo quidem ferocius dictum, quod index esset ad vim atque ad arma spectantium: quae essent in eo conventu agenda, cuncta magna omnium approbatione, et consensu, et ut maxime rex voluit administrata. Vngarosaxones, quamquam origine Germani, quorum lingua institutisque utuntur, parum faventes Scepusii rebus, caussam certam tradunt, quare indicto Budensi conventu, ingredi in urbem recusarit: veritum enim, ne opportunus regiorum iniuriis, ubi se illis temere permitteret, opprimeretur, (id quod non aegre poterat scire, nonnullis in regia, qui occulte illi favebant, de iis quae agebantur sollicitum singulis horis docentibus), foris, multitudine armata septum, cum non caussae magis, quam inimicorum iudicio diffideret, apud regem domesticam potentiam allatrantium, mansisse. Inde cum rex de ingressu urgeret: parva scheda monitum a studioso sui homine (nomen non traditur) paucis, qui comites fugae essent, equos conscendere, atque se subsequi iussis, regi irato, cui se esse suspectum non ignorabat, materiam in se saeviendi subtraxisse. Inde cum aliquot dierum iter Buda abesset, scripsisse ex itinere ad regem, quae caussa sibi profectionis tam subitae exstitisset; qua in re erat culpae suspicio timenda, inde industriae et fortitudinis laudem visus promereri, ubi dictis exstitit fides, id quod brevi postea accidit. Accepisse literas e Transilvania a suis, Sicu-

los, per suum discessum armorum occasionem nactos, in provinciae fines, magna coacta armatorum manu, irrupisse, vastare, populari agros, urbes, caedes facere, exurere pagos, praedari omnia longe lateque, cum res eo loco essent, ut non poscerent opem modo, sed certa ac valida auxilia adversus vim tantam, cui propulsandae impares essent, flagitarent, ne quid afferret moram properanti, assumptis secum paucis, ad tumultum compescendum discessisse. Ita Scepusium frustratos sua spe inimicos, cum fortuna occasionem captanti affuisset, elusisse, qui regi et aliorum consiliorum auctores, et sui opprimendi exstitissent. Neque secus quam perscripserat rem actam: subito contractis copiis, ad Siculos comprimendos profectum, aliquot secundis proeliis factis, victos redire ad officium coegisse. Inde falsi de Scepusio coepti dissipari rumores; ab eo tempore de rege Turcae prodendo consilia coëpisse agitare, saucio dolore animo, cuius ulciscendi in dies gravius iniuriae memoria recrudescentis, nulla certior, atque explicatior via ostenderetur; neque prius quievisse, quam, perniciosissimo concitato bello, per insignem suorum cladem, et regis interitum, dum cunctaretur oppresso opem ferre, per infandum admissum scelus, diu malis rationibus expetitum invaderet regnum. Quae ne ita accidisse credam, cum me auctoritas principum movet, qui non videbantur proditori patriae, sceleris praemium, quo nullum est in hominum rebus maius, quasi optime de suis merito delaturi; tum Ferdinandi regis auctoritas multo maior, Scepusii acerrimi hostis: qui cum alia multa eo accusando, insectandoque colligat, quae tam immani facinore multo leviora sunt, non videbatur hoc, ubi vere illi obiici posset, dissimulaturus. Neque vero, ut ce-

tera abessent, is erat Scepusius, ut in eius vita tanti sceleris suspicio haereret, popularis hominis, et maxime apud nobilitatem, etiamsi nonnullis uteretur parum aequis, gratiosi: cuius nobilitatis studia, earum virtutum commendatione comparantur, quae in paricida, et proditore patriae, neque sunt, neque esse possunt, iustitiae, magnificentiae, liberalitatis, temperantiae, moderationis; etsi enim aliquando latent immania scelera adumbrata specie virtutum maximarum, non diu illa tamen latent; peccandi consuetudine, simulandi studium, ut alte etiam prematur animo, aliquando vincente. Neque vero, ut maxime vellet, licebat Scepusio tantum scelus conceptum animo nisi magno existimationis periculo perficere: qua amissa, quae illi erat spes reliqua regnum adipiscendi? Grave est viro forti complecti animo taetrum et dirum facinus, cui virtute innixo, institutus cursus ad gloriam sit; multo gravius id scelus complecti, cuius qui sit auctor, ut perficiat, quod instituit, multorum conscientiam requirat, in paucis inveniat fidem. Quot vero, Scepusium sibi illigare tanti sceleris conscientia oportebat, ut esset, quorum opera, tanta res, tam plena invidiae, dedecoris, infamiae, cum spe certa eventus transigeretur. Nam, ut adeo desperatos homines, tetro adeo ac praepostero ingenio inveniret, atque adeo inveniret multos, id quod necessario agendum erat, per hanc rationem regno imminenti, quando nemo gratis se patitur in sceleris societatem vocari, qui poterat sperare, eos, qui magnitudine praemii ad prodendam patriam impellerentur, ubi affulgeret uberioris quaestus spes, qui maximus detegentes tam nefarium consilium manebat, perdiu in officio futuros? Nemo vero tam improbus, nefarius, sceleratus est, qui, cum utrumvis

liceat, non cum laude malit, quam cum dedecore ditari. Nam si quis contendat, non defuturos Scepusio suarum partium studiosos homines, et de quorum fide minime posset dubitare: cum praestare fidem virorum bonorum sit, quomodo speraret, qui viri boni essent, suam operam paricidae ad prodendam suorum salutem, coniuges, liberos, Turcarum servituti emancipandos, incendendam, atque evertendam patriam accomodaturos? Sagax, et solers ambitio omnia circumspicit, explorat, maxima minima quaeque scrutatur, sedula innocentiae custos, ne ubi in minimis offendat, apud eos, quorum suffragiis crescere vult, excidat maximis, ad quae non sceleris fama, sed virtutis opinione aditus paratur; certe minime verisimile, quae nobis cogitare venit in mentem, illius personam ad tempus suscipientibus, illum, cuius res erat, praeterire facile potuisse. Sed Scepusii adhuc litterae permultae exstant, qui potitus regno ad Carolum Quinctum Caesarem dedit, ad Imperii principes, ad reges Christianos omnes, Gallum, Anglum, Lusitanum, ad Venetum senatum, sed omnium ad Clementem VII. Pontificem scriptas acerrime, in quibus ita multis argumentis calumnias, et criminationes inimicorum refellit, ut de illius innocentia nemo possit dubitare, in quo non plus odium et potentiae aemulatio, quam ratio et fidei studium possit. Sed de his alius est nobis certus institutus locus, ubi de illius iure agitur in Vngaricum regnum.

In eodem conventu Stephanus Batthoreus in Perinnii demortui locum Palatinus suffectus; cuius iam mentionem fecimus. Gravem Scepusii potentiae aemulum, per se hinc maiorum gloria, hinc domesticis opibus florentem, summo honore placuit augeri, ita existimante rege, quantum huic dignitatis accederet, tantum

de Scepusii auctoritate decessurum, quem destitui viribus, appetentem regnum, placebat. Dicitur Ludovicus de consilii sententia in conventu Boemos, Moravos, Slesitas voluisse habere, sive honoris caussa, ne exclusi a regis consiliis, ab eo alienarentur; sive, ut ad subitos casus haberet fidele praesidium paratum, si quid accideret, quod minus vellet, aut publicae rationes postularent, parum ex meliorum sententia regnanti, cum in assentatores prolixus, et illius aetati insidiantes, plane esset a rectis consiliis aversus. Mentio de regis tutore alto silentio sopita; qui etiamsi optimus contingeret, cuiusmodi credebatur Rex patruus futurus; ne in ea re, in qua una salus omnium verteret, parum prospexisse reipublicae viderentur, prudentes homines, de quorum sententia erat administranda, sibi dandam operam censebant. Malum quidem consilium poterat videri, puerum regem, qui, fervente tum maxime adolescentiae aestu, sua sponte, ubi sibi permissus esset, ad deteriora quaeque raperetur, duce, ac moderatore destituere, (in praecipiti enim cursu aetatis, vel eius levissima prolapsio, multis populis, et gentibus pesti, atque exitio erat futura): sed quod tamen ut mitius malum crederetur, tempora efficerent; quibus nonnumquam parendum ratio docet, atque adeo, cum id videtur in primis a ratione alienum esse; nam ubi suffragiis nobilitatis stari oporteret, haud dubie apparebat, uni Scepusio, etsi ex iis nonnullis parum acquis utebatur, hunc honorem mandatum iri, in quem maioris partis studia propendebant; quibus sive rex esset assensus, acmuli potentiam per se magnam, multo sua auctoritate maiorem efficiebat; sive obviam iret constans suo iure tuendo, non satis regi aequum, a quo aditum sibi praecludi ad maiora animad-

verteret, infestiorem reddebat. Hoc spectasse qui tum in regia pollebant, Scepusio iniquos homines, illud indicio est, cum tantis opibus munitus ad extraordinaria imperia adspirare crederetur, nihil autem non sibi spondere, quo animum intendisset, ei ne locum quidem dignitati regiae proximum, illis refragantibus tenere licuisse, quem honorem Stephanus pater, atque ante eum eius Emericus frater gessisset. Neque huius rei caussa tamen est obscura: verebantur enim, ne viri principis auctoritate, per regis tutelam rerum potientis, frena iniicerentur regis aetate ad privata sua commoda abutentibus. Nam ad cetera nobilitatis studia, cuius, ut diximus, potior pars illius tota erat, accedebat eum Perinnio additum collegam regiae Coronae custodiendae, qua, magna cum ceremonia reges inaugurari consueverunt: ut quasi ominis praerogativa quadam ad maiora appetenda sperandaque illici videretur. Datur Ludovico tamen, qui eum instituendum conformandumque susciperet, ad vitae instituta rege digna, Georgius Brandeburgensis princeps; qui, ut par esse tanto muneri crederetur, tum fides suadebat, atque egregia voluntas, tum prudentiae opinio, quam illi aetas iam adulta, et rerum usus nonnullam conciliabat. Erat Georgius natus ex Sophia Ladislai sorore, quae Friderico Marchioni Brandeburgensi nupta numerosam prolem liberorum ediderat, quorum octo mares fuerunt, in his Albertus, quicum magistro Marianorum equitum, bellum Sigismundus avunculus gessit, quemque postremo acceptum in fidem, primum Pruthenorum ducem (Borussi veteribus erant) appellavit, magna cum Romani pontificis offensione, et Caroli V. Caesaris, quorum uterque summum eius ordinis ius sibi sumebat. At Georgius apud avuncu-

lum Ladislaum a parentibus missus, ac magna indulgentia habitus, uxorem duxerat ex praecipua Vngarorum nobilitate, Bernardini Frangipanis filiam, quae olim Ioanni Corvino Matthiae Regis filio nupserat: qua mortua, Ladislai munificentia atque Vngarici senatus, omnia possedit, quae in uxoris ditione erant, ei a superiore viro testamento relicta. Actum hoc vero, ut videtur, ex Sigismundi sententia: quem cum domestica bella a tutelae administratione avocarent, non erat sperandum, ubi eam curam susciperet, satis idoneum regno administrando, tanto praesertim futurum. Sed, ut in Georgio et fides aeque, et voluntas praeclara aderat, ita aliquando prudentia desiderata est, certe disciplina severior, atque acrior, cum iis bonis, quae in adolescente aderant, excolendis, tum resecandis tollendisque malis, quae etiamsi non essent indolis atque ingenii sua sponte ad bonum vergentis, adolescentiae tamen aestus, et mollior in regia educatio, nonnulla invexisset: sive enim hoc Georgius haberet a natura insitum, cui plus aequo morigerabatur, sive a vitae instituto, quod ab adolescentia haustum animo haesisset, aptior fruendis iis bonis, quae belli artibus comparantur, quam bellicis artibus excolendis credebatur, quibus quaeritur pax, ubi absit, et colitur parta. Hinc theatra, ludi, spectacula, dies festi, saltatores, ludii, mimi, convivia, musici cantus, atque his multo pestilentior assentatorum plenissima cohors, qui tenerum animum turpi lenocinio delinitum corrumperent, quam quidem perditorum hominum manum, quasi dato e regia signo, per Ladislai mortem, pueri aetas in magna rerum licentia pravis consiliis opportuna conciverat. Horum illecebris et variis artibus animi vires enervatae, regni oneri tanto iis graviori

succumbere facile potuere. Diffluens lascivia sua sponte animus, ut cetera abessent, cum hinc unius importuna aemulatio hominis nobilissimi, et sanguinis propinquitate coniuncti, qui non posset sui exemplo, iis persequendis, quae digna regnum capessente essent, se reddere meliorem; hinc rerum omnium affluentia, alendis vitiis materiam suppeditaret, a quibus nulla iniecta frena licentiae sui impotentem retardarent: nullius erat auctoritas, cuius salutaria consilia, et reipublicae statum respicientia, ab eo audirentur, semel patefactis auribus blandientium vocibus, et suadentium ea, quae cum reipublicae magna pernicie, paucis, quibus nihil poterat esse satis, usui et compendio erant. Ita fiebat, ut neque publica re, neque privata administranda adesse frequenti liceret, cum in regno maximo atque amplissimo, quotidie novae controversiae inter privatos exorirentur, quarum ad illum cognitio spectabat, in his tantum memorem se esse regem, quae per immanes sumptus quaesita futura voluptati crederentur: quasi hoc uno rex a privato differret, ut alter, quo minus ad nequitiam praeceps ferretur, legum metu, quae ad exitium peccanti imminerent, prohiberetur: regi legum metus experti, conditione quam privato, etiamsi secus crederetur, deteriore, agere ut visum esset, quantumvis foeda, et flagitiosa liceret.

Eodem fere tempore legati in Boemiam missi, qui docerent, quae in Budensi conventu acta essent: simul postularent, ut et Regem Ludovicum veterum more et instituto agnoscerent, cui vix in lucem suscepto ultro regnum detulissent, insigni pietatis tum in patrem, tum in filium edito documento, et in regni paterni possessione confirmarent. Iam, quod sui muneris in primis esse statueret, hortari iussi, ut civilibus discordiis

omnibus oblitteratis, per longa saecula in Boemia inveterata peste, discerent pacem colere: cuius si semel quanta essent commoda experirentur, vix fieri posset, ut non aliquando fessi contrario malo, per voluntariam omnium oblivionem, quae commune otium turbarent, pacem et concordiam inirent, qua una coalescentes, a parvis initiis ad summum rerum fastigium saepe nobilissimi populi pervenissent, iidem corruissent discidiis, et civilibus contentionibus, universi orbis imperio potiti. Cetera, in hoc unum studium consentientibus animis, ex sententia successura, quae minus ad eum diem recte essent administrata. Ab eodem fonte malorum illa omnia manasse, quae magnis semper civitatibus atque imperiis exitio fuissent, ut non ex legum auctoritate iudicia fierent; non improbi pro malefactis plecterentur; agerentur omnia per vim, nulla in civitate esset magistratuum auctoritas, quae hominum impunitati obviam iret, nulla legum, quae plane exolevissent; foris infesta itinera latrociniis; intra urbis moenia obsessi cives exterarum gentium commercio prohiberentur, quarum frequenti conventu regia urbs in magnam opulentiam, et publice, et privatim crevisset. Quae quidem mala, et si quae alia his deteriora imminerent, quorum propulsandorum spes omnis deplorata crederetur, sperandum esse in dies mitiora futura, ubi ea tollerentur, quae quietae civitatis otium perturbarent; cuius rei ratio una esset, ut et qui ius dicerent, et qui magistratus imperio obtemperarent, per eandem animorum consensionem statuerent, certas sibi impositas partes praestandas, quae tutissima ratio haberetur, parendi, atque imperandi. In eo se omne studium suum, operam, auctoritatem, ne videretur in beneficentiae contentione parenti concedere,

quando cum regno paterno, hanc in suos caritatem relictam a patre hereditariam adiisset, collocaturum. Haec esse, quae eorum caussa illos monitos vellet; reliqua ad se pertinere: ut contra, atque in principum conventu, post patris mortem, statuissent, cum patruum regem, et Maximilianum Caesarem sibi tutores, civitatis publico decreto, indolis suae atque ingenii incerti, imposuissent, liberam sibi regni administrationem meliora de sua opinione statuentes permitterent, et, quod tempore iis Vngari praevertissent, studio ipsi atque alacritate animorum Vngaris in se ornando honestandoque praecurrerent. Ad ea omnia ita civitatis nomine responsum: Et dedisse regem, iam inde a primis suis annis, specimen vere regii animi, et nunc adolescentem constantia tueri, dignum vero illum, cui idem vivendi initium, et regnandi exstitisset: vere enim illum esse, non nomine solum regem, qui per adeo laeta auspicia regno potitus, a tam salutari principio fungi regio munere aggrederetur, monendi, et cohortandi suos ad concordiam, ad pacis studia, ad religionem, Boemorum spes fovendi, augendi commoda, qui faustis ominibus, vix natum eundem, et regem principes agnovissent, et Vngaris detrectantibus, apud quos natus, quasi in patrio solo instituendus educandusque esset, ornandi regiis insignibus auctores fuissent: cuius sui officii memoriam, nullam crederent oblivionem hominum oblitteraturam: regni liberam administrationem non a se quidem, quibus nihil prius esset, quam quae illum velle existimarent, sed a legibus negari, quarum semper sancta, atque augusta auctoritas superioribus regibus fuisset. Iubere enim tum uni tradi summum ius imperii, cum, de more, iureiurando quod sanctissimum inter homines haberetur, sese ob-

stringeret, numquam se Boemis, quo minus suis legibus, suis institutis ut a maioribus accepissent uterentur, se futurum impedimento. Orare supplices, ubi primum in Boemiam veniret, id quod tuto differri, saluis rebus, non posset, praesentibus regni principibus, et civitatum legatis, solenni regum more hoc sibi debitum pietatis munus, ineunti regnum obeundum statueret, quo fides fieret, Ludovicum regem liberis populis ac volentibus imperare. Id sibi futurum apud omnem posteritatem honestissimum. Nihil vero caussae videri, cur plus aequo angeretur animo, et sollicitus esset de ordinum concordia stabilienda: si quae enim controversiae essent aut publicae, aut privatae, quibus tum regia urbs tum aliae laborarent, enixuros uno atque eodem consensu, ut referrent potius pietatis laudem vindicanda patria ab intestinis malis, quam notam remissi ac dissoluti animi, iis dissimulandis, quae ab improbis et nefariis hominibus, contempta legum maiestate et magistratuum auctoritate, admitterentur.

Ad hunc modum Boemi, dimissis legatis, frequens ordinum concilium Pragam indicunt, veriti, ubi pergerent privati contumacius suum ius tueri, ne exteris nudare domestica mala cogerentur magno suo cum dedecore, quasi iis sanandis minus ipsi idonei haberentur. Mox certatim incumbentes in hoc unum studium, atque ultro quisque de suo iure decedentes, ut certa aliquando ratio iniretur confirmandi rempublicam nutantem, magna omnium ordinum concordia, tumultuante atque expostulante nemine, sedatis controversiis, quaecumque inter privatos intercederent, quod vix posse fieri longo annorum spatio credebatur, rem tum privatam, tum publicam ad firmam stabilem-

que concordiam redegerunt. Actum inde pari studio, de aere alieno dissoluendo, quo regia laborabat: Ladislao enim privati grandem pecuniam occupaverant, ut in dando largiendoque, ita in conquirendo quod daret, unde illi in dies maior vis aeris alieni conflabatur, nihil sibi reliqui facienti, minus certe acri, quam publicis rationibus expediret, regiorum furtis vindicandis, quorum dissimulatione iners otium et vita curarum expers, quo natura propendebat, uni modo sibi nato redimebatur. Ita cum regii ministri nihil non excogitassent, qua re sperarent, tolerabili aliqua conditione cum creditoribus transigere, neque sibi sortem solui querentibus, neque quod usurae nomine deberetur; rem ad regem reiiciendam, cuius haec non ignorare permagni interesset, quique illum de iis docerent, legatos mittendos censuerunt. Laborabat eodem tempore vehementer regium quoque in Vngaria aerarium; ut unde exigi spes esset, quantum Boemi requirerent, ad Regis fidem liberandam, populis tributis exhaustis, nulla ratio certa posset iniri. Quae cum ita se haberent, quod medium consilium visum, placuit in hanc sententiam Boemis responderi, ut quantum regi expensum pro usuris tulissent, privatis in praesentia solueretur: creditarum pecuniarum solutionem, quando minus per aerarii augustias iis de tota summa satisfieri liceret, laxiore producta die, ad commodiora reipublicae tempora reservarent. Ad hunc maxime modum Boemi, domi compositis rebus, ut omnis occasio seditiosis hominibus praecideretur, quietem publicam, et privatorum otium turbandi, e duabus civitatibus, Vetere, et Nova, optimo consilio unam efficiunt; iussis omnibus, unum atque eundem magistratum, qui illis ius diceret, easdem leges, atque instituta agnos-

cere, simul fossas implere, muros deiicere et munimenta omnia, turpe esse dicentes, quos unum ius, una patriae caritas, rex unus, atque una lex contineret, divulsos distractosque separari. Aggeres, propugnacula, tela, arma, tormenta, quae necessaria hominum vitae, hominum scelus et cupiditas redderet ad muniendos suos, arcendos et propulsandos hostes comparari, nullos foris futuros, ubi eadem patriae caritas civium animos haberet devinctos. His ita in regia urbe administratis, mox animos converterunt ad caedes, et latrocinia foris vindicanda: quorum metu, exteris hominibus, qui mercaturam facerent, non audentibus, undique itineribus insessis, intra regni fines sua importare, et vectigalia regia minuebantur, quae maiori ex parte portoriis constabant, quae res magno detrimento privatis simul, ac regi erat, qui multis, quae non gignit patrium solum, et necessarios usus ad vitam agendam habent, importatis aliunde utuntur. Iam et agrestes homines, quominus solutis animis curam intenderent culturae agrorum, magno cum populorum incommodo impediebantur. Ita inerti situ squalentes agri, tetram atque horridam faciem rerum, et vastam ubique solitudinem repraesentabant, magna regiorum infamia, qui feracissimam regionem, atque uberrimam copiam atque affluentiam rerum omnium, cuivis praedae esse impune paterentur. Itaque eodem viribus omnibus collectis, cum desperassent palatos per agros et vicinos saltus opprimere, in partes diversas diducta manu; ne quam in partem receptus in posterum sceleratis pateret, loca circa omnia, in his non ignobilia oppida adoriuntur, ac vi redacta in potestatem, subiectis ignibus, incendunt. Haec Boemi sua sponte, tanto maiore cum laude, quanto longius Rex aberat, cuius consilio et auctoritate,

ita administratae res, ubi adesset, in eius laudem vertebant. Neque vero statuere facile est, praeclarius in eo cum Ludovico, an cum Boemis actum: praesentis enim facilitate, quae non aetatis solum esset, sed ingenii, cum penes illum summa imperii esset, verendum erat, ne et ii ipsi, quorum virtute et consilio haec essent acta, a fortioribus consiliis averterentur, quorum rex, per aetatem minus potens improbis hominibus de medio tollendis, haud aeque esset invigilaturus; quae una res maxime, robustum regem, et severum scelerum ultorem poscebat, id quod maiore cum regiorum infamia, graviore regni incommodo, accidere erat necesse. Per eadem tempora, Vngaria quibus malis assueverat Ladislao obtinente regnum, vehementius in dies conflictabatur, regis indulgentia iisdem ipsis gratiosis hominibus, quorum supra mentionem fecimus, abutentibus; qui immanibus divitiis coacervandis regni aerarium, et publica vectigalia, ferendo, agendoque omnia, quo audacia et libido suadebat, foede lacerabant. Multa quidem scriptores eorum temporum produnt, in his Dubravius, quibus si fides habenda sit, non videantur praedae fuisse avidiores, qui malis artibus subnixi regiis opibus inhiarent, quam rex cupidior eos praeda explendi, qui nullum in praedando, atque expilando noverant modum: quibus quidem, nequidquam principibus reclamantibus, unis patebat, variis artibus et fallaciis, ut iam commemoravimus, ab iis circumventus. Neque vero videtur unum aut alterum e multis praetereundum, quae de illius immoderata atque profusa in dando largiendoque intemperantia traduntur; minime quidem mirum et adolescentem et regem prolabi, deceptum vitio, quod affinis virtutis species obduceret, potuisse, sed portenti simile tan-

tum flagitium, quantum vix ulla fides sit non suae mentis hominem concipere animo potuisse, admisisse, et quidem admisisse eorum consilio, in quibus ullum hominis vestigium esset. Aiunt enim, cum Agriae ad quendam e regiis ministris divertisset, quem praefecerat eius sacerdotii fructibus procurandis, visam vulturem, quae dicebatur miro artificio avibus insidiari; tum qui eam mansuefactam ad hoc genus aucupii pertinaci studio excoluerat, hominem per praestigias, et ludibria oculorum multa effingere assuetum, quorum voluptate Rex tenebatur, ut sibi concederet postulasse: tum illum, negantis similem, ut ita Rex cupiditate potiundae rei vehementius, ut fit, accenderetur, hanc unam vero sibi esse reliquam oblectationem respondisse, qua interdum curis gravioribus distentum animum relaxaret, rogare magnopere, ne sibi suas delicias praeriperet, qui Rex esset, et haec sibi aliunde, quantumvis magno (*aere*) comparare, ubi vellet, posset. Hinc Regi, cum vetitae rei desiderio multo vehementius flagraret, et ne sibi ulterius negare pergeret, rogasset, ea lege se traditurum dixisse, si liberum esse iuberet a ratione eorum reddenda, quibus regio aerario, ex accepti atque impensi tabulis obstrictus esset. Ad haec Regem, qui magis quid esset quod vellet, quam quid daret, spectaret: sibi vero haberet, quod peteret, respondisse, et imperare se, ut illius nomen in expensi tabulis induceretur, modo avi liceret potiri. Ita regi avido, vulturem, atque paullo illa praestigiatorem bestia meliorem, in magnis aerarii angustiis quadraginta aureorum Vngaricorum millibus (tantum enim procurator, pro exactis eius sacerdotii fructibus, regio aerario debebat) redemptam stetisse. Atque hoc quidem foedum, et unde facile appareat, quam perditae

Vngariae res in tam exhausto, afflicto et dilacerato regno, adolescente rege rempublicam dilapidante, haberentur: illud vix in latronum ducis cohorte, et archipiratae ferendum, quod idem Dubravius refert: Eo petulantiae regios provectos, ut cum publicum aerarium, variis artibus in rem privatam totum avertissent, conversis animis ad privatorum fortunas diripiendas, quidquid esset, quod oculos elegantia operis, pretii magnitudine animi cupiditatem moveret, eius rei potiundae interpretem Regem facerent, apud eos, quorum res esset, nihil tanti cuiquam fore arbitrati, quod poscenti Regi negare auderet. Ita primae nobilitatis homines, qui et Regis honestandi caussa, et tuendi domesticum splendorem, magnifice et copiose instructi, aulam frequentabant, domesticis ornamentis spoliabantur: sive quis torquem aureum gestare affabre factum, sive quis annulum gemma insignem, paullo lautiorem vestem, ac suffultam pretiosis pellibus, generoso equo vehi conspiceretur, praesto aderat Rex, qui suis morigeratus posceret; cui persuasum esset, nihil non regem decere, quantumvis aliis pudendum, usque eo in admittendo flagitio infelix, ut in eo qui esset culpae expers haereret flagitii dedecus, penes eos esset flagitii praemium, qui eius admittendi, adolescenti Regi innocenti eidem atque innoxio, auctores fuissent. Neque vero alii solum, qui honestiorem gratiae locum apud Regem suis indulgentem obtinebant, sed corporis stipatores etiam, ornati nobilium hominum spoliis, quo esset invidia maior, per urbem quasi de pudore victo triumphum agentes incedebant, occlusis Regis auribus ad hominum querelas, quae assentatoribus, morionibus, tum foedissimarum voluptatum administris lenonibus, perductoribus, hominibus impurissimis patebant. Cuius

rei invidia, etiamsi in eos redundabat, quibus ipse, et sui, potestatem regni moderandi permisisset, fiebat tamen re ipsa, unde in multos offensio manabat, ut in dies melioribus magis declinandus, non odio quidem, sed desperatione officii, ne frustra moniti esset gravior culpa, apud multitudinem palam contemptioni haberetur. Atque haec tanta dedecoris labes in omnium oculis haerebat, quasi ea esset solida voluptas sine ulla dissimulatione peccare, cum non posset esse in Rege obscura, quem regii honoris maiestate insignem foedius et maiore cum hominum offensione deformabat, quo minus animum ab errore colligeret, eorum consuetudine quibus se dediderat totum, quasi pestis teterrima contagione depravatum; ea illi esse honesta suadentium, quorum magnum fructum summa cum invidia regis infamiaque referrent. Vnus dicitur Henricus Tenchelius, et domesticae nobilitatis, et sui iuris adeo memor, huic tantae regiorum petulantiae, ausus profiteri monendi regis partes, obviam isse: cum enim grandis iam natu quodam die suffulta veste Ponticorum murium pellibus, quas zibellinas vocant, prodiisset; gratificaturus uni e suis Rex, et pellium genus quibus erat suffulta, et formam adeo collaudavit; simul postulavit, ut, sua caussa animum induceret, non gravate ea veste carere, parvae rei iactura magnam apud se gratiam initurus. Intellexit Henricus, rei pudendae interpretem Regem quaesitum; impudentiae praemium aliis quaeri; atque ad illum conversus: Ego vero, inquit, et veste carere, et vita adeo Regis caussa possum, eorum non possum, qui ne ea ipsa quidem vita qua fruuntur sunt digni. Cur vero ego ea veste me patiar aequo animo privari, quam mihi tum fovendae senectae adversus hiemis saevitiam, tum honestando eo loco paravi, in

quo me maiorum merita, nonnulla mea, in primis sapientissimi Regis iudicium collocavit? ut si minus mea, at Regis caussa tamen, cui omnia debeo, desiderare a me ademptam non possim. Sed haec postea acciderunt.

Interea Solimanus, qui patri Selimo successerat in regnum, cum susceptum adversus Persas bellum tristibus auspiciis aeque turpi atque infelici eventu gessisset: ad delendam ignominiam, atque inde mitigandum conceptum militum in se odium, animum ad Vngaricum bellum, secundioribus militum studiis, infestis fatis Pannonibus adiecit: iam enim Turcae non obscure de novo illi successore creando consilia agitare, eo de sede imperii deturbato, elati barbara arrogantia dicebantur. Accusabant temere bello aggressum ferocissimam gentem, nobilem multis Romanorum cladibus, situ locorum invictam, numquam feliciter ab externo hoste lacessitam armis, scilicet, ut magna ad veterem gloriam accessione Turcarum nova clade nobilitaret, quietam sua sponte futuram, ubi per Solimanum praeferenti bello pacem colere licuisset. Quod tantum dedecus Turcarum nomini impositum, totius orbis terrarum victricis gentis, atque ad eum diem insolentis contumeliae, ne capite eius quidem, qui id admisisset, quamquam ornato insignibus maximi imperii, satis recte elui, atque expiari posset. His querelis incitatus iuvenis animus iam per se satis gloriae cupiditate incensus, cum captanti occasionem sarciendae ignominiae praesens Vngariae status peropportunam offeret: Ludovicum bello aggredi, omnibus aliis damnatis consiliis, quae eum ab incepto revocarent, aliquanto secundioribus auspiciis constituit. Omnia vero tum apud Vngaros sua sponte proclivia ad exi-

tium, inferenti Solimano bellum facilem victoriam spondebant: diu enim miles ab insita vi animis, ad Ladislai Regis ingenium degeneraverat, qui aegre posset Vngaris, ubi antiquam animorum vim et robur retinerent, nisi emollitis longo otio, et confirmatis ad suos mores, imperare: neque per multos annos ulla obiecta occasio armorum secordioribus animis latentem virtutem in campum atque in aciem eduxerat, ut usu atque exercitatione confirmata par esset magno propulsando bello. Neque interea erat domi, cuius aemulatione excitaretur ad repetendum antiquum decus, neque qui foris ungeret hostis, in Asia Solimano gerente bello, Vngaris uno hoste timendo, qui saepe desides, atque inertes ad virtutem atque industriam, hinc gloriae aemulatione, hinc metu pestis imminentis, excitare consuevisset. His iuvenis Rex cinctus malis, cum eius infirmam aetatem, neque tutorum fides, qui nulli erant, neque sapientium hominum consilium, qui contempti atque abiecti regia exsulabant, *(regeret)*, praeceps ferebatur, qua casus, et temeritas in sui et regni ruinam agebat. Erat enimvero plane eorum temporum conditio infelix, et quae grandes natu homines in primis angeret; cum subiret, qualis Vngariae status fuisset se adolescentibus, qualis tum esset, ita sibi ipsi displicentes, ut odissent vitam, quam iniqua fata in tam longam diem produxissent. Namque erant in oculis quotidie nova emergentia mala, quasi e mari iactato adversis ventis, ex perturbato reipublicae statu; omnis spes aberat (qui vetus mos olim Vngarorum fuisset) ea a patria virtute, atque animi magnitudine amoliendi: ut enim quis a regis insectatione temperaret, qui per aetatem, neque se agnosceret, neque quibus populis imperaret; ubi quaquaversum oculos in universas regni provincias

circumverteret, notare neminem poterat, aptum militari imperio gerendo; cum Matthiae Regis tempore, et superiorum regum, nullius rei uberior annona in feracissima regione rerum omnium, quam ducum atque imperatorum haberetur: ut Vngarorum nomen horrori hostibus, vicinis populis atque exteris nationibus admirationi esset. Ad haec omnia, nulla spes auxiliorum a regibus exteris, exitiabile inter se gerentibus bellum, Venetis, et Sigismundo patruo, magna constantia tuente initum cum Turca foedus, ut nullis precibus spes esset ad arma impelli, in eo positam regni salutem existimante, si nihil apud barbarum loci ad iustam querelam relinqueret, unde arriperet armorum ansam: tutissimum quidem consilium arbitrabatur, perditis reipublicae temporibus, quibus concussus regum discordiis laborabat Christianus orbis, non lacessere aperto bello sua sponte quiescentem, non ferocem solum conscientia domesticarum virium, sed hostium etiam, ubi gerenda res esset, imbecilitate. Exstant quidem litterae Sigismundi ad Ludovicum, querelarum plenae, in quibus, se, iam ab eius regni initio, a suis legatis factum certiorem ait, Selimum per certum ad illum missum internuncium, cum eo de paciscendis induciis, et cum aliis Christianis regibus egisse, permisso illis unius anni spatio ad deliberandum: quo quidem tempore iis potestatem fecisset, missis Byzantium legatis, de induciis transigendi, iis conditionibus, quae Ladislao, postremis illius temporibus, propositae essent: ubi ea dies exisset, quae iis esset praestituta, Ludovico minime id integrum fore. Nam, et illud addit, cum a suis, quos ad Budensem conventum legasset, actum de ea re esset, et quidem cum iis, ex quorum auctoritate res administrarentur, audisse illis respon-

sum esse specioso magis, quam tuto consilio: Missurum continuo Ludovicum legatos Romam per dispositos equos de eo pontificem consultum, quo invito haud fas esse duceret, ulla de re cum communi hoste pacisci, quae ad summam Christianae reipublicae pertineret. Quae gravis sibi esset caussa, ut non prius a se Turcae legatum dimitteret, quam sibi, quae esset pontificis sententia, significatum esset. In primis queritur, summos homines, quorum fidei esset regni procuratio mandata, pati in re maximi momenti, suam prudentiam et vigilantiam desiderari: in una enim ea actione universi regni salutem, et totius Christiani orbis agi, de qua esset desperandum, ubi immanis hostis Ludovici moram, et cunctationem in deliberando, quam illi esse suspectam verisimile videretur, pro alienati animi praeiudicio acciperet. Vim, et rationem eorum temporum huiusmodi esse, ut minime longa disceptatione consultatio indigeret. Nam si quis spectaret, qui esset qui indicias posceret, qui is qui cunctaretur accipere oblatas: eum facile intellecturum, praepostere has Ludovicum partes, illas Selimum sustinere; quem enim posse dubitare, quin si Selimus esset aversus a quietioribus consiliis, ab eo essent ultro Ludovico induciae petendae, et quidem aliqua etiam regni iactura? Elapsum vero ab eo tempore annum, quo legati Romam sint missi, neque adhuc sciri (tantam quorundam animis vecordiam inesse) quid Romae sit actum. Neque tamen esse, cur spem abiicerent; rem, ut maxime vellent successuram: alium enim ad se missum Byzantio oratorem nunciatum, quas res prospere, atque ex sententia Imperator Selimus, tum in Asia, tum in Aegypto adversus hostes gessisset, partas victorias, longe lateque productos imperii fines; quo tam laeto

nuncio sibi impertiendos amicissimos reges, pro sua consuetudine, constituisset; in quibus praecipuum Sigismundum haberet. Eidem datum negotium, ut, si ita Sigismundo videretur, quae sibi cum eo intercederent, inducias in quot vellet annos confirmaret. Rogare regios ministros, prudentes homines, ut quem coniunctum sanguinis propinquitate haberent, ab eo nollent habere separata consilia, ac suo exemplo, quem satis scirent non posse sustinere hostem immensis viribus regno imminentem, darent operam, ut amicum sibi dubiis reipublicae temporibus conciliarent. In postrema litterarum parte adhortationes addit, quamdiu se opportunitas det, ne patiantur sibi e manibus elabi: ubi enim fluat, sero, et cum omnis sit spes praecisa, frustra quaesituros.

Atque haec quidem Sigismundus, minime falsus vates eorum, quae postea evenerunt. Ad cetera vero mala accedebat, exinanitum aerarium magnitudine sumptuum; tum malorum quasi ingens cumulus, angusta ubique fides, ob dilatam creditoribus solutionis diem; cetera eodem modo; nullus bellicus apparatus; regnum factionibus divisum; in regis consilio nemo, qui non paratior esset, e publica re privatam facere, quam privata publicam tueri. Contra apud hostem omnia, quae illi animos et fiduciam adderent inferenti arma: etsi enim tum imperator, tum miles recenti fama laborabat male gestae rei Asiatico bello, nemo tamen dubitabat, quin idem esset miles, qui, Selimo imperatore maximo, et fortissimo, gravissimis gerendis bellis, clarissimis parandis victoriis, magnam Asiae partem, Persas, Syriam, Aegyptum, ubique insignibus relictis fortitudinis monumentis, peragrasset. Nam, quod victus a Parthis diceretur, nihil de

illius virtute, et fortitudine detrahebatur: non enim ille ab homine victus, sed iis duratus, ac conflictatus malis, quae qui possunt superare constantia et magnitudine animi, ii certa virtutis instrumenta parata habent, ad res maximas gerendas, patientiam, tolerantiam frigoris, aestus, famis, belli laboribus ferendis, durioribus rebus, tum vires atque animi robur, ad mortem pro patria, coniugibus et liberis ultro in acie appetendam. Nam, quod caput est, ab hoste accepta clades non abiecerat desperatione animos, sed erexerat incensos gloriae cupiditate ad ignominiam inustam Turcarum nomini delendam. Imperatorem quidem non solum movebat ignominiae dolor ex male gesta re, sed metus etiam amittendi imperii, ni sibi statueret, omnium exspectatione maturius suorum adversis studiis per hanc rationem occurrendum, Ianizaris iam minime obscure minantibus, male de Turcarum nomine meritum se per vim de regia sella detracturos, qui longi nqua bella detestantes finitima spectabant, Vngaricum inprimis, cuius sibi felicem exitum animis spondebant, e regno peropulento et auri atque argenti feracissimo, obiecta victoribus opima atque ubere praeda: idem vero manebat ardor animorum, fiducia eadem, atque ex ea suscepta spes bene gerendae rei, quae studio sarciendae ignominiae in immensum augebatur: Confirmabat, praeclare sua sponte animatos, imperator Solimanus, cuius magnitudinem animi, et gloriae cupiditatem, cum immensa esset, potentia et vires aequabant. Huc accedebat, quod cum ipse, et suos aeque, et se nosset, tum non minus quid posset hostis, qui status rerum Vngaricarum esset, quae rei militaris ratio, quo Rex ingenio, quo ii, qui apud illum in regia poterant, non ignorabat: quo certiore spe bene gerendae rei, et fidenti magis animo

bellum aggrederetur. Facile vero atque explicatum suscipienti facultas rerum omnium, quae rei militaris ratio requirit, difficillimum Vngaris efficiebat deplorata spes tum domesticarum virium, tum auxiliorum exterorum regum, quae deficerent nequidquam undique implorantes. Nihil enim eorum, quae apud iuvenem regem agebantur, non spectacula, non ludi, non convivia, non theatra, non scenae, non interiores voluptates, plena exploratorum regia, quibus perfidia magno quaestui erat, Solimanum fugiebant. Ita partim fretus fiducia virium, quae nihil non infra spem gerenti rem pollicebantur, partim hostis contemptione, militi edixit, ut ad certam diem ad signa conveniret, atque ea, quae necessaria ad bellum haberentur, compararet. Erat illius consilium Belgradum tentare, validum Vngariae propugnaculum, atque inde belli initium facere, minime dubius, quin ea urbe potitus, quae et loci natura, et opere munificentissima haberetur, ad summam quoque totius belli plurimum esset profecturus. Iam initio statim suscepti a Solimano imperii, Turcae pleraque hostiliter in regni finibus gesserant, quae quoniam in primis ad huius belli narrationem conducere videntur, minime silentio sunt praetereunda. Agebant Verbosianae, quod est situm oppidum in interioribus Illyrici regionibus, equites Turcae ad CCC ex eorum genere, qui voluntariam militiam, nullo addicti regibus stipendio exercent. His mos est, cum itinera insidere et rapto vivere, tum, si qua datur facultas, in agros hostium excurrere, pecus abigere, praedas agere, caedes facere, agros depopulari, ut non longius tamen a finibus progredi audeant; atque hoc quidem, ut si quis incidat casus, spes celeris receptus minime ad suos praecidatur. Atque, quod gravius est, nullum

discrimen temporum noverunt, non belli, non pacis, iuxta fidei, officii, iuris gentium immemores, quod nullum colunt, ubi spes incepta perficiendi ostentetur, quam undique captata occasione, quaerunt. Quae tanta barbarorum licentia atque audacia, Turcae cum adversus alios, tum adversus Vngaros magno usui est. Nam, sine ulla sua invidia, etiam cum pacis foedere ab iniuria et maleficio prohibentur, habent, qui finitimos armis lacessant, non imperatos illos quidem ex censu milites, non ex provincialibus delectibus, non mercede conductos, ne spes sit ex foedere res repetentibus ius suum persequendi, culpam eorum, quae fiunt adversus foederis religionem, in hos reiicientes. Igitur trecenti quos dixi equites, cum Selimi mors opportuna, et missus ad Ludovicum de compositione orator avertisset omnium animos a belli consiliis, finibus proximum oppidum Iaizam, quod etiam paullo ante Ladislai mortem tentaverant, occupare constituunt, suspicati („ut spes suas homines facile ad ea erigunt quae avidius expetunt") eos, qui in oppidi praesidio erant, aliquid de pristina diligentia vigilantiaque remisisse. Locus quidem fiduciam augebat tegendis insidiis peropportunus: erat enim prope oppidum vallis montibus subiecta, qui quaquaversum silvestribus arboribus obsiti, prospectum in loca demissiora adimebant. Eo, cum satis adhuc diei superesset, profecti subsistere ad multam noctem constituerant, eo consilio, ut, ad quartam vigiliam oppidum adorti, nihil minus, ut credebant, nostris suspicantibus, caperent scalis. Praeerat oppido Petrus Cheglevithius genere Dalmata, magni animi et consilii vir; qui a prima aetate cum his proeliari assuetus, et minime earum artium imperitus, quibus barbari finitimis insidiantur, plus sibi praesidii in diligentia, et virtute suorum,

quam in hostium fide, facile se posse fallere incautos per obiectum pacis nomen sperantium, de qua iam convenisset, haberet constitutum. Itaque de equitum adventu ab exploratoribus certior factus, quos dispositos per circumiecta urbi loca habebat, ne quid inire occulti consilii, et opprimere de improviso parum cautum possent, suos celeriter arma capere, et se componere animis ad rem gerendam iubet, exiguo horae spatio ad quietem dato. Hinc centum e suis equites, quam maxime occulte potest ex oppido emissos monet, ut qua Turcae in insidiis latebant, vallem circumdare, atque ubi iis signum ad erumpendum dedisset, sublato clamore, ut fides esset, maiorem, quam qui erat, numerum militum esse, ancipiti malo circumventos adorti conciderent: se enim eodem tempore, eruptione ex oppido facta cum reliqua militum manu affuturum. Interea ad eliciendos hostes ex insidiis, novam illecebram commentus dat negotium oppidanis, ut puellas virgines, et si quae praeterea sint, quas commendet formae decus, ex oppido educant, tripudiantium in morem ac diem festum agentium, et in eam partem, quam in partem impetum facturos Turcas suspicabatur, accedant; simul hortatur, alacriter imperata faciant, neu de suarum pudore incolumitateque solliciti sint: sese illos continuo, ne quid detrimenti inde accipiatur, vestigiis consecuturum. Quae dum ita a Cheglevithio administrantur, equites Turcae, cum vererentur, ne parantes scalas lux opprimeret, ac, detectis insidiis, spe omni excluderet oppidi potiundi, quod, si accideret, haud esset dubitandum, quin eos temere iniți consilii nequidquam poeniteret, omisso incepto, retro, unde venerant, redire Verbosianam constituunt. Mox cum puellas canentes, citato tripudio, quo convenerant, accelerare

ac iam adventare adeo, vocum sono propius auribus accidente, animadverterent, insperatam praedam non esse e manibus dimittendam arbitrati, quasi signo dato, ad unum omnes ex insidiis consurgunt, ac nihil subesse fraudis suspicati, obviam ire advenientibus pergunt. Qua re Cheglevithius animadversa, repente ex oppido egressus, tripudiantes puellas, equitum qui iam praecesserant, praesidio tectas, cum suis retro ad oppidum redire, simul iis, qui in insidiis consederant, dato signo a tergo barbaros pugnantes eodem tempore adoriri iubet. Turcae improviso malo oppressi, cum ex insequentium clamore, maiorem esse numerum nostrorum, quam qui vere erat, suspicarentur, nocte, quae errorem augeret, prospectum adimente, aut interempti aut vivi in potestatem sunt redacti, cum vix, qui caedis nuncius superesset, incolumis evasisset.

Iam Solimanus, omnibus, quae necessaria ad bellum erant comparatis, de suorum consilio, ne quid opis Ludovicus a patruo rege speraret, ad sua tuenda averso, Tartaros finitimos Polonis, cum ipsos sua sponte spe praedae incitatos (solent enim quotannis fere in Polonorum agros stato anni tempore excursiones facere), tum largitionibus et muneribus traductos in sententiam Maemethem Halim, Mihallium unum e regiis ducibus, cum magnis equitum peditumque copiis traiecto Danubio finitimos agros urere, vicos, pagos vastare, atque inde late belli terrore fuso, Vngaros, qui ulteriorem Danubii ripam accolunt, a ferendo suis auxilio avertere domesticis deterritos malis iubet. Sed horum alterum Solimano ex sententia successit, neque adeo largitionibus et muneribus magis barbaris ad arma concitandis, quam Sigismundi voluntate ac iudicio: qui sua sponte a bello Thracio, ob eas caus-

sas, quos alibi commemoravimus, abhorrebat; quamquam enim irrumpentes in Poloniam Tartaros magna sua gloria non semel victos reiecerat, ut non temere crederet etiam magnis incitatos praemiis ad belli consilia descensuros, minime tamen elatum successu victoriae quieturum apparebat, optimo consilio, ab iis abhorrentem armis, in quibus parum subsidii Pannonibus, positum esset certum exitium Polonis, ubi pergerent suum facere alienum bellum. Erat quidem is Turca hostis, ut sive bellum palam inferret, illius timenda arma, sive quiesceret aut pacis aut induciarum foedere illigatus, constantia tuendo otio, ac fide praestanda magno redimenda esset. At Maemethes Danubium quadraginta equitum millibus transgressus, cum magna sui exspectatione concitata paucos ibi dies moratus esset, non ausus interiora regni petere, qua in parte saepe infelici eventu pugnaverat, retro re infecta traductis amnem copiis, rediit. Hinc Solimanus, ut Vngaris omnem spem tolleret, quidquam commeatus ad longam ferendam obsidionem Belgradum invehendi: instructas biremes omni bellico apparatu, subire e Ponto adversum Danubium, atque utrimque magno adiecto lintrium numero, ne qua hosti flumen transire, et ferre opem obsessis liceret, ripas custodiri cura acerrima atque intentissima iubet; simul Balidae Iachio imperat, qui Bosnae provinciae cum imperio praeerat, Savum amnem parte copiarum transmissa occupet Sirmiensem agrum, quae regio, et soli ubertate, et copia omnis generis fructuum est omnibus aliis Vngariae praeferenda: id eo consilio, ut exploratis hostium viribus, si qua perrumpere, et commeatum in oppidum importare, id quod verisimile videbatur, aut novo intromisso milite augere praesidium conentur,

sit impedimento; simul mandat, ad lenitatis et clementiae opinionem conciliandam, omnem vim belli in agrestes abstineat, milite a populationibus atque incendiis, non secus ac si in pacato incederet, iusso temperare. Adhuc in Vngaria multitudinis odia, agrestium praesertim, in nobilitatem flagrabant recenti memoria superioris belli, quo victrix nobilitas, nondum odio per teterrima eorum supplicia exhausto, qui capita seditionis fuessent, victoriam in multitudinem innoxiam exercebat, quam quidem callidus hostis, ubi per speciem clementiae et lenitatis sibi conciliatam redderet nobilitati suspectam, ad totius belli summam plurimum se momenti sperabat allaturum. Ad novae rei famam, cum multi in crudeli et barbaro ingenio quaererent clementiae caussam, perpauci, quo illius consilia spectarent, assequerentur: femina, in cuius ditione ea regio erat, et nobilitate eadem, et supra muliebrem sexum virili audacia ferox, callidum barbari consilium, ut tum visum est, aeque callido commento, sed, ut eventus docuit, temerario et suis pernicioso, elusit: brevi enim apparuit, audax inceptum a femina ortum, quae raro, nisi fors et casus agentem adiuvet, novit agere praeclare. Delectos e suis, quorum consilio plurimum fidebat, ad Solimanum misit, qui illi, quod pacati animi indicium esset, et litteras simul, et munera offerrent, quorum orationis summa haec fuit: Antea sibi, cum fama efferri Solimani nomen et vires, quae maximae essent, magis quam animi moderationem praedicari audisset, spem omnem salutis abiecisse; atque adeo cum sibi ita deessent ad sustinendum illius impetum vires, animus non deesset: nunc ad illius clementiae famam non sibi vires solum, sed animum etiam et ferociam omnem concidisse; non enim posse dubitare, quin

in quo principe omnium maximo et fortissimo, coniuncta par viribus animi moderatio esset, quae virtus merito esse crederetur maior hominum viribus; is propitii et praesentis dei dextro numine et pacem coleret, et bella gereret. Itaque, cui vitam, liberos, fortunas deberet, ubi etiam minus id ab invita belli vis extorqueret, sua sponte, atque ultro ipsam se suaque omnia debere. Vnum modo, supplicem rogare, ad cetera sua in se humanitatis officia adderet, ut quae illi cessisset, non iure belli solum, sed dedentis etiam voluntate, in his alieni iuris vicariam se succedere pateretur, ut eadem conditione, qua maiores superioribus Vngariae regibus paruissent, sub iustissimi regis imperio cum liberis ageret.

Hac oratione Solimanus exhilaratus, et sui consilii se satis laetum exitum, et fructum maximum suae lenitatis retulisse respondit, cui contigisset, multorum et maximorum regnorum potenti, insitam animo benignitatem et clementiam, quam pluris quam cuncta regna faceret, in tam gratum animum retinere. Opus esse unum in terris maximum, et eius regis proprium, cui deus tantas opes, et summum in homines imperium dederit, multos posse beneficio comprehendere; sed eos complecti beneficio, qui eius sint futuri memores, fortunati modo regis esse; adeo plures inveniri, qui in virtutis contentione se beneficio obstringi patiantur, quam quibus hoc quasi nexu solui referenda gratia, curae sit. Accipere vero se illam in fidem, quibus postulet conditionibus, in cuius praepotenti atque invicta manu, aeque ad innocentium iura tuenda, et ad profligandos delendosque impios homines, ardentem irae suae gladium, tremendum terribilemque iis modo, qui furore atque amentia elati in eum ultro incurrere

non vererentur, deus immortalis posuisset. Haec cum gentis more totus in barbaram ostentationem effusus respondisset: imperat suis, ut de more, regio diplomate in eam, quam postulabat sententiam, regio signo obsignato deditae caveatur; quod Christiana sacra colat, ob eam rem illi fraudi ne, neu sit impedimento, quo minus sua omnia, eo iure, quo quis optimo, possideat. Hinc legatos luculenta veste, et aliis muneribus prosecutus, cum suis dimittit, qui ab illa fidem accipiant, quae per legatos transacta sint, firma se et rata habituram. Quae dum apud Solimanum geruntur: temerario ac praecipiti consilio femina, quae ignoraret, vanam et praeposteram gloriam, falsi a se vafro consilio hostis, multorum innocentium sanguine caedeque expiatum iri, onustos currus ad viginti auri atque argenti facti infectique et pretiosae suppellectilis magna vi, in interiora regni praemittit. Inde omnibus, quae necessaria essent ad capessendam fugam comparatis, ubi cum mandatis sui redeunt, legatis Solimani interfectis, atque liberis secum assumptis, eodem quo suos praemiserat, delectis militum prosequentibus, contendit. Quo ab audaci femina veluti signo dato ad Solimani contumeliam tantam suorum caede et sanguine sarciendam, Turcae rei indignitate incensis animis, nullo delectu, discrimine nullo, non aetatis, non sexus, puberes iuxta atque impuberes interficiunt, atque igni, ferro, qua spes sit legatis parentandi, per violatum ius gentium interfectis, totam regionem nostris infestam faciunt.

Quae dum ita in ea regni parte administrantur: Ludovicus Rex prius fama, mox litteris multorum certior factus, Solimanum ingentibus instructum copiis Hadrianopoli movisse, armatorum concilium indicit, a

nulla re minus quam, quo maxime indigebat, consilio paratus. In eo concilio, cum de summa reipublicae ageretur, in magnum adducta discrimen: id quod ratio temporis postulabat, decernitur; ut novorum militum delectus habeatur; et quoniam pecunia in stipendium desit, cuius in praesentia nulla sit facultas, legati ad pontificem Romam imploratum auxilium mittantur, ut pro veterum pontificum consuetudine, inducat animum laborantem aerarii angustiis Regem sublevare, variis caussis in medium allatis, quas ratio temporis suadebat, minime cum veris consentientibus, quae totae erant positae in paucorum immani cupiditate, quam neque regium aerarium, neque privatorum fortunae, cum omnia praedae haberent, poterant explere. Atque haec sententia pervicit, quam necessariam quidem praesentia tempora, sed parum honestam Regis maiestas et vetustae gentis fama efficiebat, aegre contra tendentibus adversus eos, qui secus statuerent, viris prudentissimis, qui salutaria temerariis consiliis praeferrent. Neque vero deerant vires ad regnum defendendum, si quorum intererat id agi, quando nullum iam erat publicum aerarium, et conservari res privata nisi salua republica haud poterat, statuissent privata rempublicam tuendam. Affirmant nonnulli quidem, qui Vngarorum res scripserunt, in his Tubero, Vngaris a prima origine infixam pravam animo opinionem, quam non natio ulla magis, quam paucorum infinita cupiditas tueretur; in magnis regnis atque imperiis publicam salutem privatorum opulentia, regis egestate contineri. Nam regi cum desint vires ad expedienda consilia, si quando res novas moliatur, aut se gerat violentius, quam regni rationes requirant; frustra animum suppeditari, cum minus aequa volentem haud consequantur pares vires:

privatis, ubi difficili reipublicae tempore sit ad arma eundum, in lauta et luculenta re suppetere, quo se equis, viris, armis instruant, ac tanto maiore cum gloria sua, quanto voluntaria militia acrior, quam expressa vi atque imperio habetur, nullo coacti regis imperio foris rempublicam administrent. Quae adeo foeda et praepostera ratio non solum est Vngaris parum digna, exculta gente ad summam humanitatem, sed ne remotissimis quidem gentibus a politiore vitae cultu; si enim naturae instituto standum est, quae quidquid in homine est mentis et consilii, celsiore loco atque honestiore collocavit: cur regi, cuius tamquam capitis certae ac propriae partes sint rempublicam moderandi, nervos et vires privati incidant, sine quibus mandatum sibi munus recte atque ordine administrari haud possit? Neque verum est, privatos, quos a publicis curis, nisi in his magna virtus excellat, res privatae avertunt, ad pericula pro patria subeunda futuros rege alacriores, cuius fortunae in tranquillo reipublicae statu, atque in omnium salute sint constitutae; cadat enim rex necesse est, ubi per reipublicae occasum deplorata sit privatorum salus. Quibus vero imperet; cum desit, qui pareat? Nam quae privatorum alacritas sit republica defendenda, usu venire quotidie animadvertimus; si quando enim ad privatos confugiendum est durioribus reipublicae temporibus, atque ex censu tributum pendendum, tum reclamare omnes, tergiversari, tumultuari saepius, et ad seditionem concitari, perpaucis exceptis, in quibus ea virtus est, quae quoniam in multis temere non invenitur, ne usui quidem reipublicae esse potest, cuius salus non in rectis paucorum studiis, sed in multorum consensione viget recte de republica sentientium. Tantum vero incom-

modum vitari in privatis difficile est, non aeque sentientibus imminentis mali vim, atque ii, ad quos unos tamquam capita pertinet partium omnium sensus. Ergo Ludovici legati Romam profecti, cum urgente bello, sibi iter accelerandum, et primo quoque tempore, cum Pontifice rem agendam censerent, offensionem si qua subesset temporis angustiis deprecati postulant, ut sibi senatus detur; simul Pontifici Regis litteras reddunt, quarum describendarum cum nobis ex regio tabulario facta potestas sit, cum fide libuit exemplum adscribi: inde enim coniici poterit, quantum pavoris et trepidationis funesti belli exspectatio Vngarorum alioqui invicta pectora pervaserit, quod minime tamen mirandum fuit: tanto enim vehementius Turcarum arma horrebant quanto illa longius ab Vngaris in diversam orbis partem per Asiatica bella avocata minus exercuissent, cum his quotidie fere bellare assuetos. Erant autem litterae in hunc maxime modum scriptae: „Iam pridem optime et sanctissime Pontifex, cum ad te summum Christiani orbis moderatorem, tum ad reges alios civitatesque, quarum auctoritate et consilio innixa stat adversus impios hostes Christi religio sanctissima, litteras dedimus, quibus questi de praesenti rerum nostrarum statu, docuimus quanto in discrimine versaretur omnium communis salus: simul ostendimus, quam nostrae essent fractae et debilitatae vires, Turcarum perpetuis bellis atque excursionibus, qui nos tot iam annos vexant, quantumque esset barbarorum hostium robur nobis inferendo bello, quanta nostra imbecillitas ab illis illato propulsando, ita nostris affectis et debilitatis viribus, ut in externis paullo nostris melioribus, vix salutis spes ulla relinquatur. Neque hoc modo te noluimus ignorare, sed regibus exteris etiam, litteris

eodem argumento scriptis, curavimus significandum. Illud etiam non dissimulavimus, alendo milite, muniendis urbibus, arcibus praesidio firmandis, quae sunt in regni nostri finibus barbaris hostibus obiectae, iam et Regis aerarium exhaustum, et uberrima olim regni vectigalia consumpta; ut cum sit nobis magnum propulsandum bellum, nihil incertius sit, quam quibus rationibus sit idem nobis propulsandum: quae vectigalia etiamsi integra essent, ad tanti hostis sustinendum impetum parum nobis subsidio essent. Iam et illud oravimus maiorem in modum, ut periclitanti in magno regni nostri discrimine Christianae reipublicae, nobisque adeo, qui ab illa non possumus divelli, et priores pectora nostra, pro communi salute, ad hunc diem satis firma et valida propugnacula obiecimus; ne graveris, toties frustra efflagitatam opem ferre, atque aliquid subsidii ad bellum, antequam Turca hostibus debellatis, qui et Selimi patris et sua vota in nostrum exitium suscepta morabantur, nobis, solutus curis omnibus, inferat bellum. Atque ille quidem (haud dubie, ut nos opprimat imparatos) missis legatis a nobis pacem petit: cum quidem eodem tempore, ingentibus comparatis copiis atque iis Asiaticis adiunctis, in nos bellum gravissimum paret, quo nos nihil minus cogitantes, ut male credit, adoriatur. Tanto vero apparatu adornat, ut satis constet, nulla maiorum memoria, militum numero, bellicis tormentis, aliisque quae sunt usui ad bellum, instructiorem regna nostra invasisse. Missis quidem exploratoribus, qui de his nobis certiora afferrent, qua peditum, qua equitum censeri in hostium castris CC armatorum millia cognovimus: esse vero eius consilium, Belgradum ducere, quae urbs in regni nostri finibus propugnaculum longe mu-

nitissimum hosti obiicitur, ea spe, ut vi aut obsidione, quod commemorare horret animus, in potestatem redacta, sibi ad interiora regni aditum patefaciat. Quantum vero damnum sit factura Christiana respublica ea urbe amissa, faxit deus ne sero Christiani reges, magno suo malo, intelligant. Nobis quidem crudelis et superbus hostis minatur, se expugnata Belgradi arce, recta exercitum Budam sedem nostram regiam ducturum, forte hoc quidem, ut solenni voto, quo se pater Selimus obstrinxerat, si tantum illi per turpem Christianorum regum dissimulationem et secordiam liceat, faciat satis. Non enim dubito quin hoc, Sanctissime Pater, audieris, antequam Selimus de Aegypti Sultano nobilem illam victoriam referret, et multorum scriptis et monumentis decantatam, Mahemeti vota fecisse, ubi daret deus de hoste victoria potiri, se tria in universo terrarum orbe templa magnificentissima illius numini exstructurum, quorum alterum ad orientis plagam, ad occidentis solis alterum, tertium ad septemtriones testarentur, nullam non orbis terrarum partem suis victoriis Selimum lustrasse. Ac quantum ad orientis oram pertineat, plane est iam voto potitus; duo illi reliqua vota, nisi nobis devictis, non sperat se posse implere; apud quos (usque adeo nos immanis barbarus contemnit) iam certa habet descripta loca, in quibus voti damnatus ampliora atque augustiora condat barbarae superstitionis ad posteritatem monumenta. Neque ille una ex parte modo in regna nostra facere impetum instituit, ut aliquid spei sit, in nos tanta belli mole irrumpentem propulsaturos. A parte diversa Mahemet Begus, copiarum dux magni nominis, per inferiorem Valachiam praemissus cum XXC armatorum millium exercitu in Transilvaniam magnis itine-

ribus contendit, provinciam nostrae ditionis atque imperii, rerum omnium feracissimam, quae vitae hominum politior cultus requirit, tentaturus. Neque hoc tantum agit, ut nos impares gravi sustinendo bello, subnixus immensis viribus oppugnet, sed occultis artibus etiam, quae nobis sunt minime obscurae, illius consilia omnia cum cura explorantibus, nos petit, spem externorum auxiliorum, quo nobis, diffisis domesticis viribus, confugiendum intelligit, adempturus. Cum enim vereretur, ne patruus noster Sigismundus Polonorum rex, nobis difficillimo nostro tempore, subsidio esset, et, per foederis religionem amicum regem petere aperto bello minus liceret, Tartaros Scythicam gentem, maxime infestam Polonis, donis et muneribus multis delinitam, in illum concitavit, ut intentus domestico malo pellendo, minus posset libero animo de vicino rege propinquo adducto in ultimum rerum discrimen, sublevando suis auxiliis cogitare. Captavit siquidem callidus hostis peropportunum tempus ad rem adversus nos gerendam, cum Sigismundum patruum a cura rerum nostrarum, Scytharum arma averterent, qui vastitate, populationibus, incendiis, omnibusque aliis belli cladibus regni eius provincias vexarent: inter Carolum Hispanorum, Franciscum Gallorum regem conflatum aeternum bellum, quo horum alter minus suis copiis adolescentem regem, sororis virum iuvaret, impedimentum afferret, potentissimus princeps, atque unus inter Christianos reges Turcae formidolosus. Quae cum ita se habeant, ad te Pater Sanctissime, quem unum, secundum deum immortalem habemus, ad quem, tam afflictis et perditis nostris rebus confugiamus, preces nostras convertimus, enixe orantes, ut dum adest facultas agendi, voluntas ne desideretur,

et labantem cum Vngarorum regno Christi caussam, ne tanta mole malorum oppressa corruat, tua sapientia, virtute, consilio, in primis opportuno subsidio, fulciendam tibi sustinendamque censeas, cuius fidei est communis omnium salus commendata, desque operam, ut Christiani reges tua auctoritate, quae illis prima esse, et maxima debet, positis odiis et simultatibus, quae funestis bellis Europam universam involuunt, uno tandem animo in Christi hostem arma convertant, qui idem omnium est hostis acerrimus, quibus est sanctum Christi nomen: ut quae arma inter se exercent letalia iis quibus salutaria esse debent, exerceant gerendo bello adversus hostem barbarum, malintque eo, quam Christianorum sanguine cruentari. Nam si minus, quod vix credendum est, eorum pectora tangit verae laudis et gloriae decus, quae illos sempiterna manet, gerentes adversus Turcam arma: at illos moveat certum suis regnis imminens periculum, ad quae magna et perampla, qua longe lateque protenduntur Europae fines, anhelans hostis potentissimus ab imo pectore inexorabile odium, hianti animo aspirat. Non enim potest esse Turca praesentibus contentus, cui, vitio humani ingenii, quae parta habet, prae iis, quae sibi animo spondet, etiamsi maxima, sordent: neque magis illis sperandum est, fore contentum Pannoniae regno, ubi, quod prohibeat deus suis propitius, liceat in Pannoniae ditissimo ac beatissimo solo figere pedem. Nam illud palam iactat, ludum sibi futurum, domitis bello Vngaris, Germaniam, Italiam, atque iis continentes Provincias suo imperio adiungere. Quae cum ita se habeant; te Vngari oramus Sanctissime, atque optime Pontifex, communem omnium parentem quicumque in Christiano orbe censentur, suscipias cogi-

tationem eo loco digna[illegible] hominum consensus [illegible] que ita statuas nobi[illegible] dis, summam reipu[illegible] paratu, qui ut [illegible] etiam, quae u[illegible] Christi causs[illegible] usum huc quan[illegible] auxilium, u[illegible] atque aliu[illegible] hoc te statuere pr[illegible] repetendum est no[illegible] bellum: se[illegible] universi Christian[illegible] lorum finis, [illegible] mo rerum, omnium discrimine nos [illegible] nent, qui quasi de aliena re in prae[illegible] de certa sua, nos oppressos bell[illegible] spectantes, se per nostrorum ho[illegible] gunt. Nos quidem, quae nostra po[illegible] contendere praesentibus viribus [illegible] tia poterimus, dabimus operam [illegible] fateantur, nos omni obedie[illegible] num regem deceat, et su[illegible]

His lectis, [illegible] sitae erant, dicitur [illegible] quis est qui exist[illegible] vico rege tantum Roma[illegible] situm, quibus a p[illegible] bellum, is antequam a nobis [illegible] se longe falli: Ita enim nos [illegible] totius Christiani orbis caput [illegible] mum, ut ad eum, quem gente[illegible]

exterae, maximi ac potentissimi reges, communem parentem agnoscunt, et pietate summa ac religione venerantur, una spe fretus, nostram orationem si a quibus, apud quem, quo loco habeatur spectetur, non secus ac si in medio Europae theatro habeatur, a Christianis omnibus exauditum iri. Neque vero regis pietas optimi ac religiosissimi est circumscripta adeo angustis finibus, ut suorum caussa modo sollicitus sit: vestra non minus caussa movetur; in quorum iugula imminent eius hostis intenta tela; qui quidem diiudicare haud facile est, utrum instructior viribus, classibus, exercitibus, terra marique sit, an odio in eos infestior, qui Christi nomen sanctissimum profitentur. Callidus hostis, hoc a maioribus accepto instituto, per exterorum discidia, occasionem captat augendi in immensum imperii, numquam suis viribus magis, etiamsi formidolosae, ut etiam cetera absint, nobis merito sint, quam nostrorum discordiis ferox: ut si vera magis hoc loco sint dicenda, quam quae auribus blandiantur: quae mala a Turca hoste Christiani populi sunt per multos annos perpessi, caedes, incendia, populationes, urbium exscidia, debeant Christianis regibus accepta referre, qui inter se concurrentes infestis armis, lacerandam perdendamque Christianam rempublicam barbaro hosti, insigni sui nominis infamia produnt. Belgradum enim si amittitur, quo nunc suas vires et consilia omnia Solimanus intendit, non Vngariae solum, tot gentium populorumque validum propugnaculum, qui Ludovico parent (quae pestis, faxit deus, ut in hostem vertat), sed vicinae Germaniae, Italiae, Galliae, Hispaniae, nationum gentiumque omnium, quae Christi nomen colunt, amittitur: omnibus enim pari odio infestus, nullo gentium ac nationum discrimine late

circumferendo arma, ac quasi ingens coortum incendium, per aliorum ruinam, in aliorum capita insultando, qui propiores incendio sunt, pestem atque exitium importat: ut Vngaros, absit verbo invidia, Christiani orbis propugnatores, prodi fero atque immani hosti, vix dici possit, flagitiumne maius, an scelus sit habendum; quorum exscidium, si quid illis durius accidat, idem, quod nemo non novit, multarum gentium populorumque exscidium sit futurum: quae enim odii caussa Carolo V. Caesari, quae Francisco regi Gallorum, quae non ea debeat levior videri, ut etiam sit maxima, quae ad tuendos Christianae reipublicae fines, defendendos populos ab imminenti exitio, Christi sanctissimum nomen debito pietatis munere colentes a privatis odiis et simultatibus avertit, si ii vere sunt, qui videri volunt, Maximi, Augustissimi, Christianissimi? Quid, quod illos, si quando sese colligant, et coniunctis viribus, vero ac legitimo hosti inferant bellum, non solum speciosa ac salutaris Christianis populis, sed facilis etiam, explicataque victoria manet? Quid vero est quod agunt? Vtervis eorum bello superior, ita victo adimit vires, ut infirmet suas, et parta de inimico barbari hostis faciat praedam? ut si fas sit de tantis regibus, non ex animi sensu magis, quam ex ipsa re, quae vera sunt pronunciare, ita statuendum sit, non Solimani infestiora esse arma Christianis populis, quam Francisci regis Gallorum, et Caroli V. Caesaris, quibus tuendae Christianae reipublicae regii nominis atque imperii maiestas, et superbi illi, ac speciosi tituli imponunt principes partes, quos indices maximarum virtutum pietatis, religionis, fortitudinis superbe ostentant. Quae si vere insunt animis, cur ex bellis bella serunt, cur in mutuam perniciem et

certam reipublicae ruinam explicant vires, cladibus aliis, super alias cumulandis? „virtus enim non discordias, non discidia alit, non mala cumulat malis, non tristem aemulationem animis, non odia inter eos fovet, quos honestatis aemulatio incendit, sed caritatem, benevolentiam, amorem, ut in praestanda maiestate regii nominis eadem studia sint semper, cum iisdem voluntatibus et sensibus coniuncta.“ Hi nostros urunt agros (ignoscant iustissimo dolori vera opprobrantium), hi evertunt urbes, vastitatem inferunt, liberos in servitutem abstrahunt, hi occidenti patriae ducunt acerbum funus (utinam falsi vates simus), exitium secum universae Christianae reipublicae importaturum. Aliquando discant, quamdiu licet, cum certo compendio atque usu; discant aliquando Christiani imperii moderatores ab hoste Solimano, qui oppugnat, tueri sanctissimam religionem, cuius unum in terris auctorem Christum eundem hominem, eundem dei filium noverunt. Nullos Turca novit infestiores hostes, quam qui impia et obscena sacra exsecrantur, quae ipse colit; ea colunt, quae ipse exsecratur, castissima et sanctissima nostra. Hinc quicumque illius imperio parent imbutis prava superstitione animis, habent adversus nos aeternum indictum bellum; ea modo quae in nos gerunt, sibi ducunt honesta arma; beatos fortunatosque credunt, qui ultro sibi mortem appetendam statuunt; omni vita ducentes potiorem mortem, quam liceat adversus nos in acie stantibus occumbere. Hinc illa animorum alacritas, ubi classicum canit, sumendi arma; hinc studium nomina dandi, non laborum, non vulnerum, non mortis metus; ut cum una certa spe teneantur, vitae praemium, quam contemnunt, immortalem ac beatam vitam consecuturam, duci se ad cer-

tum exitium, ad fossas suo sanguine opplendas, exstruendos aggeres cadaverum acervis, defatigandos sua caede hostes, studio atque alacritate alii alios praecurrentes, aequissimo animo ferant. Non illi vincunt nos armis, non pectorum robore, non rei militaris disciplina: cum nos numero vincunt, quos fessos caedendo suos, instando, signa inferendo conficiunt; tum hoc ardore animorum vincunt; ut nisi in vestigio cadant, turpem sibi vitam reliquam ac miseram putent quam ex acie referunt, hoste armato victoria potito, quam per vim arma gerentibus extorsit. Ab hoste barbaro discant reges summi, inter suos colore pietatis iura, aemulari viris fortibus magni animi atque excelsi propositam laudem, qui a primis annis pietatis praecepta a sanctissimis Christi oraculis hauserunt. Quid autem est liberis hominibus in vita tanti, quod illis eripiat e manibus in Christi hostem sumentibus arma? Si enim est iis prima, id quod decet viros fortes, praeclaris artibus parta gloria, nominis decus, hominum fama: unde materia ad gloriam uberior, quam ab iis armis, quae orbem terrarum a Turcarum servitute teterrima vindicent? Dubium vero cuiquam esse potest, quin si, consentientibus studiis, bellum capessant; brevi futurum sit, ut terra marique hostibus debellatis ad Byzantii moenia statuant victricia signa? Si tituli delectant, si Catholicos lubet, si Christianissimos appellari, cur parta magnae gloriae insignia meritis maiorum in Christianam rempublicam amplissimis, dedecorant, polluunt, prostituunt? cur Christi rempublicam per privata studia eversam impiis armis, cur tot nationum, tot gentium, tot populorum, qui Christo sacris initiati nomina dederunt, salutem produnt? cur ad ea, quae a maioribus heredi-

taria habent, nova cognomina assumere recusant Asiaticos, Parthicos, Macedonicos, Africanos, Numidicos, orbis terrarum vindices, solida parta pietatis laude; quam quae sunt adepti insigni cum maiorum gloria, quantum in se sit foedare dedecore domestico malunt? Cur non animum inducunt, illius Boemundi gloriam aemulari, quem superiorem caussa, armisque adeo, principum magna consensio pro Christi gloria ad Syriacum bellum proficiscentium a fraterno bello armisque avertit? Neqūe vero erat tum inter duos fratres contentio exigua de re instituta, unum in medio victori propositum praemium, Siculum regnum opulentissimum concitabat fratrum dissidentium animos ad arma: atque adeo, ut vix ulla concordiae spes reliqua haberetur. Sed potuit, ea quae vincere debuit, pietas et Vrbani pontificis maximi auctoritas, in vere regio animo. Qui quidem, ne cedere studio verae gloriae videretur euntibus ad longinquum bellum, difficillimum, dubii eventus, fratri Rogerio grandior natu tam gloriosae expeditionis comes futurus, regno tanto prudens volensque cessit. Quod si secus, ac dignum maiestate regia sit, habent, quod nomini, existimationi, et gloriae praevertant, et Insubrum regnum sibi spondent praemium victoriae, quod accessionis loco futurum sit, tot regnis in Europa nobilissimis potientibus: an non huic uni opponant Graeciam omnem, Thraciam, Macedoniam, Pontum, magnam Asiae, magnam Africae partem? quae omnia cur non sperent suo imperio adiicere, duo potentissimi ac maximi reges, ubi communi consilio rem sibi gerendam, communibus viribus, pari consensu animorum constituant? cum quidem terrarum tot illustria nomina praedae fuerint Turcae, numquam victori domestica virtute, sed mollitia et socor-

dia hostium, qui se vinci, quod sit turpissimum quoniam nolint vincere patiantur? Nullus umquam populo Romano aeque contemptus, atque Asiaticus hostis. Hinc a Lucullo Tigranes regum rex victus, cum perexiguas copias trecentis hominum millibus obiecisset; hinc Caesaris superbum ferculum in triumphi pompa, Veni, Vidi, Vici, Pharnace devicto; hinc olim Alexandri victoriae de Persis, peragrata Asia victricibus armis, et clarissimis ubique monumentis gloriae relictis. Atque tum erat vere Asia, urbibus opulentissimis, emporiis frequens, atque exterorum hominum conventibus, exculta eruditis ingeniis, omnibus artibus ad vitae elegantiam, atque ad humanitatem perpolita. Nunc quidem desertae solitudines, ac latebrae ferarum verius quam urbes quas incolunt, in bestiarum naturam deficientia hominum ingenia. Neque meliore sunt conditione Graecorum civitates, quae olim tantae, eo sunt redactae, ut vigeant modo prisca nomina urbium in veterum scriptis: vestigia, ubi fuerint, nulla exstent. Id enim voluit, id contendit, magno totius humani generis incommodo assecuta immanis ac barbara gens; ut, cum ipsa nationum omnium sit deterrima, det operam, ut se deterioribus imperet, omnia illis virtutis instrumenta adimendo, quae subministrant liberis hominibus dignae artes; atque hoc quidem callido consilio, ne sit quod a victis, si victoribus virtute praestent, pertimescat. Inde accidit, quod necesse fuit, ut in nobilissima totius orbis terrae regione, unde disciplinae artesque omnes fluxerunt, quibus devincitur hominum societas, humanitas desideretur; tetra barbarie, ne sit cum quibus collata tetrior appareat, omnem antiquitatis memoriam obruente. Longe vero absit a tantis regibus adeo foeda flagitii labes, ut sit

apud illos ulla potior, quam laudis et gloriae aemulatio. Illud dolendum, eos in verae et falsae laudis discrimine alucinari, quorum exemplo aequum esset alios ad virtutis aemulationem excitari. Nam, si secus habet, cur pertinaci animo in bellum incumbunt, ut semper quidem per se foedum, ita nunc maxime gentibus perniciosum? Cur honestae paci, gloriosae, salutari populis Christianis, praeferunt bellum, cuius gesti victoriam, eorum caede atque interitu constare necesse sit, quorum est Christi sanguine, et morte parta salus? Est hoc, sanctissime pontifex, patres amplissimi, certum vestrum munus, quorum est divina auctoritas, et summa inter homines maiestas, ut monendos, hortandos, castigandos aliquando liberius, cum alios omnes, tum eos in primis vobis censeatis, qui cum sublimi loco positi oculos in se omnium convertant, offendere, errare, labi, sine magna sua invidia, magna multorum pernicie non possunt. Belli quidem gerendi, qui propiores periculo sumus, non recusamus Vngari subire potiores partes: gesti qui futurus eventus sit, ad vos pertinet cogitare: ita enim bello Vngaria ardet, ut inde exorta flamma, nisi per regum concordiam primo quoque tempore extinguatur, sit continenti incendio, insigni cum reipublicae clade, ad vos perventura. Iam Solimanus nobis haec Romae agentibus, suae ditionis atque imperii fecerit, quidquid intra Savum amnem et Superum mare in ditione regum Vngariae habetur, Moesos, Dardanos, Illyrios: ut magnopere verendum sit, ne dum Christiani reges cunctantur, letali sopiti somno, accisis nostris rebus opem ferre, victor terra marique hostis, in obiecta Italiae littora milite transportato, Romam ipsam, nunc Christiani orbis, olim omnium terrarum caput, infestis signis petat: ut

quod pater Selimus vovit, id quod totus horreo referens et corpore contremisco, filius voti reus soluat: nihil enim verius est, quam Selimum meditantem Romanum bellum, aram in augustiore urbis sede victoria potitum Mahemeti vovisse. Pecunia indigemus, in militum stipendium, qua nos melioribus vestris rebus afflictis nostris, a vobis iuvari postulamus: militem nobis, non solum Vngaria, et illi finitima Dacia, quae in Ludovici ditione est, sed Boemia, et illi adiacens Moravia, Silesia, atque regni parte alia, Styria, Carinthia fortissimum suppeditat: ut alendo milite in summa aerarii difficultate nobis huc perfugiendum sit, nostra magis tempora effecerunt, quam voluntas, quae longe abest, ut nobis suadeat, quae gravia vobis et molesta esse intelligimus: quod quidem eo libentius fatemur, quo magis aetas liberat a culpa regem, eos damnat, penes quos imperio impares, impotentes imperii, et regni procuratio simul, et regis pueri fuit. Quo quidem subsidio, ne nos dignos quidem ut statuatis postulamus, nisi vos simul moveat communis caussa, atque ita censeatis, non a vobis pecunia Vngaros iuvari, cum id agitis; sed arceri imminentem pestem, ab hac augustissima sede, atque a sanctissimis Christi delubris, universisque Italiae populis, quibus maxime sunt Turcarum formidolosa arma.

Ad hunc modum cum legati regii verba fecissent, digna quidem caussa per se visa, de qua sibi aliquando serio agendum statuerent; sed multo hoc nomine eadem visa miserabilior, quod, cum pertinere ad summam reipublicae videretur, Vngaros praesertim pecunia iuvare, deesse certam rationem occurrendi communibus incommodis intelligerent, a Leone pontifice exhausto sacro aerario, qui se ambitione immisceri

regum bellis, immani cupiditate ditandi augendique suos passus esset. Nam, Italia ita per multos annos belli sedes, et suos exercitus, et externos aluerat, ut ipsa magis ad recreandas vires exterorum auxilio, quam esse ipsa auxilio exteris eorum rebus afflictis posset. Quae eadem Galliae atque Hispaniae ratio erat, pertinaciter duobus regibus arma retinentibus, quorum odiis fovendis, in immensum in dies novis accessionibus crescentibus, non sufficerent maximorum regnorum vires. Neque vero in pontifice erat maior spes inter se dissidentes conciliandi: cum aetate atque opibus florentissimi, uterque pari ambitione elatus, velle excellere, neuter videretur ferre parem posse. Omnium autem maxime spem compositionis minuebat novum pontificis consilium, in mitiorem sententiam Caesarem traducendi, iam spe ab illo iniecta, id quod magnopere pertinere ad populorum quietem arbitrabatur aliquando finem tantorum malorum poscentium, Francisco Sfortia in paterno principatu collocato, Gallos ex Italia pellendi, parum secunda fama in Insubribus imperium exercentes. Vtervis autem eorum, sive Franciscus rex, sive Carolus aemulus opulento principatu potiretur, haud dubie credebatur, supra modum auctis viribus, et propterea aliis suspectus, quietum Italiae statum perturbaturus. Accedit ad haec omnia gliscens in dies magis in Germania de religione discidium, Luthero Germano homine per apertam defectionem a pontifice Romano, hinc populum in concionibus adhortando, hinc litteris principes sollicitando, aut nova placita, aut vetera illa quidem, sed per hominum incuriam obsolescentia in religionem invehente. Cuius discidii tollendi caussa Imperator Carolus ad Vormatiam Vangionum urbem conventu principum indicto,

et a belli consiliis, et ab aliis curis omnibus, quae vacuum animum ab omni sollicitudine poscebant, avocabatur: ut etiamsi eius esset egregia voluntas, propterea rogandus non videretur, ne de pontificis maiestate, a qua re longe esset aversus, neu de sua pietate religiosus princeps, ubi rogatus negaret id suis temporibus postulantibus, detractum aliquid videri posset.

Quae cum multis verbis legatis demonstrata essent, ita sunt coacti vera fateri, ut eo gravius sibi deplorandum dicerent patriae fatum, quo ea vera esse minus ignorarent. Ita, re infecta, in Vngariam reversi, omnia in regia, et sua et aliorum opinione deteriora invenerunt. Augebat vero bonorum metum, quorum nemo non pessime de belli eventu ominabatur, hostis calliditas, qua usus, eo tempore moliendo bello, quo sua sponte regnum ruens, ut maxime abessent hostilia arma, ad occasum atque interitum vergebat. Vt vero hostis consilium maiori terrori esset, faciebat regiorum licentia, qui ita se administrandis rebus gerebant, ut cum omnia palam foede et praepostere fierent, nihil eorum Solimanum fugeret, quod facillimum erat, propinqua loca Vngariae imperio tenenti. Itaque nondum expeditione in Vngariam suscepta, cum cognovisset, Ludovicum de amicorum sententia uxore accita, solennia nuptiarum celebraturum, magna spe adolescentem opprimendi, quem delinitum mollioribus curis inexspectatum bellum obrueret, subito clam copias colligi, diverso a superiorum regum instituto, neque bello indicto, neque regio edicto palam proposito, et significari praefectis regiis iusserat, quo tempore praesto ad accipienda imperia essent. In primis ad fallendum regem adolescentia parum cautum ac viribus et consilio destitutum, melioribus aut e regia ablegatis, aut

sua sponte profectis; iis mandaverat, qui in regni finibus praesidiis praeerant, ne quid hostile prius in Vngaros, aut in Vngaris subiectos populos molirentur, quam omnia comparata ad bellum haberent, minime quidem pro gloria gentis, quam in eo positam magnam habebant, si aperta vi, et per belli denunciationem, hostem dato temporis spatio ad colligendas vires aggrederentur. Praeerat Belgradi praesidio Valentinus Therechius, quem in patris demortui locum, adolescentem eximiae spei, regii temerario consilio per gratiam suffecerant, quippe qui neque usu confirmatus, neque prudentia, quae usu et magnis gerendis rebus comparatur, adversus ingruentem belli procellam tantam permissam suae fidei regni arcem, vix melioribus temporibus reipublicae tueri posse credebatur. Quod quamquam ita esset; ad famam adventantis hostis, Budam profectus Regem adit, et quam invalidum praesidium, quamque parum munitum oppidum ab iis rebus sit, quibus aut oppugnatum defendi, aut obsessum teneri queat, ordine exponit: Exiguum militum numerum, atque adeo quibus desit, unde stipendium soluatur: ut aegre, nisi ratio aliqua ineatur prospiciendi ad usum victus eorum necessariis rebus, videantur in officio futuri. Scribendum militem in supplementum, ut in urbis propugnatione, quo haud dubie hostis consilia spectent, sint qui integri fessis succedant, et, quando cetera deficiant, virtutem numero animorumque robur, numerum virtute animorumque robore tueantur. Nullum esse tam munitum oppidum, quo non facile irrumpat pertinax hostium virtus, ubi qui irrumpentes propellant, non sint virtute superiores, numero impares. Defuturos regi arcis propugnatores, quibus rex desit, pro cuius caussa pugnent: neque habituros

vires quas hosti opponant, quibus alendis, ab iis, quorum salutem defendant, necessaria vitae alimenta non subministrentur. Neque vero solum iis vires, sed studium etiam et voluntatem deesse, qui contemptos se a suis, desertos proditosque hosti querantur, qui fretus immensis copiis, veterano milite, fortissimis ducibus, adversus eos arma gerat, qui tantum non exaudientes classicum canentem hostem, atque equorum adventientium fremitum, sopiti alto somno expergisci non queant. Ita vero Solimanum instructum omni bellico apparatu adventare, ut difficilem victoriam potentissimo etiam hosti redditurus sit, et quidem magnis opibus, classibus, exercitibus succincto. Esse suo ingenio acrem, ferocem, adolescentia flagrantem gloriae cupiditate, et rerum gerendarum studio in magnis imperii opibus, et rerum omnium fastigio, fortuna maiores spiritus gerentem. Accedere memoriam male gestae rei, et nuper in Parthis acceptae cladis, cuius oblitterandae studio insolens contumeliae animus, dies noctesque angeretur; ita arbitratus se posse suorum studia recuperare, quos a se Asiatico bello alienasset, si magni potiundi imperii oblatam occasionem Vngaris bello illato amplecteretur, neque domesticis opibus adversus praepotentem hostem tuendo regno paratis, et nulla spe alieni subsidii subnixis, ut quantumvis imbecillo atque infirmo hosti opportuni, nedum Solimano imperatori, everti nullo negotio, et regno deturbari possint. Quae omnia quamquam verissima essent, ita posse sarciri contendebat, si nihil sibi Rex laxamenti dari a belli cura adversus vigilantem hostem magnis viribus, magna sui fiducia et suorum tumentem intelligeret, cuius impetum se invehentis sustinere vix regi fortissimo, et claro rerum gestarum glo-

ria, usu, sapientia, facile esset; ut maximis etiam terrestribus, maritimisque copiis fretus, magnitudinem animi virium robore aequaret.

Haec, ut vere dicta, et pro eius temporis angustiis, ita minus tamen adolescentis regis aures fatigabant, malo Vngarorum fato, a salutaribus consiliis aversas. Nam, aliorum erat stolida ferocia, quam partim adolescentia, partim inania nomina nobilitatis tuebantur; cum nulla esset certa animi fiducia, atque a virium conscientia, adversus tantam exorientem belli vim, suo momento et pondere firma virtus. Commemorabant enim, quae parentes secunda proelia cum Turca fecissent; quas essent victorias adepti; quibus erectis trophaeis de hostibus victis longe lateque imperii fines propagassent, quos partos titulos, quae gloriae insignia maiores optime de patria meriti posteris reliquissent: tamquam aeque facile esset, ut nobilitatem, ita quibus artibus nobilitas comparatur, transmittere ad posteritatem, et ii, quorum parentes aut vicissent, aut victi essent, ea essent fortunae praerogativa nati, ut semper Vngaros vincere, Turcas vinci necesse esset. Addit quidem Boemicarum rerum idem scriptor, Dubravius, haud multo Vngaris ut videtur, quam Tubero aequior, rem vix credendam, ubi de patrefamilias tenuissimi census homine ageretur, cui lis de agri finibus cum vicino esset contestata, usque eo Vngaros aut non novisse, aut contempsisse tantum impendens malum, ut cum Terechius centum nummos aureos Vngaricos postulasset, quos militibus, qui essent in praesidio, viritim distribueret, in magnis quidem publicae pecuniae angustiis, sed in pari tamen privatorum opulentia, qui et regis pariter, et regni fortunas suam praedam fecissent, ne assem quidem poscenti

atque obtestanti per iura divina atque humana omnia, licuerit referre. Ea res cum in vulgus manasset: undique coeptos maledictis conscindi, quorum erat prima in regia auctoritas, vix illos tutos ab invidia, ubi fama integritatis et summa vitae innocentia in magnis opibus positos commendaret: Digna vero poena domestico scelere in patriam atque in regem ingratos homines plecti: non enim illos sibi consulere privatis fortunis parcendo, sed hosti, cui essent futurae praedae, reservare; cum possent iis esse patriae subsidio, cui omnia deberent, magno praesertim cum fenore ad suos redituraе, a quibus ad tempus viderentur abiisse. „Neque vero posse diu privatorum fortunas incolumes retineri, ubi ab imminenti ruina praestari incolumem rempublicam non liceret. Ita negligi a domesticis hostibus debitum patriae munus; cuius non solum gloriae fructum maximum, pietatis suae memores, sed otium, sed securitatem, sed eorum quae publicae saluti anteferrent, possessionem firmam etiam per certum ac stabile ius, essent relaturi. Ita esse reges in privatos effusos, ut privati, cum usus requireret, poscentibus opem, hanc quasi gratiae relationem deberent, non solum ut fortunas eorum caussa, sed et sanguinem et vitam adeo essent parati profundere?“ Non enim secus reges agere, ubi in suos liberales et munifici sint, ac si thesauros condant, quos dubiis reipublicae temporibus, tamquam e loculis, atque ex aerario depromant: qui si gerant in eos gratum animum, quorum munificentia magnis opibus et divitiis diffluant, non modo non gravate ferant accepta reddere, sed ultro ipsi etiam offerant sua. Vnam vero patriam esse, quam frustra opem a suis implorare suis adversis temporibus, non flagitiosum modo, sed impium, im-

mane, tetrum etiam sit. Nam si norint, quae patriae debeant: tum vero intelligant paratum indigenti apud privatos tamquam sanctius aerarium, quod illi reservandum sit, ubicumque destituta omni alio subsidio, ad suos confugere cogatur. Non ferendum flagitium enimvero, qui liberalem in se regem sint experti, eos pati a rege rectore et patriae custode suam liberalitatem desiderari: quae nisi ipsa regi suppeditet, unde illi bene merendi facultatem de privatis subministrari, iis ab imminentibus malis hominum vitae, domi foris, belli pacis tempore defendendis? At tanto esse eorum gravius scelus, quanto cum pietatis illustriore documento iis facilius sit munificentiae sibi maiorem laudem regis praeclare de se meriti aemulatione comparare. Atque haec quidem passim queri viri boni audiebantur, et quorum erant recti de republica sensus.

Interea, cum certiores in dies nuncii crebriores-que afferrentur de Solimani adventu, Stephanus Bathorius Regni Palatinus cum ea, quae subito potuit colligi, militum manu, ad Danubium contendit, vulgo hominibus a bello refugientibus, quibus, male gesta re, haud dubium a victore hoste exitium immineret; ab infensa suis nobilitate nulla spes aut honoris aut commodi, bene gesta ostenderetur, quod virtutis praemium victoribus esset. Inde traductis amnem copiis, in Sirmiensem agrum cum turma equitum proficiscitur, iussis edicto ad Vaciam *) sibi praesto esse, quicumque equo publico mererent: quorum summam, lustratis copiis, equitum peditumque sexaginta millium, atque eo amplius ferunt; satis firmas vires ad quemvis hostium impetum non excipiendum solum, sed reprimendum frangendumque etiam, ubi praestantibus in

*) Bachiam? (P r a y jegyzete.)

incepto par virtuti constantia affuisset: mirum certe videri possit, Vngaros cum numerosas et praevalidas copias contra hostem ducerent, aut deseruisse patriam si distracti privatis simultatibus, aut neglexisse si torpentes otio, quod longe a gentis ingenio abhorret, militiam detrectarunt; nihil certe verius, quam mox dilapsos a signis, frustra duce ac militum praefectis contra tendentibus, abiisse. Nam, quod plures tradunt, defuisse Regi, quod militi in stipendium solueret: hoc, ut infimorum forte minuit culpam, sic principum auget: quae enim illis ulla satis iusta excusatio, non ad praesentium modo hominum, sed ad posterorum etiam invidiam, tanto admisso flagitio, deprecandam? quos quidem, si non esset a suis grave propulsandum bellum, in magno rerum omnium discrimine laborantibus, si non adversus Turcam gerendum immensis viribus in patriae exscidium incumbentem, gloriae studium cogeret voluntarios foris petere militiae decus, tranquillis apud suos rebus aliena bella suscipere, pro aliorum commodis, nihil praeter nomen sibi et famam petentes, pugnare? Illudne erat sperandum, pro Vngarorum salute, illis quiescentibus, Gallum militem, Germanum, Hispanum, Italum nomina daturum? Mihi quidem haud verisimile videtur tantum dedecus nobilissimae nationi haesisse, ut cum versaretur ob oculos patriae exscidium adductae ad extremum casum, domesticas vires, si adessent, inducerent animum dissimulare, et Vngariae regnum praedam fieri barbarorum hostium, mora infami et turpi cunctatione paterentur. Illud probabilius, aut non fuisse tantum copiarum numerum; aut defuisse, si adesset, qui desidem atque inertem diuturna desuetudine armorum, sua auctoritate tum ad suscipiendum animis virile decus, tum ad rem gerendam, unde para-

tur verum decus, excitaret; adolescente Rege, et in magno principum discidio, aliis alio rem trahentibus; quorum nonnulli praepostere in aliorum dedecore positam laudem, et in Regis ruina spem crescendi et augendi domesticam potentiam, constitutam haberent. Quaecumque infrequentiae caussa fuerit, haud ita multi parentes regio edicto ad signa mansere. Atque inter varia hominum ingenia, alii aliis de caussis credi volebant, se a bello avocari, quae vera esset dissimulantes. Nam, quorum erat in speciem recta de republica sententia, palam querebantur, dissolutam rei militaris disciplinam, voluptatum et libidinum licentia depravata hominum studia, nullo rectore subnixam rempublicam, sine consilio Regem, sine Rege consilium, meliores aut offensos praesentibus rebus, sua sponte profectos e regia, aut a regiis ministris consulto ablegatos, quorum sapientia spes esset pueri infirmam aetatem posse regi: quae mala omnia e propinquo impendentia, tristem rerum exitum portendebant. Namque et ii ipsi, quorum iustam quaerelam temporis ratio efficiebat, turpi armorum cessatione, ad tam perditum rei publicae statum, malorum ingentem accessionem addebant: quae non disertos accusandis aliis, sed acres requireret gerendis rebus, et qui patriae amantes in campo atque in acie pugnando, simul armis simul consilio hosti armato obviam eundo, postremum pietatis munus, ut viris fortibus dignum esset, patriae exsoluerent; et quidem etiamsi cum occidente republica esset cadendum, quae beata mors et omni vita magis expetenda iis videretur, qui poscenti naturae debitam aliquando restituturi, virtuti et pietati consecratam ponere, cum certa spe immortalitatis mallent. Alii quidem palam improbi, et in foeda vitia, nimia licentia, et Regis indulgentia effusi, quibus prout

sceleris et flagitii plena, esset aversa mens a rectis consiliis: ut ne una quidem illis gravis caussa armorum videretur, cura tuendi praesentia commoda, prae quibus negligerent publicam salutem, haud ignari, minime illa diuturna futura, ubi quid detrimenti respublica acciperet, in cuius interitu, atque salute posita privatorum salus, atque interitus esset. Sed quorum esset tanta amentia, non ita multi, quos apud Regem iuvenem pollentes gratia, et divitiarum magnitudine, neque cura ulla reipublicae tangebat, neque privatae suae. Vt credam non fuisse multos, quos in tanto reipublicae periculo, infamis desidia a bello deterreret, facit Vngarorum virtus, cum alia omnia, quae expetunt alii, tum vitam inprimis contemnentium, cuius est praemium gloria et laus. Ergo exigua et contemnenda militum manus, ubi etiam esset imbecillo hosti occurrendum, adversus hostem Solimanum in speciem missa; ne plane, id quod res erat, desertus a suis Rex, quos ipse desereret, videretur; magis ignominiae metu, quam pristino virtutis studio, ab invitis et tergiversantibus debitum patriae officium exprimente. Vna maxime angebat cura, Belgradum invehendi cum alium apparatum muniendarum urbium, tum pulverem tormentarium, qua una re inprimis milites indigebant; quod enim, nullo etiam urgente belli metu ad subitos casus paratum haberi oportebat, pessimo consilio regii in difficillimum reipublicae tempus distulerant, praesentibus modo moveri assueti. Namque ut nulla etiam spes esset urbem retinendi; uno hoc nomine tamen non erat negligendum, ut esset, quo victi non inulti in urbis propugnatione commendatae suae fidei periisse, et victorum in pugnando laudem assecuti magnitudine animi et constantia, contemnenda morte viderentur.

Inventi tamen quidam ex Illyrio, quibus regii persuaserunt ingentis praemii spe, ut onustam navem tormentario pulvere, secundo amne Belgradum inveherent, iussi Turcicam vestem barbarico cultu induere, quo facilius fallerent in hostium stationes delati; res per se salutaris futura, ni incepto Moesi levis fides, cui erat hoc exploratum consilium, obstitisset, certa exitii obsessis caussa fuit: cognito enim transfugae indicio regiorum consilio, undique hostes dispositis custodibus, ne qua provecti noctis beneficio fallerent, navim secundo flumine delatam, excipiunt, atque ad unum omnibus, qui aderant interfectis, pulvere potiuntur. Inde assecuti facili coniectura, eius rei inopia obsessos laborare, sine qua, irrita propugnatorum virtus atque audacia esset, arctius obsidione premere urbem pergunt. Neque vero rebantur, satis milites paratos ad vim hosti inferendam, longe impares numero, et ita necessariis rebus indigentes, ut quibus se tuerentur, essent vires defuturae. Quem vero usum crederent illis futurum, ingentem etiam tormentorum numerum, quibus telorum, quae in hostem emitterentur, facultas omnis et ratio deesset? Eorum opinionem adiuvabat hostium aperta confessio, de victoria melioribus concedentium, cuius erat certum indicium, cum ageretur de oppido munitissimo defendendo, et in quo uno Vngarici regni claustra se refracturum potentissimus hostis minaretur, nihil obiectum, quod eius impetum retardaret: ut quae caussa tantae secordiae esset nulla ratio posset iniri. Nam qui petitus, apertum iugulum praebet adversus ferientis ictum, is aut metu se abiecisse arma, aut quibus se tegeret sibi defuisse ostendit, quod praeiudicii loco adversario est contra diffidentem suis viribus, inimici vires horrentem. Quis vero non deploratam eorum

spem habeat, qui imminente ab hoste acerrimo, gravi et pernicioso bello, neque ab armis parati sint, et ita indigeant consilio, ut quos liceat de summa reipublicae consulere peritos rerum homines et spectatae prudentiae, contemptos atque abiectos a se procul pellant? Profligati quidem illi ingenii, qui malunt suo consilio perire, quam acceptam salutem meliori referre. Qua peste cum laborare Ludovici regiam appareret, et augebantur hostium animi, et minuebantur nostrorum, quibus non vires solum, sed quod malorum omnium gravissimum, consilium, deerat, quod saepe angustis et dubiis rebus, cum vires deficiunt, subsidio est: iam quod omnibus erat praevertendum, ut ad primam belli famam urbem nondum ab hoste obsessam bellico apparatu instructam munirent, id actum eo tempore, quo submissum auxilium cum suorum pernicie interciperetur, Solimano vires interceptum augeret. Nemo quidem dubitabat, quin facile urbs adversus vim Solimani omnem aliquanto acrius Vngari adnitentes tuerentur: quorum virtute, patrum memoria, Ioanne Huniade duce, Mahemetes huius ipsius Solimani proavus, summa gloria Constantinopoli potitus, fuerat a moenibus reiectus. Quae Vngarorum virtus eo erat maioribus laudibus efferenda, quo acrioribus animis post longam oppugnationem iam in urbem Turcas ingredientes reiecerunt, Mahemete vulnere affecto, cum non amplius XX millibus militum Huniades obsessae urbi auxilio adduxisset. Nam et grandes natu homines memoria repetebant, quod a patribus accepissent, Amurathem Mahemetis patrem, cuius nomen insigne reddidit memorabilis ad Varnam nostris illata clades, in eiusdem urbis oppugnatione X Turcarum millibus amissis discedere infecta re coactum. Neque erat futurum, ut So-

limanus la etiorem sortitus expeditionis eventum, si perfidia abfuisset, inde reduceret exercitum victorem, Vngaris propugnatoribus ad ultimum usque rerum discrimen omnia perpessis, quae raro superare potest virtus. Dicitur Solimanus tanta regiorum aut ignavia, aut vecordia animadversa, de soluenda in praesentia obsidione cogitasse, integro bello et nusquam viribus affectis Regem aggressurus et ab omnibus aliis rebus imparatum, et consilio maxime, spe haud dubia regni potiundi, intestino malo convulsi et labefactati. Credebant vero huius consilii auctores, neque male illi quidem, expugnatum Belgradum ingressum illi modo in regnum; secundum cum regiis commissum proelium, de quo non erat dubitandum, regni possessionem victori patefacturum: quam illi spem, suorum non solum numerus sed virtus etiam faciebat, cum quidem cum eo hoste essent pugnaturi, qui prius a suis victus, quam hosti vincendus, vix crederetur tanto inferior viribus signa collaturus. Dandam operam modo, ne occasioni deesset: quominus arces, oppida, regiae urbes, victori impigre gerenti rem, certatim portas aperirent, nihil impedimento futurum. Opportunitates rerum gerendarum saepe ab hoste ita existere, ut vix vigilanti imperatori veniret in mentem maiores optare: quae in praesentia quidem ita ostentarentur, ut neminem fallerent palam in omnium oculis positae. Non agnoscere vero ultro occurrentem, et se dantem, eius hominis videri, qui captus oculis esset; non amplecti visam, plane inertis et secordis. Haec cum apud hostem in consilio agerentur, multis, qui mos gentis est, in assentationem versis, et Regis sententiam laudantibus: alii contra disserebant, rem maturius considerari, ac nihil temere agi debere existimantes: Ludovicum quidem destitu-

tum multis, non instructum armis, non pecunia, non commeatu, sine quibus geri bellum recte haud posset: negare neminem; sed non aeque his destitutum regnum. Quas enim vires Vngari dissimularent, cum de Rege modo ageretur, quem aut odissent, aut contemnerent Ladislai prolem: eas ubi de regno dimicandum esset, quod incolume ac saluum vellent, universos certatim explicaturos. Nam, quod viderentur eorum dextrae torpere, potentissimo hoste cunctis viribus tantam urbem oppugnante; sive illos confisos loci natura dormitare, quem inexpugnabilem crederent; sive quod minus sentirent in affecta parte, quod essent in toto laeso corpore sensuri: simulatque Solimanum audirent adventare in regni perniciem omnibus viribus incumbentem, deficere populos, ultro aperire portas, Turcam hostem impune, quo velit circumferre arma, caedem, vastitatem, cetera mala atque incommoda invehere, quae belli vis afferret: feroces hostes, et qui aeternum haberent susceptum in Turcam odium, malorum interiore sensu experrecta virtute, tamquam ad pellendam communem pestem ad arma se certatim excitaturos. Atque Vngaris quidem, ubi victi proelio essent, patere tutum ad suos receptum: Turcae, si quid adversi accideret, a quo metu illos invicta ad eum diem Othomanorum virtus, fortunaque vindicasset, aut ferro cadendum in acie, aut ultima omnia perpetienda. In consiliis dandis, quae de rebus dubiis incertisque essent, quid laetus eventus afferret boni, quid tristis afferret mali, quasi aequa libra, suis quidque momentis expendendo aestimare homines oportere; tum si maior ostentaretur quaestus, et compendii spes, quam mali metus, eum qui suo consilio gerenti rem iniiceret moram, magis dignum habendum, qui de privata re

alios consuleret, quam qui de republica consuleretur. Vt vero quis animo fingeret, quod facillimum esset, victoriam penes eum esse, qui ut caussa adversus foederis violatores, ita viribus superior in acie esset; eum qui sibi hoc sponderet, Solimanum augere sua sententia, multorum regnorum potentem, unius regni additamento: quid si male re gesta, victoria penes hostes esset (id quod minime luberet ominari), nonne idem quod aureo hamo piscem captanti, ut vulgo proverbio ferrent, usu venturum. At quanto eorum tutius consilium, qui perstandum in incepto censerent, et integras vires in duarum urbium oppugnationem intenderent, quae tamquam claustra Vngariae in potestatem redactae, aditum ad regni possessionem aperirent? duas enim esse in Vngaria arces, Belgradum et Sabatiam, de quibus verissime dici posset, qui his potitus esset, quin ei liceret Vngariae universae iniicere frena, minime quemquam dubitare oportere. At illud dici, ob situm et naturam loci, aut fore difficillimam oppugnationem, ubi vi agi placeret, aut longam obsidionis moram, quod longe abesset a summi imperatoris virtute et felicitate, ubi eo consilio uti mallet, tolerandam. Quorum sollicitudinem et metum tolleret Solimani imperatoris incredibilis sapientia, et magnitudo animi. Nihil ita arduum haberi in natura rerum, quo non conscenderet suarum virium bene conscius animus: nihil viro forti inexpugnabile, praeter ipsum se, et quae una modo illi in terris imperaret virtus. Fuisse olim qui flumina siccarint, solo aequarint montes, maria pontibus straverint: cur desperandum de unius urbis expugnatione, Solimano imperatori maximo, regum regi, tantis opibus nitenti, adducenti copias innumerabiles, uni in terris belli pacis arbitro, gen-

tium et populorum moderatori? Quantum vero decoris esset Turcarum nomini, quantum Solimani allatura tanta capta urbs, tum opportuna, vi praereptum Vngaris validissimum propugnaculum, quod duo maximi imperatores, Amurathes et Mahemetes, frustra ante eum tentassent, licere per contrarium dedecus animadvertere, quod esset soluenti obsidionem subeundum. Quid vero esse aliud suis adimere vires, addere hostibus animos, desperare de victoria, se victos fateri, si hoc non esset? Iam famam per omnes gentes pervagatam, acceptam a Turca in Parthis cladem: cuius sarciendae studio, quamquam non hostium virtute victis illatae, sed situ locorum atque anni tempore, sit expeditio, haud dubia spe victoriae, in Vngariam suscepta, cuius quasi praerogativum omen, ab expugnata urbe totius Vngariae munitissima, essent praecepturi. Praeclaram ostentatam occasionem magnae delendae infamiae, quae cum non ita saepe sese daret, non videri foeda mutatione consilii corrumpendam, milite praesertim egregie animato, cuius ardorem pati mora restingui, haud satis callidum consilium videretur. Ad bella recte atque ex sententia conficienda, permagni interesse, per insigne editum facinus, famam hominum initio gerenti rem conciliari: perraro enim usu venire, ut non hominum famam multitudinis studia sequerentur, quae fere semper eo propenderent, quo traheret fortunae adiuncta bellica virtus, et magnitudo animi. Nam, et de eo minime dubitari oportere, quin perculsus hostis tanta in belli principio accepta plaga, esset grave sibi ipse belli praeiudicium facturus, amissa regni arce munitissima, et quidem non hostis virtute prius, quam sua inertia, et suorum, unde victori liber pateret in regnum accessus.

Haec in hanc sententiam dicta, facile ut Solimanus in incepto perstaret, perfecerunt. Auxit fiduciam sua sponte bene sperantis, magnum eodem tempore in urbe ortum inter Moesos discidium, qui urbem incolebant, et milites, qui in praesidio erant, cum ob varios religionis ritus, tum ob vitae cultum diversum, quae res, a levi principio sensim animis incensis in mutua odia, in immensum auxerat seditionis vires. Moesi, ut Daci hoc tempore, quos Valachos vocant, et his finitimae gentes, in pagis praesertim, Graecorum ritibus in sacrorum cultu utebantur. Vngari Romana sacra obibant, atque ex maximi pontificis decretis. Neque vero illi per consuetudinis atque amicitiae simulationem, ut plerumque fit, inimicitias exercebant; sed, ut inter ea sacra exsecrantes, quae minus probabant, et quidem ita impotentibus animis, ut mutuum congressum, colloquiumque vitarent, non a conviciis, non a maledictis, et verbis contumeliosis abstinentes: ut si Moesis data optio esset, parere Turcae aperto hosti, quam Regi Vngaro mallent, cuius in se mite ac iustum imperium, iam inde a maioribus essent experti. Haec cum Solimanus haud ignoraret, non desperabat, oppidanos, quibus praesertim desertis a suis spes omnis longinqui auxilii praecisa esset; maturius omnium spe deditionem facturos. Nam quo minus diuturnam obsidionem ferrent, magnus agrestium concursus efficiebat, qui desertis agris cum integris familiis, et pecore, ac villae instrumento, pavore acti, se in urbem receperant: ut cum, propter belli exspectationem annona iam ingravescere coepisset; tanta eodem coacervata urbanorum atque agrestium multitudo haud diu videretur ingruentem famem posse ferre. Hac spe confirmato animo Solimanus, Achomatem, unum ex regiis

ducibus, qui copiis praeerant, conscripto milite ex Europae delectibus, Sabatiam mittit, ubi tentata oppugnatione, haud facile videatur per vim posse expugnari, urbem obsidere iussum. Erant in arcis praesidio delecti milites ad sexaginta, vix satis idonea manus oppido tuendo, ubi etiam per otii tempus minus necessarium praesidium fides provincialium faceret, si militum numerus modo spectaretur. Hi honestam mortem turpi vitae praeoptantes, etiamsi clam Savo amne transmisso evadere incolumibus liceret, ne quando dedecus militare admisisse et locum deseruisse suae fidei traditum dicerentur, succedentes muris audaci incepto Turcas undique emissis tormentis summoverunt, multis ex illis, qui pertinacius subsisterent, interfectis. Inde cum sibi vitae praemium, cuius retinendae spem omnem abiecerant, immortale decus proposuissent, rem patrare sua virtute dignam, et maiorum gloria constituunt, ut sibi ipsi ducentes funus, hostium caede et sanguine postremo mortis munere parentarent. Interea Turcae, cum, maioribus tormentis verberatis moenibus, partem munimentorum deiecissent, eaque prolapsa ruina, ascensum facilem oppugnantibus praeberet, muros scandere certatim succedentes nituntur. Quorum audacia animadversa, nostri studio gloriae incitati accurrunt, et conferti, per ruinas scandentes Turcas proturbant, ac cum deiectis proelium integrant: mox, quamquam pauci numero undique multitudine hostium circumvenirentur, globo facto, extremum virtutis opus adituri, de integro pugnam capessunt. Ita cum saepe hostibus infestum proelium fecissent, multis vulneribus adverso pectore exceptis, in vestigio omnes occubuere. Septingenti ex hostium numero interfecti dicuntur, tanto ceteris iniecto terrore,

ut perexigua manus, si modo praesto fuissent, qui adversam ripam praesidio tuerentur, satis idonea fuerit, ad transitum amnis illis impediendum. Sabatiam arcem dicitur Mahemetes exstruendam curasse, qui princeps Othomanici nominis, sedem imperii Byzantii statuit, eo consilio, ut quo sui se tuto reciperent, si quando in hostium agros excursiones facerent, haberent; simul ut obiecta Belgrado munitissima arx, si quando quid in suos Vngari per vim molirentur, eorum vim conatusque retardaret. Cuius consilio cognito Matthias Rex, per septem fere annos, duobus gravissimis bellis, Boemico et Sarmatico perfunctus, anno superioris saeculi septuagesimo quinto, postquam exstructa a Mahemete fuerat, septimo, arcem in potestatem redegit, gravi iugo Vngarorum cervicibus deiecto, atque ingenti sua gloria, hosti imposito. Inde refectis, quae per oppugnationis tempus tormentis disiecta ac diruta essent, in insulae modum, Savo perpetua fossa in iustum ambitum circumducto, continenti opere munivit. Ab eo tempore quadragesimum et septimum annum Vngari potiti. amiserunt. Solimanus, Sabatia recepta, cum ab exploratoribus esset certior factus, Sirmiensem agrum, universamque circa regionem Vngarorum praesidiis vacuam, Savum ponte iungere, atque exercitum amnem traducere, quamquam totus in Belgradi oppugnationem animo intentus, constituit. Sed ne eandem milites alacritatem faciundo opere praestarent, vana barbaris obiecta religio effecit, ponte interrupto fluminis rapiditate, quae operis firmitatem, quamquam validissimis catenis revincti, superabat. Ita vero quisque pro suo ingenio, rem in diversas sententias trahebant, ut vulgo tamen omnium idem fere iudicium esset, dubiis in rebus semper ad deteriora incli-

iantium, parum laetis auspiciis et averso numine rem ;eri, cuius quidem Vngaris propitii opem sentire licuis-ıet, omni alio desperato auxilio, quo occurrerent hosti-ɔus traiicientibus flumen. Et sunt Turcae, ut nulla ıeque alia gens, cum aliis anilibus superstitionibus, ;um maxime vatum atque hariolorum praedictionibus ıddicti; quibus usque adeo fidem habent, ut saepe de lapide emptum mancipium, temere dicto magnas res gerentes interpellare, atque id, quod alibi monuimus, ab incepto remorari revocareque adeo queat. Atque haec quidem pestis eo vehementius in illos grassatur, quo nullis liberalioribus artibus exculti, minus habent, quo spes sit ab errore animum superstitione depravatum posse adduci. Nam illa passim ferebant, religiosum Turcarum genti Savum transire, quod non semel docuisset eventus, quae temere et casu accidunt, in fati vim vulgo hominibus trahentibus. Saepe quidem cum idem tentassent, tum ab Huniade patre, tum a Matthia Rege filio, avorum memoria proelio victos, ac retro, re infecta, redire coactos. Magnum vero hoc incommodum cum aliis gerendis administrandisque rebus, tum in re militari procuranda maxime: ut enim religio, et sancta quaedam de rebus divinis suscepta opinio, militares animos omnis metus expertes acuit ad virtutis decus, et ad res magnas gerendas; ita, ubi in vanam superstitionem vertit, id quod saepe accidit, levissima quaque re obiecta, cuius caussa minus cognita perturbet imbecillos animos; sua sponte etiam strenuos, atque acres meticulosos reddit: ut inter gerendam rem superstitione capti, non secus atque infenso numine rem gerant, suae et ducis virtuti diffisi obiiciant arma, ignari, divinum numen numquam non viris fortibus favere, secordibus infestum, et torpenti-

bus metu. Huc aliud accedit incommodum omni ratione cavendum. Saepe enim potest accidere, ut superstitionem, si qua vulgo mentes hominum pervasit, ignavi suae inertiae conscii, quasi velum concepto mente timori obducant, quorum exemplo meliores a virtute atque industria deterreantur. Turcae quidem hoc habent persuasum, maiorum virtutem, qui fundamenta iecerunt tanti inter homines imperii, religionem semper comitatam esse: ut minime mirari oportet, cum arma per se invicta, divinam vim corroborare putent, eas res illos gessisse, quae infra hominum consilia et vires, pendere ex arcana vi fatorum, et aeterna dei immortalis providentia videantur. Haec quae temere passim vulgo ferebantur, non aeque movebant imperatoris animum, cui unum fixum animo haesisset, ea optimis auspiciis geri quae fore secunda, ratio magis, quae regum consilia et sapientium hominum moderatur, quam vana superstitio spondet. Itaque cum omnino traducere copias constituisset, dispositis lintribus ab utraque fluminis ripa, XII circiter pedum intervallo inter se distantibus, cum asseribus e robore struendos, et utrimque catenis revinciendos curasset, pontem fieri extemplo iubet. Ita, et milites, et impedimenta, et currus, quibus maiora tormenta subvehebantur, nullo negotio amnem traducti. Inde agmine quadrato profectus Samonium, quod oppidum in ripa Danubii positum, Belgradum obiectum e regione habet, exercitum adduxit, atque loco castris idoneo consedit. Quae dum ita ab illo administrantur, Balius, quem Solimanus ad vastandos hostium agros in Sirmium praemiserat, cum Stephano Bathoreo congressus, suspicatus virum auctoritate principem quas aequum erat copias adducere, non quas regni tempora postula-

bant, in magno rerum discrimine praesertim: magis socordia atque inani metu, quam hostium virtute victus, terga vertit, et in castra ad Solimanum effusa fuga contendit. Inde brevi errore detecto, cum per exploratores cognovisset, Stephanum diffisum suorum paucitate, retro conversis signis, pedem referre: non esse omittendam occasionem arbitratus sua sponte territum hostem ex omni circa regione pellendi, relicta quaquaversum oppida circumiectosque pagos, militem foeda populatione, longe lateque vastare, atque incendere iubet, nullo aetatis, sexus, ordinis discrimine caesis omnibus, aut in servitutem abductis, quos in agris, desertos a suis, qui permulti passim, aut aetate aut sexu imbelles occurrebant, invenissent. Incensos per se odio animos, ut nulla praeterea alia gravior caussa accederet, inflammabat vehementius contempta, ut credebant, Solimani maiestas: quam Iasia femina, ut iam commemoravimus, supra sexus imbecillitatem audacia elata, interfectis per fraudem legatis, in hoste barbaro etiam detestando exemplo, erat ludificata. Ita vacua cultoribus oppida, antea direptis, quae incolae, quonium fugam infestam faciebant, praedae hosti reliquissent, subiectis ignibus incensa, excissaque evertit, barbarae immanitatis, et violatae a nostris fidei, futura illustria ad posteritatem monumenta. Neque his satis Balius exhausto odio, cetera quae apta iis instaurandis essent, quae incendio superfuissent, asseres, tigna, materia reliqua, ne quando usui hostibus essent, aut igni corrumpenda, aut in vicinos amnes, qua rapidius ferrentur, devehenda primo quoque tempore curavit: ut avarus hostis, et avidus praedae, ob acceptam contumeliam, cuius plane erat impotens, uni iracundiae modo, et dolori indulsisse videretur. Quod

ipsum tamen actum optima ratione et consilio postea apparuit: ne tot oppidis hosti relictis, unde excursiones fieri impune in suos fines possent, necesse haberent ad ulteriorem Savi ripam praesidia disponere, non sumptu, quam molestia maiore. Castris ad Samonium positis, etsi oppidani haud desperabant, se posse diuturnam obsidionem sustinere, sublatis animis, quod equitum peditumque non contemnendum praesidium intra urbem recepissent: Solimanus evocatos ad colloquium, hortari ad deditionem, atque ut victoris clementiam experiri, quam vim mallent, amissa omni spe auxilii, iubet. Hostem potentissimum, qui adductis secum immensis copiis, maximas ad bellum vires, maiores iis spiritus gereret, quibus viribus circumsessi se sustinere posse confiderent, qui modico praesidio, et infirmiori etiam hosti contemnendo, urbem tuerentur? Vanum esse consilium tum de studio gloriae agi, cum de salute esset desperandum, cuius iis spes esset retinenda, quibus vinci a Solimano honestum, vincere multo illo etiam viribus inferiorem monstri simile esset. Quando tantus imperator ultro de suo iure decederet, et mitem victoriam ferocibus consiliis praeferret, ne paterentur vecordi contumacia clementiae suae laude, quod unum captaret rerum gerendarum decus, Solimanum frustrari: tamquam enim ab invidentibus sibi eam gloriam, quae sit cum eorum salute coniuncta, graviores ab his poenas in amentia persistentibus expetiturum. Eos quidem Solimanum saluos velle: sed ita, ut salutem, quae ab iis nulla sit, ab eo agnoscant, cuius illa beneficio fruantur. Esse vero iniuriae genus non ferendum, huius gloriae avidum ita aspernari salutis auctorem, ut perire spe salutis deplorata, quam servari eius, cui accepta referatur, beneficio malle:

dignum certe, cuius adeo iniustum odium in sui conservatorem sit, ut quanto ipse contumacior aspernando beneficio, tanto acerbiorem hostem, vindicanda tam immani iniuria experiatur. Vtrum horum velint iis optionem dari; sive patriis sedibus manere, et suis legibus, suis institutis utentes liberi agere; sive alio migrare cum uxoribus et liberis malint: perfecturum Solimanum, ut cum nemine, cuius sint domi florentes fortunae, et bene constitutae, res suas commutatas velint. Dent operam modo ne parum opportuna cunctatione, proclivem ad misericordiam animum imperatoris, a suo instituto avertant: in uno enim positam salutem dedentium se, si non expressa vi, sed voluntaria deditio, omni reiecta mora, imperatoris optata et vota praecurrat.

His adhortationibus victis oppidanorum animis, cum neque spes ulla salutis a Rege ostentaretur, quae esset ab unius hostis clementia exspectanda, atque ita adeo si eam illius fidei permitterent, cuius esset dandi atque adimendi potestas, nullam deditioni moram fecerunt. Non exstitit a barbaro data fides dedentibus se, et quidem, quamquam illa iurisiurandi religione obstricta. Ex deditis puberes omnes interfecti, alii sub corona venierunt. Ita Solimanus Iasiae ludificationem ultus: quae parum nobili matronae honesta, suis minime meritis, qui longe a culpa abfuerant, exitio fuit, expiare sua caede alienum scelus, per summam iniuriam coactis. Erat in eo equitum numero, quos se recepisse Samonium ante hostium adventum indicavimus, dignus vir, cuius ut virtus, ita et celebre nomen ad posteritatem exstaret. Is cum oppidanorum animos labare, et non obscure inire consilia de deditione animadverteret, barbari hostis fidem exse-

cratus, cui sciret nullam umquam religionem sanctam fuisse, mortis decus, quando vitae spem abiecisset, petere ab animi magnitudine constituit. Ita porta erumpens, qua erant densiores hostium ordines, impetum fecit, atque in se unum omnes conversos, quoad vires aequarunt animum, fortissime sustinuit. Mox vulneratis multis, nonnullis interfectis, cum animi vim deficere vires coepissent, inter confertos pugnans fortissime concidit per honestam mortem, carnificis manu, et tortoris defunctus. Interea Solimanus, longe lateque amoenissimum Sirmii tractum milite depopulato, indies premere arctius obsessos instituit. Erat urbs Belgradum cum loci natura, qua Savus amnis muros alluit, tum a ceteris partibus opere manuque egregie munita. Corvinus Rex, ne quando vicinus Turca ea potitus, terribilis Vngaris instaret; ingenti pretio, undique accitis peritis hominibus muniendarum urbium, cura acerrima reficiendam instaurandamque curaverat. Itaque cum aggressis oppugnationem, haud quaquam pro barbari spe succederet eventus: iam timor subibat animos, ne, insigni cum nominis iactura soluta obsidione re infecta abscedere cogerentur; quod tantum acceptum dedecus, permagnum afferre Vngaris momentum credebatur ad spem belli ex sententia conficiendi. Haec cura cum anxium Solimani animum haberet, frementis quidquam in terris inveniri, quod maius sua spe esset, desperatione obtinendae rei, ut fit, cupiditatem potiundae in immensum augente, ita multa animo voluebat, ut nihil, quo magis in eo profici spes esset, assequeretur: ratio enim pertinaciter in suscepto consilio haerentem ab incepto revocabat, quod humanis viribus et consilio assequi desperaret, temere aggressum: excitabat animum, et maior alius

metus, cuiusvis rei potius, quam sui potentem, ne ad acceptam in Parthis cladem, nova contumelia, ex male gesta re adversus Vngaros, adderetur: quod si accideret, intelligebat, se in discrimen amittendi imperii, de quo semel laborasset, haud dubie venturum. Quae quamquam ita se haberent, et iam necessitate victus de soluenda obsidione cogitaret: eum transfugae duo Moesi adeunt, insito a natura genti in Vngaros odio iis de caussis, quas supra commemoravimus, dissidentes; ad levitatem ingenii, spes praemii accesserat, quod sibi ingens, per proditionis scelus ab hoste avido oppidi potiundi spondebant, cuius cupiditatem facultas referendae gratiae aequabat: ut duplex voluptas alliceret ad scelus, et ulciscendi quos oderant, et praemii adipiscendi, quae una res plurimum semper in barbarorum ingeniis potuit. Igitur de more, custodibus tradito telo, ac facta adeundi imperatorem potestate, demonstrant, qua urbem Savus amnis alluerit, infirmos muros esse, omissa eorum reficiendorum ab Vngaris cura, quod satis per se tutam eam partem, fluminis altitudine esse censerent. Esse obiectam insulam, a Savi et Danubii confluente, in quam ubi tormenta curarent asportanda, uno atque altero ictu per proruti muri ruinas ingressum in urbem patefacturos. Cum rei minime per se contemnendae a captivis, quos permultos Solimanus regionis peritos apud se habebat, congruentia afferrentur: maiora tormenta in parvam insulam advehi, atque inde verberari moenia, tum viribus omnibus urbem oppugnari, nullo intermisso temporis spatio iubet. Quod quidem cum impigre Turcae administrarent, facile deiecta murorum pars, in ruinis, hostibus superstantibus urbem patefecit. Erant vero nostris multo barbari superiores. Nam,

et in perferendo oppugnationis labore numero militum praestabant, ut qui integri fessis succederent, ex magnis copiis non deessent; et, praeter commeatuum vim, quam ipsi convexerunt, facultas rerum omnium e fertilissima Vngariae regione suppetebat, quarum inopia nostri conflictabantur; qui etiamsi virtute et fiducia animorum praestarent, in eo quidem erant laudandi, quod eius loci tuendi caussa, quem suae fidei haberent commendatum, auderent fortiter mori; deflendi eo nomine, quod nullo cum usu et compendio, tanta virtus in eius urbis propugnatione, cuius vindicandae ab imminenti exitio omnis esset praecisa spes, interitura. Nam Moesi iam antea coniectura cognito Solimani consilio, diffisi se posse urbem adversus tantam vim tueri, privatorum aedibus ignibus subiectis, ne qua hosti praedae facultas esset, atque assumptis, quae cariora quisque haberet, se in arcem receperant, vacua urbe hostibus relicta, quam multo ante, regiorum sive ignavia, sive temeritas prodidisset. Ad cetera vero mala, quibus obsessi premebantur, cum nulla superesset facultas defendendae urbis; iam septimum annum falsa magis opinione hominum, quam ullo firmo subsidio stabat. Verisimile enim credebatur urbem unam, in qua totius regni propugnaculum adversus barbaras gentes esset obiectum, omni bellico apparatu instructam, in magna praesertim belli exspectatione, quod a tam infesto hoste, et maximis ad iniuriam viribus freto imminebat. Namque ab eo tempore, quo Scepusius Cernovicium oppugnaturus, tormenta a Belgradi arce avexerat, quibus, ut diximus, hostis erat potitus, nemini venerat in mentem (adeo omnia temere et inconsulte administrabantur) hoc genere praesidii urbem destitutam munire, cuius salutem negli-

gere perinde esset, atque Vngariam universam hosti prodere. Magnae ea res invidiae iis, qui in regia dominabantur, maiori populis incommodo, quibus ultimum hostis exscidium minabatur, brevi Ludovico exscidio fuit. Nudata ab ea parte urbs, cum foedam sui faciem, et tristem ac vastam solitudinem, crebris tormentorum ictibus solo stratis aedificiis, et sacris ac profanis locis, ruinis incendiisque deformata ostentaret: barbari duces, qua vergit ad orientem solem, patenti porta invecti, suos ad oppugnandam arcem successu laetos alacresque adducunt; nonnullis in urbis ingressu amissis, quos ex arce plumbeis globulis e parvis tormentis emissis, milites qui in praesidio erant, crebris, et raro, ut in confertos, atque e propinquo loco, incertis ictibus stravissent. Inde Turcae muralibus tribus tormentis admotis, tribus simul e partibus adoriri arcem constituunt, eo consilio, ut distractis in tot partes viribus, quae perexiguae supererant, defessi milites, quibus nocturnis aeque, et diurnis laboribus defunctis, non essent qui integri succederent, malo victi desererent locum, atque inde amissa spe retinendae arcis, voluntariam facerent deditionem. Vix autem fieri poterat, cum crebro esset occurrendum, qua vehementius milites laborarent, quin eam partem, quam relinquerent, propugnatoribus nudarent. Quibus angustiis cum obsessi premerentur, aliud accessit incommodum, ut iis plane de salute esset desperandum. Erat non longe ab arce, e sacra aede eminens turris, unde populus ad sacra aeris pulsu vocabatur. Eam turrim fere sua altitudine arcis fastigium aequantem Turcae occupant, atque aliam insuper contignationem, ut structurae ratio postulabat, tignis eo asseribusque comportatis, ut certiore ictu e celso loco hostes pete-

rentur, adiiciunt. Inde nullo nostris spatio ad quietem dato, aliis super alia emissis telis, eos loco excedere cogebant, idoneis tormentis in turrim adductis, quae ultro citroque ferri, atque agi commode possent. Iam eo ventum erat, ut cum abunde hostibus ad inferendam vim, rerum omnium facultas suppeditaretur, nostris ad vim propulsandam, praeter animum, qui ne in extremo quidem discrimine versantes defecit, omnia deessent, ut in virtute, atque animi magnitudine, cuius praeclara ediderant documenta, nihil praesidii relinqueretur. Quo esse maior regiorum dedecus videretur, per quorum inertiam factum erat, ut minus esse usui tantum robur tam necessario tempore reipublicae posset, quae praeter tantae urbis iacturam, et fortissimorum militum interitu insigne esset vulnus acceptura. Erat Blactius quidam Moesus, origine Vngarus, qui in urbe iuri dicundo praeerat. vir magnitudine animi. constantiaque incredibili; qua fretus cum ad ultimum usque discrimen sese praestitisset invictum, dignum sua fortitudine praemium retulit, hostis etiam confessione immortalitatem promeritus. Is, cum e duobus militiae praefectis alter per speciem comportandi commeatus, ante hostium adventum urbe excessisset, ... omni praecluso aditu in arcte obsessam substitisset; decessisset alter, antequam urbs coepta esset obsideri; tam duris suorum rebus, praefecturae munus aliis recusantibus, sive se obtulisset sua sponte, studio gloriae incensus, sive militum suffragiis, praeturae urbanae praerogativa, ceteris praelatus esset: collega assumpto Ioanne Bothio arcis praefecto, summam penes se rerum traxerat, iis auspiciis, ut si par fortuna virtuti contingeret, haud dispar eventus esset inceptis responsurus. Huius unius consilio et virtute factum est, ut rei mili-

taris decus, quasi per manus a maioribus traditum, Vngari amissa etiam urbe, retinerent: in magna enim inopia rerum omnium, quibus ne summa quidem virtus in ultimo rerum discrimine carere potest, hinc sublata omni spe propinqui auxilii, hinc urgente impendentis exitii metu, ut non de salute retinenda laborare, sed de tuenda gentis gloria viderentur, quinquaginta dies hostium impetum, inferentium in arcem infesta signa, magna semper edita eorum caede, represserunt. Vicies quidem dicuntur eruptione ex arce facta cum non amplius quadringentis numero essent, omnibus viribus in se incumbentes Turcas, cum in iniquum saepe locum progrederentur, cuneo facto, ne qua vi perrumpere possent, magna sua gloria summovisse. Vna vero hostibus erat spes iniecta, ubi per rei gerendae occasionem temere progressos in suum locum elicuissent, palatos disiectosque adorirentur: quod ubi accideret, haud dubitabant, quin vacuam praesidio arcem essent continuo in potestatem redacturi. Itaque omnia excogitabantur, quibus successu elatos, et fiducia sui, in patentiora urbis loca pertraherent, ubi robur, et magnitudo animi inutilis adversus multitudinem esset. Id quo facilius assequerentur, ingenti clamore et tumultu, cum simul undique signa concinerent, et tympanorum pulsu, ac tubarum et cornuum strepitu omnia personarent, pavorem et trepidationem inferre pugnantibus conabantur. Quod eorum consilium cum nostros minime fugeret, quando se in eo tutos modo credebant, si nihil admitterent, qua re opportuni hostium insidiis essent, qua se invictos peti intelligebant, hostium conatus omnes, fallaciasque studio incredibili vigilantiaque adnixi eludebant. Itaque facile passi per inconditos clamores, eorum relangue-

scere vires: ipsi compositi, constanti atque aequabili gradu, cum vires ab animi praesentia, non a tubarum clangore cierent, qua pervaderent, metum, pavorem, formidinem prae se agentes, infesti, magna cum eorum caede ferebantur; tantae virtutis caussam, barbaris hominibus, cum ab nullis agnoscerent hominum viribus, id quod imprimis eorum vim audaciamque minuebat, a praesenti numine manare suspicantibus, quo adversante, cum virtute fulta divina ope pugnare nefas esset. Erant fere in arce aedificia omnia scandulis tecta, quo genere fere Vngaria, et vicina Sarmatia utitur, ut essent maxime apta incendio. Ita, ad avertendos militum animos ab arcis propugnatione, globos ex arida materia parte interiore pice ac pulvere igneo incluso, ad ovi fere magnitudinem sagittarum spiculis affigunt, atque intra arcem iaciunt, aedificiis frequentem, atque adeo, ut raro umquam maxime barbari sagitandi periti ab scopo aberrarent. Ita, cum motu ipso in tecta domorum globi adacti accenderentur: ignis conceptam vim e globis erumpentem, qua tectis adhaeserant, scandulae comprehendebant. Hinc late coortum incendium, cum quam in partem ventus ferret, magno hominum terrore per continentia tecta volueret flammas; ancipiti malo propugnatorum animos distinebat: Nam simul hostes propulsandi adorientes arcem, simul restinguendum incendium, diducendae minime vires erant, quae quasi perpetuo nexu mutuo iunctae, invictae ad eum diem adversus tot mala stetissent. Inita ratio tandem hostes a muris arcendi, veritis nostris, ne, per crebras eruptiones, id quod accidere necesse erat, quidquid supererat virium ac roboris, indies languescens extenuaretur. Arborum trunci magnitudinis ingentis, infixis clavis ferreis, et ab summo praeacu-

tis, ut qua prominerent, in subiectos provoluti, magnem ederent stragem, in barbaros propius muros succedentes devoluebantur, eo minore nostrorum incommodo, quod hoc praestari etiam ab oppidanis poterat, ne militibus locum deserere, et in diversas partes vires distinere necesse esset. Augebat obsessis animum Solimani iudicium, qui veterano militi parcendum, et si qui in exercitu erant, quorum esset spectata virtus, censebat: veritus ne in urbis praevalidae oppugnatione, meliore parte virium consumpta, ubi dimicandum cum Rege esset, cuius rei facultatem sibi dari maxime avebat, viribus inferior pugnare magno cum salutis discrimine existimationisque cogeretur. Itaque cum suscepta contentio, inter hominum numerum, et veram virtutem esset (melioribus enim parcebatur) ne dubitandum quidem esset, quin obsessis neque tela, neque arma sufficerent barbaro hosti tamquam pecori caedendo. Hoc Turca institutum pertinaci consilio ad hunc diem tenet, ut ad defatigandas atterendasque hostium vires, habeat, quam ad caedem obiiciat, semper paratam gregariorum turbam, quorum caede hostes fessi, ubi ad verum militum robur ventum sit, minime iacentes vires afferant, et succedentibus vegetis, atque integris pugnae labore fatiscentes cedant. Erat in Solimani exercitu Gallus miles, qui equo merebat, ex eorum genere, quos permultos quotidie videmus, aut mobilitate ingenii, aut redimendae salutis, quae illis carior fama atque existimatione, id quod saepius accidit. deficere ad Turcarum sacra. In horum numero ingens sceleratorum manus, furti, peculatus, maiestatis damnati, turpi iudicio convicti, aut qui publica inusta nota cusum aurum adulterarunt, obsignarunt falsa testamenta, gravissimorum scelerum conscii homines, et

qui multorum conscientiam. et iudiciorum severitatem veriti, exsilii perfugio, scelerum poenas effugerunt, ut vere dici possit, inter homines esse hominum genus, quibus in hac mansuetiore vita feris bestiis infestioribus utamur. Ex horum genere Gallus eques duces copiarum adit, et per eos curat Solimanum monendum, quam difficile factu sit, per vim arce potiri, qui in praesidio sint, non se tueri unius urbis arcem sed totius Christani orbis firmissimum propugnaculum existimantibus: non esse minus praeclarum consilio vincere, quam aperta vi. Quando alii conatus omnes irriti cesserint, per cuniculos aditum in arcem tentandum. Eos agi commode posse, cum in vicinis argentariis ingens hominum multitudo sit, qui eius rei periti, ubi impigre opus aggredientur, paucorum dierum labore sint perfecturi. Nihil facilius, quam iis hostes fallere, quae illis non exspectata, et propterea minus provisa, eveniunt. Assuetos peti armis, atque aperta vi, occultis insidiis, atque improviso malo obrutum iri. Huius probato consilio, cum, deplorata eventus spe, iam soluere Solimanus obsidionem statuisset, agi rem placuit. Inde, accitis eius rei peritis, cum nemo esset, qui opus agentibus per summum silentium obviam iret, cuius sensus nondum ad nostros pervenisset, brevi cuniculis in arcem actis, cum magnam vim ignei pulveris iniecissent, muri pars, quae cuniculis superstabat, funditus ab imo avulsa, et in sublime elata, ingenti fragore ac ruina procidit. Quo casu oppidani perculsi, cum nova res, atque improvisa nihil minus exspectantibus accidisset: qui ad eum diem hostes de compositione agentes, non minis, non denunciationibus territi contempsissent, occulte primum inter se, de arce dedenda inire consilia, mox palam agere, ac litteras sa-

gittarum spiculis illigatas, in propinquas hostium stationes iacere. Quod tantum flagitium eo gravius milites ferebant, quo magis, nec opinato casu ita erat prolapsa muri pars, quae prociderat, ut difficilem ab ea parte oppugnationem hosti efficeret: in declivi enim, et praecipiti loco, rudera quae vestigium non admittebant, ea ad arcem molientibus aditum, lubricum ascensum reddebant. Sed alia certior superveniens pestis per oppidanorum insigne flagitium, funesto Vngaris fato Solimani inceptis favente, fortia militum consilia spem fiduciamque omnem elusit. Vrbem fere, ut diximus, Moesi incolebant, paucis Vngaris admistis, barbara gens, et quae ne sanctam fidei religionem haberet, nullam quam colerent religionem nossent, indidem assueti homines latrociniis, et rapto vivere, ac magis a finitimis Turcis praedae studio, quam ab iis perpetuis excursionibus petunt, quam religionis odio dissidentes. Hi sive desperata salute, ut credebant, ubi ad extremum in incepto perstitissent, sive malorum pertaesi, quae et plura in dies, et graviora perferebant, ad deditionis consilium descendisse dicuntur, cum nulla esset virtus, quae labantes semel in fide barbarorum animos, omni alia spe salutis abiecta sustineret. Ac ne Vngari quererentur de re tanta Moesos separata consilia habere; cum Blactio simul et Iano militum praefectis, iam re deliberata colloquuntur: simul docent, quam a suis salutem extrema omnia passi minime sibi affuturam sperarent, a quibus per magnam iniuriam deserti et proditi essent, se ab hoste petere constituisse; atque hoc quidem quamdiu spes esset, deditionem non vi atque armis expressam ab invitis, sed voluntariam superbum hostem crediturum. Si ut Vngaros deceret, hoc est gentium et nationum om-

nium fortissimos homines, fama, nomine, existimatione moverentur, satis laudi, satis nomini, satis verae religioni illos dedisse per insignia militiae decora, et fortitudinis documenta, et suis, et hostibus adeo, cumulate probata domestica virtute: quam quidem non superasset contumax hostium virtus, non tela, non tormenta, non arma, sed vis temporum, et regiorum scelus, quos optime de patria meritos, in ultimo rerum discrimine deseruissent: vicisse enim eos, quae invicta natura essent, famem, vigilias, dies noctesque immensos perpessos militiae labores; ausos erumpere adversus hostem immensis viribus nitentem, animis elatis, unius studio gloriae: semper victores, cruentos semper hoetium sanguine, alacres ad sua ovantium ac triumphantium similes rediisse; edidisse ultimum virtutis opus; contempsisse vulnera, mortem, quod eorum decus esset, qui mortis solatium in nominis immortalitate et vera gloria haberent constitutum; quam quidem nulla umquam aetas non esset admiratura. Iam non alios modo, sed hostes, et quidem hostes infestissimos, eorum fortitudinis testes ad posteritatem futuros, quorum gloriae monumenta clarissima suo sanguine et morte sanxissent.

His adhortationibus quasi illecebris et delinimentis cum appareret parum illos apud Vngaros profecturos: denunciant, nisi animum inducant communi consilio rem gerere, privatim Moesos sibi consilium capturos. Viderent, ne nimis obfirmando animos adversus imminentis fati vim, et suopte ingenio superbum hostem, et ferocem victoria, quam haberet in manu, quamdiu spes esset emolliri ac flecti ad misericordiam posse, adversus communem salutem redderent contumaciorem. Ita necessariam magis proditione

Moesorum, quam destitutione virium, aut temporis angustiis faciunt deditionem, pacti, ut cum suis rebus omnibus militum armatis ire quo visum esset, liceret. Moesis iisdem conditionibus incolere urbem permissum, quibus ad eum diem sub regum Vngarorum imperio fuissent. Quae quidem, ut temere credita Moesis, qui de Solimani clementia nihil non sibi praeclari pollicerentur; ita facile apud victorem Turcam obsolevere, assuetum, ubi vis atque arma cedant, ad fallacias et religionis ludibria, qua nulla tenetur, confugere: pollicitus enim se, quibus vellent conditionibus, in fidem Moesos accepturum, cum in mentem veniret parum Vngaris aequos, nihilo in se firmiore animo futuros, relicta patria, quam prodidissent, migrare cum suis rebus omnibus Byzantium, Vngaros asservari cura attentissima iubet. In eo dicitur Moesis, eorum spe aequior fuisse, passus, quae religiosa apud illos in sacris aedibus haberentur, secum asportare, in his cadaverum reliquias, quae sanctorum hominum monumenta Christiani homines, plerisque in locis, caste ac religiose venerantur. Magno quidem plausu, sive ioco cavillantes Moesos, sive serio sibi laeta ominantes ab ea urbe avehi passi Turcae dicuntur. Iam videri de Christiana re actum, quorum dii captivi, a Turca victore in triumphum ducerentur: ut ad quos in posterum confugerent divino atque humano auxilio destituti nihil iam reliqui haberent. Sunt, qui affirment, Solimani imperio Divae Peticae cadaver, quod operosa superstitione Graeci sacerdotes Belgradi colebant, Byzantium asportatum: ita enim Turcam censere, eorum memoriam sibi sancte colendam, qui ante Mahemetis adventum clari virtute et sanctitate vitae, puris animis ab omni labe flagitii Christi religionem

coluerint. Parentem omnium deum, miseratum genus humanum, cum variis mentis erroribus devium in praeceps laberetur, Christum legatum demisisse in terras, qui hominibus ab errore revocandis Mahemeti praeiret. aliquot postea saeculis inchoatum a Christo salutis opus perfecturo, ex divinis oraculis novis legibus scriptis, quas nunc Turcae colant. Ad hunc maxime modum Belgradum urbs capta in Solimani potestatem venit: eorum initium malorum, quae et iuvenem Regem, et cum eo regnum universum simul everterunt: satis quidem constat, tametsi non desint qui caussas alias afferant tantae amissae urbis, in regiis potissimum culpam haesisse, cunctantibus obsessis opem ferre, cum eodem tempore non minus Vngaris, quam Turcae, infesti hostes Moesi, Vngarorum odio deditionem accelerarent, iam ut dictum est, Solimano, victa nostrorum virtute, animi pertinacia, de discessu cogitante. Equidem certos habeo auctores, qui affirment. mensem adhuc integrum sustineri egregie obsidionem potuisse; cum neque esset metus a fame, et indies de hostium discessu fama increbresceret, Moesorum perfidia et scelere, quominus, soluta obsidione, magna cum ignominia discederet, factum esse. Apud Vngaros quidem hoc manavit, a Venetis cum Carolo V. gerentibus in Insubribus bellum, conflatum hoc incendium in Vngaria exarsisse. Eorum consilio Solimanum, cum esset sua sponte quieturus, Asiatica expeditione viribus accisis, arma mutato consilio cepisse. Fuisse autem Venetis hanc iniectam spem, Carolum per occasionem ferendi auxilii propinquo Regi, cui grave bellum immineret, in praesentia, omissis Italiae rebus, omnes in Solimanum conversurum vires; quam sceleris notam reiicit integritas et sapientia Veneti sena-

tus: qui quidem, ut alibi diximus, a Baiasete parata terra marique ingentia auxilia, haud ita pridem incumbente in eorum perniciem universo terrarum orbe, non sui temporis magis, quam fidei et constantiae memor, recusavit. Cur vero mallent, cum hinc Solimanus, hinc Carolus V. hostis immineret, per eius ruinam, quicum sacra communia religionemque haberent, Turcam crescere perpetuum hostem, quam, per huius exscidium, Christianum Imperatorem, cum nominis maiestate, ditione augusti imperii augeri? Neque vero illud ignorabant, aucta barbarorum potentia per victoriam de nostris partam, in eorum ipsorum capita intentis viribus, quibus auctoribus perdere alios licuisset, insulturum? Quid? tantam invidiam, ut aliorum oblivisci possent, qua ratione sperabant se apud Christianos reges posse declinare? quibus integris ab omni flagitii infamia, una fortuna florentis imperii, quae infesta in multorum oculos incurrebat, paene ruinae ac pesti fuisset? Quae vero illis alia caussa, Cameracensi bello tanto certa auxilia reiiciendi, quae validissima a Baiasete offerrentur, nisi a tam foedo consilio averteret, quae piis animis obversabatur, communis Christianae reipublicae salus? Quis vero dubitare posset, ut minus essent suae religionis memores, medium barbarum inter victores Venetos (si hoc accederet modo) ingenti sibi beneficio devinctos, et qui victi essent, aliorum abiectis viribus, aliorum debilitatis, integris viribus aggressum, et victores pariter, et victos, beneficiarios illos, hos stipendiarios vectigalesque Othomanici imperii facturum? Alia Vngaris caussa tantae cladis, quae quo verior, eo deflenda magis: in capite enim, et regni moderatore haerentem, in iis inprimis qui illi erant publici consilii auctores, ne spes esset ingruenti

malo virtute et consilio posse obviam iri, praepostere apud exteros, a quibus longissime aberat, quaerebant. Iuvenis Rex, grave semper populis ac detestandum malum, una tantae cladis verissima caussa: atque ut plane deploranda omnis spes esset, is Rex, quem praeter infirmam aetatem nulla educatio adiuvaret, et si quid boni a natura inesset, obruerent cum aetate emergentia vitia; quibus tollendis, nulla virtus animum excitaret, per se imbecilla, si ulla modo inerat, et nullis artibus exculta, quae dignae magno rege essent. Ad haec mala accedebant eorum ipsorum nequissimorum hominum fallaces artes, qui in regia dominabantur, vix sperantium sibi regnum futurum diuturnum, nisi variis blanditiis atque illecebris emollitum animum a cura regni et publicarum rerum averterent, quas nullo regi imperio, unius iuvenis aetati insidiantibus expediebat. Hinc regia, quam iusto ac sancto regi sacrarium virtutum omnium esse aequum est, aperta flagitiis omnibus, quae aetas suaderet, impunitas aleret, atque improborum frequentia; qui exclusis honestis studiis, quibus vigentibus, esse locus nequitiae atque inertiae haud potest, pueriles lusus, ludicra, spectacula, nova quotidie voluptatum genera obiiciebant: ut cum, tamquam a fonte, nova mala cladesque quotidie emergerent, quae e regia in populum manarent; nulla adesset virtus, artes nullae, quibus erumpentia opprimerentur. Nam etiamsi aderat rei militaris studium ita Pannonibus innatum, ut regi, si non esset, industria excitandum atque exercitatione videretur; si quando tamen sua sponte exsisteret (id quod numquam accidebat, natura a pravo usu, ad ingenii bonum revocante), eorundem assentatorum vocibus obruebatur, qui, quidquid alii haberent industria multa

et studio partum, cumulate habere Regem a natura contendebant. Inde cum persuasum haberet, blanda natura assentatrice, ubi hominibus sit de suis rebus iudicandum, adesse quae aberant; ne una illa quidem aderat cura, per amicos interiores, graves homines et prudentes, qui tum regia exsulabant, ea quibus male se crederet potiri, cultu meliora efficiendi. Ita ubi reipublicae tempora, et regem et virum postularunt: tamquam ex armorum ludo, in quo ipso tamen erat parum versatus, ad ludicrum certamen et umbratilem pugnam progrederetur, vero hosti, cui praeter inanem sui opinionem, nihil, quod opponeret, habebat, praedae fuit. Hinc fiebat id quod iam docuimus, ut qui Regem adolescentem possent suo consilio iuvare, sapientia, rerum usu et spectata virtute insignes homines, ne Rex addictus perditorum consiliis, bene consulentium periculo republica male administranda offenderet, se a sanctiore consilio subducerent, domesticarum cladium invidiam facile apud eos haerere patientes, qui earum vere auctores haberentur.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER SEXTVS.

LIBER SEXTVS.

Solimanus laetiorem sua spe sortitus expeditionis eventum, captae urbis arce valido praesidio firmata, Hadrianopolim victorem exercitum reduxit: eo consilio, ut si Ludovicus de recuperanda arce nova consilia iniret, quod eum certam belli rationem secutum facturum apparebat, e propinquiore loco suis subsidio esset. At Vngari, multo his graviora veriti, tamquam essent, per hostium discessum, periculo perfuncti, minus prae iis praesentibus movebantur, et quidem quamquam iis tanti momenti, ut una regni robur, et quibus fulciebatur vires omnes nervique incisi crederentur. Quod vero Solimanus fama victoriae subnixus, non continuo in interiora Vngariae exercitum duxisset, id suae virtuti tribuebant; non ex hostis iudicio multo acriore sed suo, domesticas vires magnificis verbis efferentes, magna quidem cum prudentium hominum querela, per quorum ablegationem a Regis consilio quasi a reipublicae clavo, et regni gubernaculis, qui rebus praeerant, omnia temere et praepostere agentibus, haud dubium communi patriae naufragium imminebat. Neque haec regiorum iactantia callidum hostem fugiebat, qui non ex patrum et maiorum virtute, qui in campo atque in acie ferro pugnare assueti, non in umbra et otio inanibus verbis Vngarorum nomen fecissent, sed ex posterorum moribus et

praesenti rerum statu hostium vires aestimabat. Iam captae urbis fama, cum ad alios Europae reges, tum in primis ad Sigismundum et Ferdinandum pervaserat, qui quidem, et quod periculo propiores, et quod Ludovico erant arctiore propinquitatis vinculo iuncti, non poterant non vehementius illius adverso casu commoveri. Cuiusque caussa esset cum minime ignorarent; optimo consilio amandandos e regia improbos homines arbitrati, qui per contemptam Regis aetatem, rempublicam suorum scelerum et flagitiorum praemium fecissent, Mariam iam pridem infanti desponsam, et qui illam comitarentur, viros graves, et perspectae prudentiae, qui iuveni Regi in consilio adessent, primo quoque tempore ad eum mittere constituunt, sperantes fore, ut adolescens, per novae nuptae consuetudinem a molli et flagitiosa vita ad agnoscendum regium munus seque aliquando, et rempublicam respiciendam abduceretur. Adiuvabat eorum consilium puellae ingenium, et virtus ad graviores res proclivioris, quam ad eas, quas sexus requirebat; qua perspecta non erat dubitandum, quin quo vellet, et magis reipublicae expediret, virum perduceret, suo ingenio quidem, ni improbi homines depravarent, ad honesta studia propensum, certe minime praefractum, et contumacem adversus salutaria monentes; ut ducem nactus, qui praeiret, quo natura propenderet vitae cursum intendenti, haud esset dubitandum, quin administrando et moderando regno suo tempore esset summos reges aequaturus. Nam quo hoc magis sperarent, accedebat nato ex Iagellonia gente ut cetera abessent, nobilissima sua sponte Austriae familiae maiestas, quacum erat propinquitate coniunctus, ut quamdiu sui esset memor, minime dubitari oporteret, quin ad repetendum impe-

rii decus ad eum diem neglectum, comprimendamque sceleratorum hominum audaciam et cupiditatem, sese esset excitaturus; accedente praesertim, quae eadem tori consors, et viri potens, ut credebatur, sui oblivisci et regii muneris haud pateretur. Ita Maria regina magno principum comitatu, et nobilium matronarum, Budam deducta nuptiae apparatu magnificentissimo, atque ingenti populi plausu celebritateque peractae, non aeque omnium faustis ominibus, quorum nonnulli praesentem rerum statum exsecrati, haud meliora in posterum reipublicae ominabantur: non enim verisimile videbatur, Solimanum semel adversus Vngaros facto virium periculo, adeo laeto rerum successu ad extrema belli persequenda stimulos addente, quieturum. Captum Belegradum non belli finem sed initium fuisse, et ad maiora incitamentum, spondenti sibi belli praemium Budam Vngarici regni sedem, tum personantem Hymenaei carmine et ardentem nuptialibus facibus, brevi (utinam qui haec praedicerent falsi vates essent) personaturam lugubri naenia, et hostilibus flammis conflagraturam. Deo immortali gratias agendas, cuius insigni beneficio factum esset, ne hostis, re bene gesta, secundo victoriae cursu in regiam urbem victricia signa inferret, haud dubie in hostis potestatem tum eam ipsam, tum cetera quae in Vngarorum ditione censerentur, concessura. Horum verrissimis vocibus, cum iidem gratiosi apud Regem homines perstringerentur: culpam proditae reipublicae hosti barbaro, in magna invidia, qua flagrabant apud omnes regni ordines, ni sua sponte inducerent animum e regia facessere, aegre videbantur posse sustinere. Vnum angebat incertos consilii, verentes, ne, ubi ad hoc consilium descenderent, perinde haberetur, ac si iudi-

cium veriti, id quod nemo non videbat, agnoscerent crimen, cuius invidia laborarent. Interea Ludovicus a patruo et Ferdinando monitus, aliquando resipisceret, et se qui esset agnosceret, ac pro nominis maiestate, et regii muneris, rempublicam gereret, tam gravi afflictam casu; meliore consilio eos ipsos prudentes et graves homines, qui pridem varia impedimenta caussati, e regia discesserant, evocavit, spe facta in posterum rempublicam ex eorum sententia administrandi. Ita in aula subito conspici coepti viri fortes et spectatae fidei, ex vetere Vngarorum disciplina, qui in Regis consilio, auctoritatem virtute et constantia pari tuebantur; coeptus honos haberi religioni, pudori, innocentiae, quae virtutes, cum ad Regem esset omnis aditus praeclusus, iam diu aberant e regia domo, subitam rerum mutationem hominibus admirantibus, qui praeclara illa, et splendida virtutum nomina cum rebus ipsis pridem dedidicissent: ut, quasi subito e coelo orta luce, in spem magnam erigerent animos, brevi ad aemulandam priscam Vngarorum virtutem, Rege suo exemplo provocante, multos certatim excitatum iri. Horum spem confirmabant ad reipublicae procurationem admissi viri fortes, et quos non prius magistratus honores atque imperia ornarent, quam ipsi honoribus atque imperiis essent ornamento, non fidem venalem, non iudicia, non rempublicam quaestui haberent: nihil ad gratiam, omnia ex iuris aequabilitate, quae perdiu a pudendae sortis et perditae spei hominibus erant administrata; in primis constituta res militaris, et cetera ut par erat, cum his consentientia; alia domi, foris facies, cuius praesidio respublica tanto accepto vulnere labefactata inniteretur. Vna quidem in hac rerum mutatione constantia defuit, in qua una erant

omnia posita, vindicandis eorum flagitiis, qui ex ruinis afflicti atque eversi regni crevissent; quod tamen ne fieret, nulla in his culpa, quae tota in Rege haerebat; qui quidem ipse effecerat, quo illis minus de eorum caussa cognoscere, et de ea pronunciare ex sua fide et constantia liceret: usque eo enim iis indulgendo erat progressus, ut ne hoc quidem sibi integrum reliquisset, cuius rei caussa gereret insignia regni, ut male de republica meriti, et maiestatis atque ingentium scelerum convicti, more atque instituto maiorum plecterentur. Itaque quod accidere necesse erat, adeo praeclare inchoata, ad concitandam hominum spem plurimum momenti, ad curanda reipublicae vulnera, quae nondum cicatricem obduxissent, parum adiumenti attulerunt; quae sanari, nisi per multorum supplicium haud possent. Vnum reliquum erat, ut odisset suspectosque haberet communium malorum auctores, quos quidem, ne quid esset, quod a potestate regia vererentur, immensis opibus et non ferenda potentia auxisset, actione necessaria de peculatu, quam omnes non iam tacitis votis, sed apertis vocibus clamoribusque poscebant, ad meliora reipublicae tempora reservata, quae numquam Rege tam excorde, et sui suorumque immemore futura sperabantur. Agebant eodem tempore apud Ludovicum Boemorum legati, cum nuptias honestandi caussa Budam missi, tum ut Regem docerent quod maxime urgebat quo in statu res essent: quae quidem, cum Rex abesset, quamquam tum ipse regni initio, tum pater Ladislaus saepe contra essent auctoritate atque imperio adnixi, quotidie in deterius labebantur: Vigere inter ordines aeterna odia, quae diversa hominum studia alerent, de summa religione dissidentium, insanabili malo semper populis omnibus,

sed multo iis magis, quibus deesset, cuius auctoritate spes esset posse tolli, iustus et sapiens rex, qui populis in officio continendis, et agnosceret suum ius, et tueretur constantia. Se, quando nulla orationis vi sperarent palam oculis subiecturos, quanta esset vis malorum, quibus regni civitates vexarentur: orare atque obtestari pro summa sua clementia atque aequitate, animum induceret suorum desiderio occurrere, et afflictis rebus praesentem opem ferre, quas recreari, et in meliorem statum redigi permagni eius ipsius interesset, ad quem regni iura pertinerent. Non iam Ludovicum dici in Boemia regnare, et legitimo iure et legitimis suffragiis creatum regem, sed seditiosos et turbulentos homines, ac per eos ipsos vim, arma, dominandi improbam cupiditatem, quam tectam splendido religionis nomine obiicerent multitudini imperitae, ut ad optata consequenda, quas aliunde affuturas desperarent, adessent vires. Inde vigere discordias, dissensiones, aperta odia, quae iam pridem magistratuum auctoritate sublata, nihil quod vere dici regis posset, praeter inane nomen, reliquissent. Delinitum populum variis artibus a sceleratis hominibus, quorum errore in spem regni abuterentur, totum eorum esse, quos unam atque eandem caussam tueri existimarent: ut cum verbo videri vellent sacra et veterum ceremonias ritusque tueri; re iura divina atque humana omnia, et cum iis ius omne legitimi imperii, tollere funditus e regno conarentur. Legatorum caussam Maria nova regina iuvit: quae iam in Vngaria regiis insignibus assumptis, ad capessendam regni Boemici procurationem verius quam regia insignia properabat; quibus et Ladislaus olim, et tum Ludovicus filius contenti, opulenti regni vectigalia praedae reliquerant privatis, ma-

gna cum aerarii iactura, et populorum gravi incommodo, qui per obiectum Regis absentis nomen, plures reges alere, vi oppressi atque armis cogebantur. His de causis Ludovicus compositis domi rebus, cum Vngaris spem celeris reditus fecisset, Regem invitis a se dimittentibus, in Boemiam contendit, caterva principum stipatus, qui illi frequentes aliquot dierum iter obviam processerant, non honoris caussa magis, quam potiorem gratiae locum apud eum occupandi, quem mox iudicem de publicis privatisque controversiis futurum, diffisi caussa, verebantur. Inde Rex Pragam ingressus, iis ipsis principibus postulantibus, qui nihil agi prius volebant, quam regni iura confirmaret, populorum immunitates, quas superiorum regum concessu beneficioque obtinerent, ratas se firmasque habiturum pronunciaret. In haec iureiurando Rex adactus suam fidem obstrinxit, praeeunte verba Leone arcis regiae praefecto, quae dignitas regiae proxima tum in Boemiae regno habebatur. Inde initio facto, ceteri magistratus, atque ex omnibus ordinibus delecti iurarunt in Ludovici verba, eo alacrioribus animis, quo faciliore prolixioreque postulatis accipiendis quae edidissent, confirmandisque usi essent. Convenerat autem, ut postridie, quam Rex advenisset, novae reginae in maximo urbis templo, vetere ritu regia insignia traderentur: id quod nullo negotio, et per summam omnium ordinum concordiam, actum iri credebatur. Sed magna inter eos orta controversia, quibus cura gestandi in pompa regia insignia mandabatur, rem distulit in aliquot dies; cum ex nobilitate praecipuus quisque, magna contentione animorum eum sibi sumeret honorem. Vsque adeo quidem ambitio exarserat, ut nihil propius factum sit, quam ut missis verborum concertationibus,

principes descenderent ad arma. Quorum prava certamina, etiamsi gravissima de re suscepta videri vellent. Rex de suorum sententia novo consilio disiecit. Stato ceremoniarum die nihil minus illis exspectantibus, processit regio ornatu, cum sceptrum dextra, orbem sinistra, diadema capite gestaret, tradito ense Marchioni Brandeburgensi, cui facile et principi externo et regis propinquo, et vero ob familiae maiestatem, cum unus ex VII viris mandandi ius summi imperii obtineret, inter alios dignitate atque honore eminenti, non aegre alii cedebant. His ita ordine administratis, quod reliquum erat, conversi omnium animi ad publicas res constituendas, quae aliquanto intentiorem curam requirebant; cum vero multa alia erant de quibus Boemi querebantur, tum erat unum gravissimum, unde cetera regni incommoda manare credebantur. In magna enim rerum omnium perturbatione, cum quisque in magistratibus mandandis, per adversa factionum studia, quibus quassatum et convulsum regnum nutabat, a reipublicae cura haberet aversum animum, non qui idonei haberentur, sed quorum gratia opibusque spes esset minui adversariorum potentiam, augeri suam, creabantur, magna quidem omnium ordinum offensione, qui aegre ferrent, praeteritis iis, quorum virtus atque innocentia in regni procuratione spectata esset, reipublicae praefici improbos, non alias solum ob caussas parum idoneos, sed palam etiam multis flagitiis sceleribusque infames. Ea ex re fiebat, ut a parum integris republica administrata, multa foede, avare, scelerate admitterentur, magistratuum maiestas contemptioni esset, venalia iudicia pretio redimerentur a nocentissimis hominibus, plecterentur insontes, cum una gravis culpa haberetur optima etiam caussa ni-

tentem, pro iudicii redemptione, non habere quod impuris hominibus solueret, nihil ex iure, omnia ad libidinem administrantibus. Quibus emendandis ut maiore cum auctoritate omnia gererentur, placuit de consilii sententia Ladislaum Vaciensium pontificem, dignum hominem, qui ob summam virtutis opinionem, principem dignitatis locum apud Ludovicum obtineret, praeterea Caroli V. Caesaris legatum et Brandeburgensem praeesse. Hinc cum magis quid agendum appareret, quam quibus rationibus id agi expediret, plures agendum summo iure, et quaestionem de iis severe habendam censebant, qui quaestui habuisse rempublicam in magistratuum functione et publicorum munerum arguerentur. Quam quaestionem reis futuram gravem, cum late patere, atque ad multos pertinere crederetur, in quos lege animadverti, sine magno rerum motu, haud posset: Vaciensis gravi ac luculenta oratione magni rem discriminis dissuasurus, in hanc sententiam disseruisse dicitur: In hominum malefactis vindicandis, quamquam illis gravissimis, et ad summam rempublicam pertinentibus, interdum plus esse tempori, quam legibus parendum: quamquam enim una certe naturae lex haberetur, quae a ratione profecta esse sancta hominibus deberet, ut in fungendo vitae munere, quae honesta essent, omnibus praeferrentur, atque adeo etiamsi maximorum commodorum prae se speciem ferrent, haud raro tamen incidere huiusmodi, ut ne ii ipsi quidem, qui leges condidissent, graves et sapientes homines atque antiquae severitatis si consulerentur, ius sequi, quam rationem temporum mallent. Itaque tametsi leges iuberent, qui hominem interfecisset capite plecti, in ea tamen civitate ubi arma vigerent, silerent leges, quidquid violatum publicum ius interfi-

ciendo homine a potente cive videretur, neminem non videre mitius malum violari a cive legum maiestatem, per magistratuum dissimulationem; quam per vim, ubi plus arma possent, quam leges, extorqueri: in altero enim neglectam animadversionem in sontem; victam auctoritatem publicam in altero haberi: unde licentia et impunitas publico malo aleretur. Exuere vero naturam mali; boni sumere; quod malum levius in comparatione gravioris haberetur, quemadmodum sapientes homines docerent. Ita, si quando temporum vitio accideret, ut minus obtineri publicum ius posset, videri praestare, rerum moderatorem meliorem sententiam animo amplecti, eam exsequi quam cogeret praesens rerum status, deque suo iure decedere sua sponte debere, cui cedendum armis esset. Iure olim in Romana civitate Caesaris postulata senatum reiecisse, cum alterum consulatum, triumphum, extraordinaria imperia, quibus liberae civitatis status convellebatur, postularet (iniustissima enim fuisse), sed multo tamen fuisse satius tot clades, tot caedes, tot amissos exercitus, tot interfectos duces, tantum in universo orbe excitatum incendium redimere publici iuris non magna deminutione et libertatis iactura. Neminem esse qui ignoraret, quae Regis partes essent improborum hominum sceleribus vindicandis. Eorum furta, peculatus, latrocinia esse in omnium ore, qui frustra opem, unde affuturam nulla spes esset, perditis rebus implorarent. Hoc ius, fas postulare, ut qui regia auctoritate publicis muneribus obeundis abuterentur, impune haud ferrent: qui ita in his caste, atque integre essent versati, ut suam fidem, quibus deberent probarent, iis et haberetur honos, et praemia digna domestica virtute, atque industria decernerentur. Hanc unam certam rationem

secutos primos homines, unius imperio, cuius sapientia atque auctoritate in officio continerentur, non naturae, non libertatis, non iuris sui memores subdere colla, leges, iura agnoscere quibus parerent, ac discere vere homines esse potuisse. Quae quamquam vera essent, non minus tamen hominum rebus moderandis, ubi usus posceret, a rege requiri prudentiae, quam severitatis partes. Quando vindicari hominum malefacta sine metu caedis atque armorum haud possent, animadvertendi severitatem in commodius tempus videri differendam; communi otio et securitati in praesentia prospiciendum. Et quando nemo dubitaret, quin probi sua sponte, improbi legum metu et iudiciorum a male agendo deterrentur, iis assentiendum, qui auctores mitioris sententiae, Regem sua sponte ad clementiam proclivem, a summi iuris praescriptione inexorabili, quae nonnumquam, ubi obfirmatior esset, in duritiem atque immanitatem verteret, revocarent: id poscere pacis et concordiae rationem, qua una re semper civitates maximae et regna opulentissima magnitudine imperii beatissimae opibusque floruissent. Nam si placeret quaestionem de peculatu haberi, cuius necesse esset permultos reos postulari, neminem non videre, ubi per hanc rationem a corruptis essent integri secreti, insigniorem nocentium labem, quasi posito discrimine, effectum iri. Qua ex re esset futurum, ut nobiles atque illustres domus permultae macula afficerentur. Ita vero, omni discrimine sublato, placere Regem edicere: Quicumque ad eum diem, magistratum gessissent, quique in civitatibus, praefecturis, arcibus, alia publica munera administrassent, in primis qui iudicia exercuissent, et quorum esset integra existimatio, et quorum suspecta fides et muneribus labe-

factata argueretur, se munere abdicarent, in eorum locum suffectis, quorum integritas atque innocentia perspecta, cum in privata vita, tum in reipublicae administratione esset. Moveri homines, atque eos praesertim, qui nobilitatis et generis splendore conspicerentur, infamiae magis, quam supplicii metu. Credere enim, amissa honestate, vitam sibi relinqui supplicii loco, ac tanto illius quidem gravioris, quanto alii citius per celerem mortem infamiae sensu carerent; iis non prius, quam cum vita adimeretur, quam saepe in multos annos proferrent, perpetuo conscientiae morsu, sibi gravem, aliis invisam. Multos esse, qui aliis magistratibus fungerentur; plures qui iudicarent; omnes suspectos; neminem fere intactum invidia haberi: ut si novae de his quaestiones institui, ac nova iudicia fieri oporteret, vix ullus esset cognoscendi finis, ulla vacua domus ab infamiae labe futura. Quantas hinc tragoedias, quanta incendia in honestas et claras familias excitatum iri? Atque ea tamen mala esse eiusmodi, ut non semper intra domesticos parietes continerentur. sed saepius, quam publicis rationibus conduceret, in regiam irrumperent, et gravissima incommoda populis importarent: quid enim si Turca victor, bello instaurato. Vngariam interea aggrederetur armis, et ad externa mala, intestina bella, populorum odia, discidia, dubia hominum studia, incertaque accederent? Quae cum ita explorata essent, ut ne dubitari quidem de iis posset. ita quod esset in praesentia tutissimum consilium, voluisse in medium afferre, ut meliora, tutioraque consulenti, aequissimo animo esset assensurus.

Movit quidem tanti viri auctoritas omnes, qui tum Regi in consilio aderant, sed multo etiam magis ratio movit. Itaque iussis omnibus eodem tempore ma-

gistratu se abdicare, nulla cum cuiusquam nota infamiae, a summa arcis Pragensis praefectura Ludovicus initium facit, quam quidem ad eum diem, magna cum hominum offensione atque invidia principes administraverant. Eam Carolum Mirstembergensem, genere Boemum, quem novo nomine militum praefectum populares appellarunt, obtinere iubet: regni Cancellarium pronunciat Adamum Novamdomum, cuius fides par tanto muneri habebatur; aliis qui iudiciis praeessent, delectis magni consilii hominibus, et quorum innocentiam vita anteacta probasset, relatis aliis in iudicum album, quorum aeque cognita probitas esset, atque in Regem fides. Cetera eodem modo, et prudenter pariter, et accurate administrata, quae cito, ut alias semper vincente regiorum omnem diligentiam longa die inveterato malo, exoleverunt: ut enim maxime Ludovicus regium munus sapientium consilio tueretur, quo id tamen minus diuturnum esset, eorundem potentium hominum conspiratio efficiebat, qui per regium edictum defuncti periculi metu cum victa publica auctoritas privatorum potentiae cessisset, non ferendos spiritus sumpserant, et fiduciam atque audaciam ad perdendam rempublicam maiorem. Vna vero ratio tutissima regnorum administrandorum, ut media reiiciat, spectet extrema: aut enim non sunt irritandi, qui semel plus quam leges potuerunt, aut si irritati sunt, tollendi de medio; conservati enim alieno beneficio scelerum conscientia damnati, ubi liceat impune ferre quae admiserunt, memoriam servant, non ad referendam iis gratiam, qui ignoverunt, sed ad delendam ignominiam, eorum exitio, qui perfecerunt, ut quibus parci per magistratus dissimulationem incolumi existimatione licuisset, potuerint damnari. Ergo brevis

voluptas ex bene constituta re, ut vulgo credebatur, eandem mox malorum cohortem invexit, quibus se perfunctos Boemi credebant, contempta Regis auctoritate (quo nihil perniciosius est in magni regni administratione) quae visa esset imbecilla sceleratorum hominum malefactis puniendis, aucta improborum impotentia, quos in ordinem coactos ad nova ineunda consilia contumeliae dolor excitabat, quae reipublicae fere exitio fuerunt. Ita sensim deplorata spe salutis ii iterum dilabi, in quorum sapientia et consilio credebatur posita publica salus; quod nobis ab iis recte factum atque ordine videtur, ne eorum, quae administrata secus ac reipublicae conduceret, rei culpam, a qua longissime abessent, sustinerent: virtus enim numquam tuto in improborum regno cum nequitia in certamen descendit, ne quae invicta sua natura est, improbitati victa cessisse videatur. Inde Rex sibi permissus, imprudens quantum aliena culpa peccaret, per sapientium hominum discessum laxatis licentiae habenis, iisdem sceleratis hominibus totum se dedere, eorum nutu pendere, inniti consilio, susque deque omnia, regnum, suam, suorum salutem habere, magno reipublicae malo, quae iis praedae esset relicta, quorum libidinem nulla quantumvis magna atque opulenta praeda expleret. Quae ut deteriora haberentur, ingens eorum in regia solitudo faciebat, a quibus disceret recte administrare regium munus, quod privati convellerent, qua praecipites libido atque avaritia ferebat. Neque vero Ludovicus in unius potestate erat, quem eximium haberet, quod ipsum tamen saepe magnis regibus ingentium malorum caussa fuit (mitius enim malum), sed multis patebat, uni, eodem consensu, cuius ruina crescerent, insidiantibus, ita quidem aperta cupiditate atque hianti, ut neque iis aerarium publicum, neque regni

vectigalia, non portoria, non arces, non auri fodinae, eadem pravo studio captantibus essent satis. Interea, omnibus in Boemia ex sententia administratis, Ludovicus in Vngariam rediit regno praeesse iusso duce Mirstembergensi. Aque haec quidem cum alii, qui per ea tempora floruerunt, tum Dubravius inprimis, multus ut semper fere solet, iis narrandis, quae a regiis ministris avare et sordide, Rege in omnibus iis connivente, administrabantur, ut nemo non videt Vngaris iniquus, de quorum fama detrahere per hanc rationem conatur; nonnulla certe huiusmodi sunt, ut vere potuerint admitti, admissa esse eadem minime cuiquam verisimile videatur; sed illud levissimum, et quo nulla cum suae fidei iactura potuit supersedere, gravis alioqui scriptor, de Opoliensi duce, peropulento homine, et cui mortuo iusti heredes deessent; ad quem versantem in ultimo vitae discrimine missum ait eundem Stanislaum Olomucensem episcopum, qui eum hortaretur, ut quando secundum propinquos haberet neminem, cui iustius domesticas copias et fortunas legaret, Regem, qui ut honoris maiestate, ita amore, et benevolentia in illum omnes anteiret, testamento heredem faceret. Quod quidem, ut maxime acciderit, non video tamen quare dari Regi probro debuerit, cum nulla cum cuiusquam iniuria, non contemnenda regni accessione id agi potuerit. Nam rem a flagitio abfuisse, hominis persona docet, cui legationis munus mandatum ait, qui quidem vir moderatus et gravis, quam illi laudem tribuit, haud verisimile videtur has fuisse partes susceptturus, si id agi non posse sine certa dedecoris nota aut Regis, aut sua existimaret: cum praesertim grandi natu homini non esset defutura ratio tam foedam a se legationem amoliendi, sive morbum iuraret, sive

quid aliud excogitaret, qua re minus idoneus infami legationi obeundae haberetur.

Sed eorum famam, quae partim in Boemia, partim in Vngaria, magna cum regiorum invidia ferebantur, alia certior, et quo de gravioris momenti re, eo maiore cum offensione hominum obruit: Rhodum insulam, captam a Turca hoste, ut olim Romani imperii adversus maritima bella, sic per id tempus adversus Turcam Christianae reipublicae firmissimum obiectum propugnaculum. Quae tanta audita clades, cum eos etiam, qui longissime abessent, Gallos, Hispanos, Anglos, atque ad occidentis oras ultimas incolentes homines, terrore implevisset: parum tamen Vngaros movit, quibus aut elatis fiducia domesticarum virium, aut mentis stupore a sensu praesentis mali aversae, hostis barbarus insigni de nostris parta victoria non Vngaris ex propinquo imminens, sed haerens in oculis atque in sinu adeo, non poterat iniicere metum, et quidem quo tempore per se validum suo robore, Christianorum regum discordiae et perpetua bella, quorum armis poterat terra marique debellari, redderent invictum; ut cum Vngaris multa essent timenda, quae Thracio bello subito oppressis impenderent, domesticis viribus in magno rerum discrimine deficientibus, ad quem confugerent oppressi ingenti malorum mole, neminem haberent. Neque deerant tamen periti rerum homines, quibus esset suorum stolida ferocia invisa: sed optime animatis deerat audacia ad refutanda ea, quae facile patiente Rege, et aspernante meliora consilia, temere et inconsulte de praesenti Vngariae statu in medium afferebantur. Quae quamquam ita essent; aliquando est libera vox tamen audita, recti animi fiducia in nonnullis metum regiorum vincente, quibus ire obviam nemo auderet: E

Rhodiorum flamma (prohiberet a suis deus tam dirum omen) incensa face, brevi Vngarorum regiam, ni experrecti principes, propius et suas et hostis vires spectarent, exarsuram. Praepostera quidem eorundem hominum audacia, in quorum erat Rex potestate (non enim penes omnes haec culpa), ingentium malorum cum iis ipsis, tum Christianae reipublicae universae imminentium, vera caussa fuit; qua quidem defendenda, cum belli vis, animi robur, et corporis vires requireret; alterum quidem praestare potuerunt, haud falsi suarum virium aestimatores, ut non deesset animus ad exorientem belli procellam disiiciendam; in altero, quod necesse erat accidere, succubuerunt, ubi adversus Solimani innumerabiles copias, non animis modo, sed viribus paribus fuit in acie pugnandum: illud certe effecit, ut et minus sese munirent impares propulsando bello, quod ultimi discriminis instabat, cum quidem nimia sui fiducia elati se crederent pares, et maiore licentia atque impotentioribus animis suos vexarent, quibus non poterant tam praeposteram administrandarum rerum rationem probare (quod gravissimum malorum omnium est), ne quid praesidii bene de republica sentientibus esset adversus tantum improborum consensum, iuvene Rege a regni procuratione averso, qui quo pauci vellent, non quo postularet reipublicae salus, pateretur se trahi. Vsque eo quidem impunitate progressos, scriptores eorum temporum tradunt, ut Budae palam, in foro, tantum non in oculis Regis, homines interficere auderent, domos diripere, privatam, publicam rem, iuxta praedae habere, nemine existente, qui fretis Regis gratia obviam iret: cum nulla esset auctoritas publica, quae malorum vindex, privatorum vim atque audaciam, unde manabat, coërceret.

Quisquis esset, quem insignes divitiae et domestica opulentia opportunum iniuriae redderet: is, nullo discrimine, furenti multitudini obiectus praedae erat; iam enim licentia in infimos derivata, militaris turba urbanae immista, omnia in promiscuo habebat. In his insignis iactura Emerici cuiusdam feneratoris, Iudaei genere, qui non ita pridem, caussa redimendi se a populi convicio, cui est Iudaeorum gens invisa, Christianis sacris erat initiatus: eius palam direptae aedes spectante populo, pretiosa suppellectili, facto argento, infecto, rebusque omnibus refertae, quae oculos incendere atque animum, in magna turba egentium hominum atque impunitate gladiorum, possent. Ferunt in aedium interiore parte sexaginta aureorum vngaricorum millia inventa: quod haud dubium indicium esset, locupletis domini et minime multitudinis spem et iudicium fallentis. Eius exemplo Iudaeorum alii, quorum non minus invidiosae opes divitiaeque habebantur, ut quae vulgo malis rationibus partae crederentur, coacta militum manu, vim vi propulsare ausi, irruentem in se multitudinem armis represserunt. Sed haec per se gravia, quae tamen prae aliis levia habenda. Adamum Novamdomum, quem paulo antea Boemiae Cancellarium a Rege creatum docuimus, magnae hominem nobilitatis, cum neque in magistratus honore, neque in Regis maiestate, apud quem, principem gratiae locum obtinebat, quidquam praesidii haberet, dum discessurus in Boemiam rheda per urbem veheretur, a nefariis hominibus, ad portam, vi in familiam facta, conspectantibus omnibus spoliatum nudatumque reliquerunt. Aliud aeque turpe et flagitiosum admissum in Fuggeros negotiatores, quos maiorum industria honesto dignitatis loco apud suos constituit. Ex omnibus regni provin-

ciis, cuius aerarias aliasque metallorum fodinas conductas habebant, effossum aes ubicumque deposuissent, uno consensu et conspiratione, qua cuique est visum, distractum dilaceratumque diripuerunt. Res quidem adeo foeda indignaque visa, ut Carolus tantus Imperator, Ferdinandus Rex frater, caussa Fuggerorum suscepta, legatos, qui de tanta suis illata iniuria expostularent, sibi ad Ludovicum censuerint mittendos. Quae tamen legatio nihilo magis eos, quorum res erat, sublevavit, Regis invidiam regiorumque auxit vehementius, qui eam praedam, cuius iacturam, fidei et pudoris pretium fecissent, non facile passi sunt sibi e manibus extorqueri. Nam ad Regem quidem tantum dedecus hoc uno nomine pertinere visum, quod non aeque ac regem deceret, imperium obtineret in suos. Tametsi enim aetatis excusatio iuvenis culpam elevaret, non deerant exempla tamen, tum aliorum, tum Matthiae Regis maxime, qui patrum memoria in eodem regno ingenii ac magnitudinis animi insignia documenta, prima sua adolescentia, dedissent. Atque ad Regem tamen, cuius nimia indulgentia haec patrabantur, nihil praedae pervenit, cum ex tabulis publicis constaret, quadraginta nummum aureorum Vngaricorum millia summam aeris direpti excessisse. Per eadem tempora insidiae in Regem detectae, neque tamen in maiestatis et paricidii convictos lege animadversum, magna omnium admiratione, qui, cum Rex petitus veneno, et quidem e longinquis locis comparatum diceretur, quae res pertinacis odii indicium haberet, et tanti sceleris auctor neminem falleret, iudicii severitatem expetenda a scelerato paricidii poena desiderarent; caussam quidem omnes requirebant, quare quisquam in Regem innocentissimum, et qui in omnes effusus, multos beneficio

comprehendisset, neminem umquam verbo inclementiore appellasset, induceret animum pestem atque exitium moliri. Instituta veneficii quaestione in praepotentem reum, cui nihil in caussa praesidii, spes nulla salutis, nisi aut in Regis clementia, aut in domesticis copiis, et iudicum sordibus constituta esset, cum apud eos caussam diceret, quibus potior fidei laude erat perfidiae quaestus, ubi rerum absoluerent non Regis solum, in quem erat tantum scelus admissum, sed eorum etiam praeiudicio damnatum, qui alieno dolore non suo movebantur, omnium sententiis absolutus, et missus est factus; tanta regiorum invidia, qui reo adfuerant, ut maiusne flagitium admisisse absoluendo tam convicto et iugulato reo, an in publicum audere prodire, qui se adeo insigni flagitio contaminassent, haud satis hominibus constaret.

Iam temere a principio orta fama, quae numquam hominum exspectationem fefellit, ut superare omnem fidem videretur, sensim latius manare in Vngaria coeperat, Solimanum, ut numquam alias accuratius intentum parando bello, primo quoque tempore Vngaris arma illaturum. Ingenti rerum successu barbarus sublatis animis, cum mari terraque victor validissima duo Christianae reipublicae munimenta, Rhodum mari, Belgradum in Vngariae finibus, suae ditionis fecisset, nihil ita arduum rebatur, quod non armis aggredienti esset concessurum. Ea spe vero expeditionem in Vngaros parabat, ut non dubitaret, quin nudati munitissima regni urbe, simulatque audirent propius inferri infesta signa, relictis quae media intercederent, receptum quaererent in interiora regni. Neque vero ille poterat dubitare de belli eventu, ita periculo facta Vngarorum virium, ut non illos acriores defendendo re-

gno, quam tuendo regni propugnaculo se inventurum speraret, praesertim, quo erepto, spes omnis retinendae salutis Vngaris, ut tum res erant, praecisa esset. Credebat porro, minime coniectura sua falsus, cui vires defuissent ad summovendum hostem gradum in regni fines inferentem, unde facile poterat arceri, haud validiores ulteriora penetranti obiecturum. Raro vero umquam accidisse, ut qui gerenda re inciperet praeclare, non primis media consentientia, his pari successu attexeret postrema. Adnitendum modo in principio totis viribus, ubi ex sententia gesta res aditum in regnum molienti aperiret. Hoc qui esset adeptus, eum populorum studia, quae victoris felicitatem aut metu, aut spe sequerentur, qua una in re maxime posita esset summa belli, continuo consecutura. Aegre vero, qui non occurreret statim exorto belli incendio, quod Vngari superiore expeditione fecissent, crescentem flammam et late proferentem vires exiguis viribus tamquam aquae sextario restincturum. Atque haec quidem apud hostes barbaros vulgo ferebantur, non male suis rebus, ut docuit eventus, per nostrorum cunctationem ominantes. Quibus quidem sero coeptae domesticae agnosci vires, quas brevi adversus praepotentem hostem sibi explicandas intelligerent; tum fluere animis ferocia, quam ex umbra in campum, atque in aciem deductam, imminentis exitii metus, propius accedens ad hominum sensum, postulabat. Grave quidem per se bellum, Rege fortissimo, et qui niteretur viribus maximis, rem administrante, ut omnium gravissimum haberetur, quae gesta umquam in Vngaria essent, praeter cetera, quae commemoravimus, longa armorum desuetudo, et rei militaris, quae iam diu apud Vngaros exoleverat, efficiebat. Nemo tum erat magnitudine re-

rum gestarum clarus belli dux, et quem magis domestica virtus, quam nobilitatis suffragatio commendaret. Et Ioannes quidem Scepusius, cum ob partam rei militaris gloriam rusticorum bello, tum propter ingentes opes, quibus conspiciebatur, longe inter alios eminebat; sed ut eius esset regiis suspectus animus, Regi inprimis, caussae et multae et graves intercedebant; quarum viget in magnis animis, ubi praesertim suspecta sit regni aemulatio, quam domesticae vires, et hominum studia alant, aeterna recordatio, atque adeo saepe ingenti cum hominum peste. Vtrum vero Ludovicus virum tantum suspectum iure haberet, an invidiae semper nimia potentia obnoxia efficeret eius suspectam fidem, ut de dubia re aliorum esse iudicium volumus, quos quidem spectare aequum est, non solum quid magnus vir possit, sed quid etiam velit, cum quidem magnus vir esse haud possit, nisi idem suae fidei sit atque existimationis memor. Atque inde inimici maledicendi occasionem nacti, quae danda laudi essent elevando, ea quae adversa et cum hominum offensione gessisset, augebant. Nam partam gloriam domestico bello, cuius magnam partem sibi merito sumerent alii, qui neque erga patriam pietate, neque maiorum meritis in rempublicam, neque splendore familiae illi concederent, obscuratam male re ad Cernovicium gesta, contendebant; ut etiamsi de fide minus esset dubitandum, aut fortuna, aut virtus suspecta videretur, quarum neutra recte posset in belli duce atque imperatore desiderari. Itaque ad cetera mala, quae urgebant, uno gravissimo Rex conflictabatur, ut cum instaret minime dubium belli discrimen, quem ipse impar proficeret rebus gerendis, neminem haberet. Iam. quod aeque torquebat anxium, neque de eo satis constabat,

adversus adeo paratum hostem a rebus omnibus quo milite uteretur; cum sub Rege deside, et in demortui locum aeque inerti et molli Rege filio surrogato, rei militaris gloria plane, ut paulo ante diximus, exolevisset. Veterani pauci, et qui diuturno otio, cum flore aetatis, plurimum de pristina virtute remisissent: novi milites suopte quidem ingenio alacres, tum ad alia omnia militiae munera obeunda, tum impigri maxime et manu prompti ad rem in hostem gerendam; sed quos neque ulla rei militaris disciplina in tam corruptis moribus, neque usus ullus, aut exercitatio adiuvaret, perdiu Vngaria quieta ab omni belli tumultu, quae una gravissima caussa fuerat subito malo oppressis Belgradum amittendi. Nam, ut maxime animis vigeret antiquum robur, atque ut numero inferiores superiores virtute haberentur, quantum hominum vires ferrent, allaturi in aciem videbantur; ut pugnarent cum spe victoriae, quorum singuli essent cum hostium cohorte certaturi, maiorum virium opus, quam ferre hominis natura videretur. Iam bellicus apparatus aut nullus, aut perexiguus (cum pro tanti regni viribus maximus semper et instructissimus esse consuevisset), si cum hostis conferretur; non bellica tormenta, non arma, non commeatus; non parata pecunia e reipublicae aerario, quod improbi homines, iuvenis Regis corruptores, variis artibus illius aetati insidiando, exhausissent; non e privato loco, cum perpaucos patria caritas moveret ad opem ferendam afflictis rebus; nulla spes externi auxilii in ultimo regni discrimine positis ostenderetur; et si adesset, apud eos, qui maxime eo indigerent, eius superba contemptio, ita animorum ferociam ostentantes, ut non aeque ea alte insideret animis, atque in vultu et in oratione appareret. Cum

rum gestarum clarus bell
stica virtus, quam nobilita
Et Ioannes quidem Scepu
litaris gloriam rusticorum
opes, quibus conspicieba
bat; sed ut eius esset regi
primis, caussae et mult
quarum viget in magnis
cta sit regni aemulatio, q
minum studia alant, aet
saepe ingenti cum homin
vicus virum tantum susp
diae semper nimia poten
spectam fidem, ut de du
volumus, quos quidem sp
quid magnus vir possit, s
dem magnus vir esse hau
sit atque existimationis
maledicendi occasionem
elevando, ea quae adversa
gessisset, augebant. Na
bello, cuius magnam part
qui neque erga patriam p
tis in rempublicam, nequ
cederent, obscuratam ma
contendebant; ut etiamsi
dum, aut fortuna, aut vir
rum neutra recte posset
tore desiderari. Itaque ad
uno gravissimo Rex confli
nimę dubium belli discri
ceret rebus gerendis, ne
aeque torquebat anxium,

autem iis alia omnia deerant, quae requirebat belli usus, tum deerat imbecillitatis suae conscia mens, quae efficeret, ut peritos rerum homines et prudentes audirent, indigentibus nequidquam salutaria consilia afferentes, qui contra obfirmatis animis omnia, quorum ipsi auctores non essent, aspernarentur: non enim desiderabantur ne illi ipsi quidem prudentes homines, qui quasi ex alta specula exorientem tempestatem prospectantes, essent parati afflictis rebus consilio occurrere, et postremum pietatis officium patriae praestare, cuius imminens fatum ad occasum vergentis, precibus lacrymisque ab irato numine deprecabantur; frustra illi quidem, et nullo cum usu, quibus praecinentibus brevi eventura mala, omnes praeter eos auscultarent, a quibus positis excelso loco, certiorem spem salutis populis affulgere oportebat. Erat vero in magnis circumfusis tenebris, tristis rerum ac miserabilis aspectus. Quarum quidem eo magis erat spes deploranda, quo maiore cum reipublicae incommodo, qui illius vulnera curare et perducere ad sanitatem opportuno consilio possent, contempti abiectique iacerent: communium malorum auctores, et sua fortuna, et Regis iudicio superbi, erecti atque alacres, omnia de se meliora hominibus sponderent, inani sui fiducia, cuius nulla caussa suberat tumentes. Eo quidem reciderant Ferdinandi Regis, et Sigismundi abhortationes, ut appareret, ob eam caussam restitutos ad tempus viros bonos pristinae dignitati, et per eos populis spem salutis iniectam, ut maiori ludibrio inimicis essent, deiecti mox ex alto loco, et populis reddita lux, subito erepta ex oculis graviores tenebras offunderet, quae aeque funestum rerum exitum portendere credebantur. Neque dissimulabant tamen, quid sentirent super privatam contume-

liam communis patriae exscidium lugentes, cum vitam simul exsecrarentur, quam ad eum usque diem produxisse viderentur, quo viventes, acerbum patriae ducerent funus; oculos, qui aspicerent belli externi incendio flagrantem; aures, quae propediem exciperent miserorum querelas, flebili carmine reipublicae fatum complorantium; mentis, animi facultates, quas a natura haustas, studio ingenuarum artium excultas, ad reipublicae adversa tempora reservassent; omnium vero maxime paucorum scelus atque amentiam, quorum effrenata cupiditas suis redderet vitam exsecrabilem, qua nihil homines in terris haberent amabilius. Quam vero reliquam vitae caussam superstitibus patriae maiorum monumentis, qui rem Vngaricam tantam fecissent, dei immortalis sanctissimis delubris, superstitibus nobilissimo regno, quod unum nativo robore per tot saecula invictum intestino rueret malo, iis spectantibus, quibus ne leve quidem reipublicae incommodum sine certa sceleris et flagitii nota posset opprobrari. Non magis infesta Vngaris Solimani arma, unius Christianis populis formidolosi hostis, quam quorum fidei in Vngariae regno esset commendata publica salus. Eo vero domestica mala graviora, quo eorum esset gravior et foedior caussa. Regiam potestatem penes iuvenem esse, ut quasi expers animae corpus, sine mente et consilio perdita respublica pessum iret. Sed hoc tantum incommodum, grave, et non ferendum aliis, leve Vngaris prae aliis haberi, quibus angerentur: non solum enim non adesse reipublicae rectorem, cuius sapientia respublica fulta, recta adversus omnes bellorum procellas retineretur, sed adesse, qui stantem et florentem paulo ante tum magnitudine imperii, tum rerum omnium affluentia, quibus qui po-

tiuntur, beati populi et fortunati existimantur, ultro volentes et prudentes perditum irent, neque ipsi pares obeundo publico muneri, et iis infensi, qui sua virtute et sapientia prolabentem sustinere a gravi casu et praecipiti ruina possent. In aliis reipublicae partibus procurandis posse errare homines cum spe sarciendi quae male procurata essent: non posse eos sine certa reipublicae pernicie peccare, ad quos unius prava indulgentia esset summa reipublicae delata; quae certa caussa fuisset nobilissimis populis, et optimis legibus temperatis civitatibus semper, non cuius fortuna, sed cuius virtus excelleret, spectandi. Infimos homines, qui rem nauticam exercerent, ne secundis quidem ventis afflantibus et prospero navigationis cursu, parum peritum navis gubernatorem pati; recte illos quidem, quibus exploratum non esset, quamdiu navigantibus secunda aura adspiraret. At beatos homines, quasi perpetuo praesenti fortuna se usuros sperarent, securos animis clavum reipublicae tenere, quem per adversam tempestatem venti reflantes brevi essent e manibus excussuri. Cum vero illos multis aliis nominibus, tum uno maxime plectendos, quod non intelligerent, in publicae rei naufragio, quod omen deus averteret, includi rem privatam, quam unam spectarent. Dira vero, atque exsecranda capita, quorum scelere, nobilissima gens nullo suo merito male apud exteras nationes audiret, quae in tot viros fortes maiorum gloria et domestica virtute florentes culpam conferrent, quae in paucorum temeritate et audacia haereret.

Haec viri boni, atque alia multa, quae extorquebat domesticus dolor, quorum nullus erat usus. Non est operae pretium hoc loco commemorare, quae iidem rerum scriptores de Vngarorum amentia et vecordia

tradunt, ita enim sunt foeda, ut si de temulentis tradantur, et in ganea de summa republica consultantibus, vix videantur digna, quibus fides habeatur. Longe certe absunt a maiorum gloria, quorum virtus et rei militaris scientia, finitimis populis olim, et Turcae adeo magnitudine imperii et clarissimarum gentium victoria exsultanti iniecit frena, ut si esset pereundum, nemo dubitaret, quin tantae cladis culpa fatali cuidam pesti esset adscribenda, quae tum ita occupasset Vngarorum animos, a ratione et mentis consilio aversos, ut viderentur ultro volentes et prudentes, et regnum simul, et Regem, infelicibus sibi et patriae natum auspiciis, in exitium trahere. Nam et Iovius a Dubravio non dissentiens, inter ceteras caussas, quibus adductus Solimanus alteram in Vngariam expeditionem suscepit, eandem unam gravissimam praesentem Vngariae statum miserabilem agnoscit. Cum tamquam corporis, anima carentis, regni summam, destituti rerum moderatore, penes eos esse audisset, qui neque sui, neque meliorum consilii potentes, praecipiti furore et stolida ferocia elati prius quam hostilia arma inferenti, conficerent bellum. Vsque adeo vero tum contempsisse vires hostium dicuntur, quae ne tum quidem contemni tuto possunt, cum maxime videntur contemnendae, ut perexiguum suorum numerum eorum immensis copiis opponere non dubitarent: illud passim iactantes, viros fortes, et animi robore nitentes, quales Vngari essent, virtute vincere, non hominum multitudine assuetos. Nam et aliis contumeliosis verbis insectatus, oblitos antiquae disciplinae, seditiosos, impotentes regii imperii appellat, cuius se moderatores ferrent, nae hoc quidem male in utramque partem effusus, sive laudandum quem sibi, sive reprehendendum

accusandumque suscipiat. Ergo cum multa quotidie de Turcarum apparatu nunciarentur, et quidem minime illa temere atque e vano hausta tum de equitum peditumque copiis, tum de ceteris rebus, quae etiam cum dubiae sunt, pro certis habitae numquam fuerunt fraudi, saepe non creditae exitio fuerunt: audiebantur iuvenum importunae voces in ferocia verba luxuriantium; quas Dubravius tamquam a se exceptas mandare litteris non dubitavit, qui cum Iovio in Vngaros odio certat. Primo concursu, Turcam, ubi esset ventum in certamen, non militum vultus, non vim oculorum, non virium impetum laturum: prius formidine et pavore, quam Vngarorum armis profligatum, victum debellatum iri. Copiarum numerum, etiamsi tantus esset, ut ne iniri quidem posset, nullum usum ad pugnam allaturum: tam imbellem hostem, simulatque acies concurrissent, se annulis, quos digitis gestarent oppressuros. Iam tamquam his parum insanirent, inter pocula, hostium capita, quae merces bibendi esset, quinque, decem, plura inter se somniantium in morem propinantes, gratas futuras victimas Vngarorum manibus devovebant. In hoc rerum statu cum maturam consultationem certior in dies fama de belli duce deligendo postularet: omnium fere ordinum consensu, Rex in Paulum Tomoreum Colocensem episcopum inclinavit: quem, superioribus annis, egregie multitudinis tumultu comprimendo Budensem arcem defendisse, et ducis simul et militis officio impigre functum commemoravimus. Erat tum regnum ita administratum, ut militiae honores et alia reipublicae munera, quae maioris potestatis a regibus mandabantur, gererent viri principes atque ex praecipua nobilitate, sed quibus, ut maxime cetera adessent, quae in imperatore requiruntur,

deesset usus, quo uno viget rei militaris scientia et consilii vis; tum aliis moderandis rebus, quas casus et ratio temporum invehit; tum continenda multitudine in officio, corrupta quasi contagione communis pestis, quae e regia in multos prava unius indulgentia manabat: laborasse quidem tum Vngariam imperatorum penuria, haud dubia coniectura, ad Tomoreum Regem descendere coactum, cui ut quis multum tribueret, strenui militis laudem impertiret; quae ita requiritur in belli duce, ut non sit eius tamen prima laus: cum tantum quidem intersit inter militis et ducis munus, quantum inter recte imperandi et alacriter parendi: quorum alterum ad caput, cuius est in homine principatus, aliud ad ea pertinet, quae capitis consilio atque imperio reguntur. Palatini dignitas p*enes* Stephanum Bathorium erat, cuius alibi mentionem fecimus; qui quidem re militari administranda parum felix, maioris virtutis nulla adhuc certa dederat documenta, indolis certam spem, natus ex ea familia, quam illustria monumenta fortitudinis et pietatis erga patriam honestarent. Ioannes Scepusius Transilvaniam cum imperio administrabat: quem ille honorem per se summum, patriis fortunis, quae ad tuendum domesticum splendorem amplissimae suppeditabantur, et magnitudine animi augebat; ut et Ladislao olim, et tum Ludovico filio, fere potentia se parem ferret, non invita pleraque nobilitate, quae omni genere honoris, tamquam non Budae regia, sed in Transilvania esset, quasi vere Regem non provinciae praesidem agnoscebant. Moldaviae, quae eadem a popularibus maior Valachia appellatur, Stephanus praeerat; Transalpinae Radulus, quorum uterque Ludovico parebat. Maritimarum urbium imperium, qua Dalmatiae et Croatiae littora

mare superum alluit, obtinebat Franciscus Batthianius, iam pridem per cubiculi ministeria, ob egregiam virtutis indolem, in pueri Regis gratiam adolescens insinuatus. Petrus Perinnius, praeter Themesiensem arcem, regionibus omnibus praeerat, quae inferioris Vngariae limitibus continentur, vir propter domesticas opes et generis nobilitatem magnae auctoritatis, et cui, patre vita functo, sacrum diadema, quo reges inaugurari solent, asservandum, addito Ioanne Scepusio collega, traditum erat. Provincia Sirmium, et tota ea regni pars quae inter Savum et Dravum amnem ad ripas Danubii pertinet, Tomoreo mandata; et quidem quamquam pridem adductus pietatis studio, et militiae renunciasset, et in Franciscanorum collegio religiosae vitae sese devovisset. Quod tamen vitae institutum haud illi licuit per Regem retinere. Decesserat per id tempus, Colocensium pontifex, quod quidem sacerdotium tum insigne et opulentum, urgente metu Thracii belli, aeque qui operandis sacris praeesset, indigebat, et qui armis sacerdotii iura adversum vim barbarorum tueretur, recepto hoc iam Vngaris more, ut iidem et rem divinam procurarent, et ubi classicum caneret, patriae versanti in graviore belli discrimine armis operam navarent. Itaque in principum et patrum frequenti conventu, cum Rex ageret de novo pontifice in demortui locum surrogando, neque facile occurreret, qui sacerdotii munus simul, et, ut temporis eius rationes postulabant, rem militarem administraret, dicitur mentio Tomorei facta; quem quidem spes erat, ubi a Romano pontifice legibus solueretur, egregie tum pontificis partes, tum belli ducis praestaturum. Res per se gravis, ut necessaria etiam videretur, exoriens belli procella, et quae pro lege habebatur, fati violentia perfecit. Itaque facta [illegible]fice potestate, cum et Re-

gis, et principum consensum, summa constantia contra obnixus, vincere non posset, Colocensium pontifex renunciatus, et simul est iussus provinciae cum imperio praeesse. Qua quidem administranda, ita se gessit, ut ne inimicis quidem locum sui reliquerit obtrectandi. Nam et ducis partes, ubi id usus postulavit, cumulate implevit, et numquam passus est a se pontificis munus, tum procurandis sacris, tum ad pietatis et religionis cultum docendis adhortandisque suis, desiderari, pari usus constantia superiore vitae instituto caste et religiose tuendo; inprimis inter bella atque arma praecidenda sibi licentia omnium rerum, quam vix otii et pacis tempore coercet gravis et severa legum censura. Ioanni Bornemissae custodia Posoniensis et Budensis arcis permissa, exactae aetatis homini, cuius perspecta virtus tum Regi, tum principibus nobilitatis maximis in rebus, omnes trahebat in admirationem sui. Regiis quidem ministeriis a prima usque infantia assuetus, cum eodem vitae tenore per omnes fortunae gradus ad honestiores militiae ordines pervenisset, et apud Regem magnam erat auctoritatem consecutus, et, ob id ipsum, apud populum gratiam parem. Is est Ioannes Bornemissa, qui domestico bello, magnam agrestium manum, quae Budam oppugnatum ibat, non callido magis, quam salutari consilio in regias partes traduxit. In hos omnes, partim ob magistratus honorem quem gerebant, partim ob nobilitatem, erant omnium oculi coniecti. Reliqui erant quos pontificatus et sacerdotii religio, sed multo magis divitiarum magnitudo insignes reddebat. Horum unus dignitate princeps Ladislaus Zalcanius, Strigoniensium pontifex, cum magna apud Regem gratia, tum in regni administratione auctoritate pari, non honore ille quidem magis, etsi per se

conspiciebatur, quam virtutis opinione ad summum dignitatis gradum evectus. Quae cum ita administrarentur, increbrescentibus nunciis in dies certiora de Solimani adventu afferebantur, minime rerum peritis nova res, qui, superiore expeditione Belgradi et Sabbatii arcibus expugnatis, haud diu quieturum Solimanum credebant, aditu sibi ad interiora Vngariae Budamque adeo armis patefacto, quo non prius irrupturus credebatur, quam quidquid medium intercederet, quod iniiceret properanti moram, suae ditionis fecisset. Quae, qui minus prospexissent e longinquo imminentia, ita praesentia horrebant, ut pertinaciam et vecordiam nequitiae addentes, eandem in Regis consilio animorum fiduciam arrogantiamque ostentarent, quasi id esset vincere, hostis vires elevare, suas efferre, quae neque ullae erant, et unde parari possent, magnis undique rerum angustiis Rege circumvento, vix cuiquam cogitare veniebat in mentem. Quae dum ad hunc modum geruntur, Paulus Tomoreus, cum de hostium adventu eadem quae regii cognovisset, conscensa rheda, atque equis ad celeritatem mutatis, ad Regem, qui tum Visegradi agebat, contendit, minime ulterius cunctandum in tanto regni discrimine arbitratus. Mox docet quantum summae reipublicae intersit, quidquid copiarum sit, coactum eodem convenire. Inprimis urget, ut primo quoque tempore delectorum equitum manus ad Dravum amnem mittatur, qui transitu hostem prohibeant, id quod haud difficile factu futurum ostendit; simul demonstrat, quanti discriminis futura res sit, ubi patiantur Solimanum, per otium exercitu traducto, primam belli facem nobilissimae provinciae iniicere: haud dubie enim eam flammam excitaturam, quae universas regni provincias eodem incendio haustas, demergeret

ultimo fato. Hanc fere rationem bellorum gerendorum, ut ex eius praescripto, qui prior arma inferret, militaris res administraretur, id natura rerum postulante, ut qua is initium belli faceret, sive terra, sive mari rem gereret, illi occurreret: non enim semper dari facultatem ei, qui esset armis petitus, per translata arma in eius ditionis fines, quicum bellum gereret, avocandi rem gerentem ad sua tuenda, id quod rerum gerendarum ratio postularet: frustra enim id in eum hostem tentari, ubi etiam tantae essent Vngarorum vires, ut non minus ad arcendam domi vim, quam ad inferendam foris, esset paratus. Neque vero unius provinciae caussa modo laborare se, quae praesertim longe lateque vastata, praeter barbarae crudelitatis insignia monumenta, nihil haberet, quod non lugubre, funestumque ostenderet: laborare totius regni caussa, quo, si hosti aditus pateret, nihil caussae esset, quare non actum de Vngarorum salute videretur. Deesse sibi vires, quibus diffisus aegre se tueretur, munito etiam loco inclusum. Instare bellum, quod, ut nulla umquam maiorum memoria magis, ducem requireret cum peritum rei militaris ab usu, (tum) prudentia, consilio paratum, sine quibus in Imperatore haec nulla essent, armis, copiis, telis, tormentis instructum. „Ita enim gerendis bellis utrumque requiri, ut neque utiles vires essent, quas non consilium corroboraret, neque utile consilium, quod viribus careret.“ Quae tamen ubi etiam praevalidae essent, et haud impares tanto gerendo bello; non magna spes videretur, ingressum iam in regnum hostem, qui duceret secum equitum peditumque copias innumerabiles, prohibitum iri, quominus, quamcumque in partem visum esset impetu facto, quo infesta signa inferret, redigeret in potestatem. Adhuc eo loco

conspiciebatur, quam virtutis opinione ac
gnitatis gradum evectus. Quae cum ita
tur, increbrescentibus nunciis in dies c
mani adventu afferebantur, minime rer
res, qui, superiore expeditione Belg
arcibus expugnatis, haud diu quiet
credebant, aditu sibi ad interiora Vn
adeo armis patefacto, quo non prius
batur, quam quidquid medium inter
ceret properanti moram, suae ditio
qui minus prospexissent e longinq
praesentia horrebant, ut pertinacia
quitiae addentes, eandem in Regi
fiduciam arrogantiamque ostentar
vincere, hostis vires elevare, sua
ullae erant, et unde parari posse
rum angustiis Rege circumvento
veniebat in mentem. Quae dum
tur, Paulus Tomoreus, cum de h
quae regii cognovisset, conscer
ad celeritatem mutatis, ad Reg
agebat, contendit, minime ulte
regni discrimine arbitratus.
mae reipublicae interesit, q
actum eodem convenire
quoque tempore delectoru
vum amnem mittatur, qui
id quod haud difficile fac
monstrat, quanti discrin
tur Solimanum, per ot
belli facem nobilissim
bie enim eam flamm
regni provincias eod



Interea tamen, ut de omnibus, quae agenda erant, aliquid certius posset constitui, ex omnibus regni provinciis adesse principes frequentes, atque omnes ordines IX Calendas Maias, qui est Georgii festus dies, ad consultandum de ratione belli gerendi iubet. In eo conventu cum alia multa acta, quae necessaria magis ad tuendam communem salutem, quam facilia explicatu videbantur, de conscribendo milite, de muniendis arcibus, de hostibus transitu arcendis, tum illud unum maxime, ut omnes sive ex nobilitate regiae militiae, sive rebus divinis praeessent (delectum rerum omnium belli discrimine adimente), ad Tolnam, cum ea militum manu, quae iis ex censu esset descripta, ad Quinctum Nonas Iulias convenirent, ductu atque auspiciis Christi imperatoris, cuius caussam suscepissent adversus eius hostes defendendam, bellum gesturi. Dimisso conventu Ludovicus ad cetera comparanda, quae belli usus requirebat, sero ille quidem, sed aliquando tamen animum convertit, unum rebus omnibus sibi praevertendum arbitratus, quod multo ante agi oportuit, ut dimissis ad Christianos reges legatis, rem nequidquam tentatam superiore bello, auxilium dubiis rebus imploraret; externis viribus, quando suis diffideret, sperans se gerendo bello parem fore. Omnium autem maxime urgeri Clementem Pontificem placuit, qui fortunae magis suae, quam muneris memor, nova bella ex bellis serendo, eadem elatus cupiditate novis ditionibus atque imperiis ditandi atque augendi suos, armis universam Europam sollicitam habebat. Auxilium si minus ab eo impetrare queant, at, quod illi facillimum sit, et pro potestate sacri imperii praestare nullo suo incommodo queat, dent operam, ut impetrent ad externum militem conducendum, ut se ex voluntariorum collatione, sacra

pecunia iuvet, id quod superiores pontifices gravioribus reipublicae temporibus permulti egerint, qui propositis coelestibus praemiis Christianis populis, stipem ad sacrum bellum conferentibus, auctores fuissent summis regibus, Christiani orbis a barbarorum oppressione liberandi. Hoc unum esse liberalitatis genus, quo, insigni cum pietatis laude, nulla sacri aerarii iactura, prospicere Vngarorum accisis rebus possit; quas quidem nisi intelligat, aeque ad universam christianam rempublicam pertinere, cuius summa potestas penes Romanum pontificem sit, longe eum falli: certe nisi in tempore expergiscatur, fore, ut quo incendio Vngariae Regnum conflagrarit, in continentem Germaniam atque Italiam neglectum serpat, inde latius augendo vires, quidquid intra inferum mare, et Britannicum Oceanum, ad ultimas Hispaniae oras pertineat, vastaturum. Inprimis iubet docere, quae pecunia coacta hoc nomine in Vngaria sit, nisi eam sibi augendam primo quoque tempore nova accessione per eandem rationem statuat, eius aut perexiguum, aut nullum usum ad bellum fore. Exstant vero ad hunc diem Ludovici Regis ad Clementem Pontificem litterae, ut olim ad Hadrianum aliae, deiecti animi indices, et plane de salute desperantis, quibus oblitus maiestatis regiae, unius temporis memor, ad infimas usque preces descendit, quae frustra fatigatis Pontificis auribus, ad impetrandum auxilium parum, ad eius augendam culpam plurimum valuerunt, futuram aliquanto leviorem, si non oratus et multis lacessitus precibus, litteris, nunciis, sed sua sponte ferre opem quiritanti christianae reipublicae et in Ludovico Rege periclitanti, animum induxisset. Nam quod postremo certum numerum militum, ultimis extortum precibus, auxilio miserit, et pe-

cunia iuverit; non laudandus, quod parce, et sero, sed reprehendendus, quod non miserit quantum vere volenti et serio agenti licuisset; usque eo in suos effusus, ut ad oppugnandam patriam impiis armis, vastandam Italiam bellorum incendiis, christianum orbem universum perpetuis cladibus deformandum, et sacros Romae thesauros exhauserit, et potentissimorum regum arma exciverit; cum unus Christi pontifici esset propositus finis, iniustissimam in patriam dominationem suis comparandi, quae ad hunc diem durissimum servitutis iugum subire coacta, nequidquam libertatis vindicem atque ultorem iniuriarum quaerit. Tanto vero studio acriore Rex erat iuvandus, quanto unus cunctanti fuerat certior et gravior auctor, foedus a Turca oblatum reiiciendi, atque adeo frustra monente Sigismundo patruo, id quod eius multae litterae testantur, quae penes nos exstant, ne pateretur se a salutari consilio avelli, satis gnarus, quam infirmis viribus, quamque attritis et labefactatis Vngarorum rebus, esset Solimanum hostem regno inferentem arma excepturus. Quibus litteris obfirmato in contrariam sententiam animo, ita respondit, ut negaret sibi hoc integrum per Clementem Pontificem esse, quo inconsulto, non esset passurus se ullo foedere Christiani nominis acerrimo hosti illigari. Atque cum his litteris consentientia habent Clementis Pontificis nomine ad Thomam Cardinalem Caietanum scriptae, eius apud Ludovicum Regem legatum, quoad efficere consilio, auctoritate, monendo, adhortando possit, iuvenem Regem deterreat ab ullo feriendo cum Turca foedere; certasque rationes atque argumenta addit, quibus contendit id illi agendum, quae operae pretium duximus his attexere, ut appareat, quibus artibus interiora consilia

occultaret, quae tamen nihil minus, quam communem salutem, atque otium, id quod volebat videri, respiciebant. Hoc vero argumento erant scriptae. Non posse Pontificem adduci, ut crederet Ludovicum Regem eo descensurum, ut induceret animum cum barbaro hoste aut foedus ullum, aut inducias pacisci, cuius rei afferri rationes multae et validae possent: quarum primam atque antiquissimam Christianum Regem habere aequum esse, Christianam pietatem, quae moneret, pro eius nominis gloria, qui sua morte et sanguine aditum ad vitam immortalem hominibus patefecisset, ultro mortem appetendam. Namque alteram in existimationis et nominis iactura positam, cum quidem non posset recusare, quin maioribus esset reus inustae Vngarico nomini aeternae dedecoris atque infamiae notae, qui praeclaras de Turca victorias superioribus saeculis adepti, posteris virtutis et fortitudinis exempla illustria defendenda patria, barbaris hostibus armis ad internecionem persequendis, aemulanda reliquissent. Accedere ad nominis et famae iacturam libero homini ultimum malorum omnium, minime dubiam servitutem; quae utrum saevior esset, immanior, crudelior, an indignior, et contumeliosior, difficile esset pronunciare. Hoc enim Regi statuendum, Turcam pacis specioso nomine quasi illecebra obiecto, hoc spectare, ut ubi sopitum alto somno incautum et apertum suis insidiis reddat, subito imparatum a rebus omnibus adoriatur. Quid enim minus verisimile, quam Turcam, se rerum potiente, quemquam passurum in Vngaria regnare, qui in magno orbis terrae imperio, cum tot nationes, tot gentes, tot populi unius nutum atque arbitrium pro lege habeant, uno mancipii nomine omnes amplectatur, neminem ita eximium habeat, quin servitutis iugum

teterrimum subire, volens nolens cogatur? Magnum incendium per Vngarorum ruinam (avertat deus a suis tam triste omen) in universum Christianum orbem excitatum iri, sed cuius flammis prius sit Vngariae regnum conflagraturum. Haec aliaque multa esse iuveni Regi inculcanda, qui non suo, sed aliorum consilio regatur, inprimis callidi hostis aperiendum consilium, qui speret falso pacis nomine ludificatum, ad suum nutum atque imperium quo velit circumacturum. Ne deiiceret animum armis petitus a barbaro hoste; multa affutura subsidio gerenti bellum; quae quamquam superiores Reges desiderassent, saepius tamen in re gerenda discessissent victores, quam victi. Habere vicinum Regem, eundem patruum Sigismundum, qui non solum magnitudine imperii, sed rerum gestarum gloria clarus, praeter sapientiam et magnitudinem animi, qua inter reges omnes sui temporis excelleret, instructissimus viribus atque omni bellicae rei apparatu, esset fratris filium iuvaturus. Accedere Carolum V. Caesarem, omnium, qui superioribus saeculis christiano imperio praefuissent, maximum et potentissimum, qui pro Christiano Rege, sororis viro, secum multis necessitudinis vinculis coniuncto, ad domesticas suas adiunctis imperii viribus, adversus communem hostem capesseret bellum. Accedere et Caroli fratrem Ferdinandum, Austriae, Germaniae populos, qui ad commune restinguendum incendium concurrerent, quod per populatum Vngariae regnum intelligerent finitimas provincias continenti flamma hausturum. Nam, et illud addere animos dubitanti Regi debere, positum in Romani pontificis tutela, iam a Leonis X. usque tempore, cuius fidei esset a Ladislao patre, clarissimo Rege commendatus: quod quamdiu illi memoriae hae-

reret, non posset dubitare, quin Pontifex suae fidei et constantiae memor, caussaeque adeo, quam qui non intelligeret communem Ludovico Regi cum omnibus esse, qui colerent Christi nomen, plane captus oculis videretur, omnibus nervis viribusque esset adnixurus, ut suae in illum pietatis documenta clarissima constarent; ne illud commemoraret delatum sibi olim, ante pontificatum munus, apud pontificem Vngarorum res procurandi, quorum esse immemor eorum difficillimo tempore, sine certa infamiae nota et dedecoris haud posset. Neque vero alia modo, sed caput etiam in salutis et vitae discrimen Turcae obiecturum, ut Christianae reipublicae nobilissima pars, cui avarus hostis inhiaret, ab illius maleficio et iniuria incolumis staret. Neque vero Regem ignorare a se missum legatum ad Christianos reges Nicolaum Schonenbergum Campanorum pontificem, magni consilii et spectatae prudentiae hominem, eos ad sacrum bellum adhortandi caussa; quod quidem, ubi sublatis discordiis et oblitteratis iniuriis capessant, dubitari non oporteat, quin Turca prius cogitare cogatur de tuendis suis, quam de occupandis alienis; se quidem, ut pastorem deceret, officii sui memorem, curam commissi gregis, etiamsi capitis sui periculo communis salus redimenda sit, non neglecturum. Quae cum ita essent, non potuisse adduci, ut crederet, vera esse quae de ineundo foedere cum Turca ferrentur. Nihil enim sibi certius, quam Regem, si ad id consilii esset descensurus, quin integra re, certiorem se esset facturus, neque tamen Pontificem negare, saepe fieri posse, ut quae turpia et foeda sua natura essent, temporis vi extorquente ab invitis honesti rationem susciperent. Si destitutus Rex exterorum regum auxiliis, desperaret se posse aut

occurrere hosti inferenti arma, aut impar bello gerendo lacessere quiescentem, parum credatur prudenter facere, qui illum a pacis consilio revocet, praesertim cuius honestae conditiones ab hoste proponantur. Illud vero ne suspicari quidem posse, ullius incommodi caussa, ullo mali metu, atque adeo ut mors etiam sit obeunda, cum Turca ad opprimendum Christianum nomen consociaturum arma; prohiberet vero deus, ut de tanto rege, tam tetrum immane horrendum facinus, cuiquam veniret in mentem suspicari. Vnum esse quod Pontifex vereretur, ne parum aetate adversus hostis insidias Rex cautus, pacis dulcedine falsus, poculum hauriat dilutum veneno, et Rex maximus ac nobilissimus coactus teterrimae servitutis iugum subire, a cuius rei commemoratione refugiat animus, barbari hostis regiam mancipium honestet; dandam operam omni vi atque artificio orationis, si modo sparsi de foedere rumores non abhorreant a vero, ut quamdiu spes sit malum tolli posse, a tam foedo incepto Rex avertatur. Neque hoc cum Rege tantum agi, sed agi cum principibus regni oportere, quorum maxime consilio res administrentur. Additur postremo in iis ipsis litteris diploma pontificium ad Regem, eodem fasciculo inclusum, quod ille iubeat tradi. Esse autem eo argumento scriptum, quemadmodum facile ex illius exemplo legatus cognoscere queat, quod ad illum mittatur, (mandat vero, ut de suo addendo, et artis coloribus ac pigmentis aspergendo, diploma, ut sese det occasio, ornet), ut moneat, caveat hostis fallacias, qui per eas tentet sibi aditum in regnum aperire, qui sit illi omni arte et consilio obstruendus; ne per oppressos Vngaros, quod deus avertat, ad totius Christianae reipublicae ruinam atque exscidium sibi faciat gradum,

quod non minus*) — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — —

— (* Tentatus et Sigismundi animus, qui pridem cum omnem spem abiecisset de Christianorum Regum concordia, inter se ad internecionem gerentium bellum, regni vires, quas, ut alibi diximus, ad tantam belli molem sutinendam imbecilles esse intelligebat, integras servare ad meliora reipublicae tempora statuerat. Ita vero foedus icerat in aliquot annos, ut si suae fidei et constantiae rationem habere vellet, non posset adversus foederatum, ne pro Rege quidem propinquo, salua sua existimatione, sumere arma. Supererant vero adhuc, qui iam aetate defuncti, non ita vetus exemplum Ladislai a parentibus acceptum per manus referrent, qui Sigismundi patruus, per violatam foederis religionem, adortus bello Turcarum Imperatorem Amurathem. dignum exitum infaustis auspiciis suscepto retulisset, ad Varnam cum universis copiis caesus, ut non temere discedendum a sua fide et constantia statueret, praesertim qui malorum praesentium non ignarus, ea monendo praedicandoque multo ante iuveni Regi denunciasset, a melioribus consiliis averso. Quae quamquam ita esse non ignoraret, usus Ludovicus suorum consilio ad Sigismundum Andream Trepezam Polonum, summum regiae praefectum, legavit, auxilium ad bellum postulatum, adhuc non desperans se apud patruum Regem, quem semper eximie cultum parentis loco habuisset, Regem optimum et sanctissimum, extremis suis rebus opem inventurum.

) Itt a Pesti Codexben két ívrét levél hiányzik; a Bécsiben csak ezek elseje, s így a hézag felét emebből pótlom, két csillag közé szorítva a pótlást: (— *). T. F

Quae illum spes longe fefellit, ita Sigismundo statuente, sibi colenda officii et propinquitatis iura, ut afflicti Vngarici regni nollet fieri additamentum, id quod erat timendum, exscissum atque eversum Polonorum regnum. Itaque illud Trepezae erat additum in mandatis, ut si id minus impetraret, tum, quod commodo rei publicae fieret, ut in Sarmatiae et Vngariae finibus se adiri pateretur, postularet: Quando non ignoraret regem patruum foedere cum Solimano icto impediri, quominus se copiis iuvaret: rogare magnopere, ne recusaret, quod salua religione posset, iuvare iuvenem Regem consilio sapientissimus Rex, quem filii loco haberet; is qui coleretur parentis loco, ne aut de eius prudentia, aut de voluntate et fide in dando consilio posset dubitari. Cum his mandatis missus legatus, Dantisci Sigismundum convenit, illuc profectum caussa sedandi urbanos tumultus, quos nova infecta a Luthero de religione dogmata excitaverant, e civibus, aliis Pontificis Romani auctoritatem agnoscentibus, reiicientibus aliis, ut difficillime convenire inter dissidentes de re gravissima, nisi per Regis auctoritatem, posset. Varia fuit Sigismundi excusatio, temporis, cum publicis rebus procurandis districtus, quae incertis populorum studiis fluctuarent, quam longissime ab Vngariae finibus abesset; foederis, quod ita cum Turca icisset, ut in eo fidem violare*) et parum sibi honestum, et id, quod nemo non videret, perniciosum regno Poloniae esset. Non se destitisse melioribus Vngarorum rebus, et cum liceret per aequiores conditiones de compositione agere, hortari, urgere, monere Regem, et qui illi in consilio adessent, ut suo exemplo animum inducerent aut foedus cum Turca ferire, aut si minus de eo conveniret, in multos annos inducias pa-

cisci, quae cum frustra caneret, imminentia mala non dispicienti, castigare se Regem nonnumquam liberius solitum, quam delicatae aures ferrent, et quae perpetuis amicorum assentationibus personarent, cum adolescentia ferox, salutaria consilia minus aequis auribus admitteret, perditorum atque amentium hominum consiliis depravatus. Quae quidem quam perniciosa essent futura communi saluti, non fuisse exspectandum ut tempus doceret, qui imperitorum hominum mos esset, sed adhuc integra re cognoscendum, et cum id nemini posset esse obscurum, qui praesertim non suos tantum, sed aliorum etiam oculos in perpetua regni vigilia intentos haberet: id enim reges agere par esse, quibus ob eam caussam esset sanctius consilium adiunctum, ut eius robore et viribus respublica rectum et firmum cursum adversus omnem fortunae impetum teneret: quod quidem cum alios omnes agere oportere, tum eos maxime, quibus positis in tam excelso gradu, per se arduam viam difficilemque, aetas lubricam magis et praecipitem redderet. Tum quaeri consilium oportuisse, cum resipiscenti integer ad salutem receptus esset; nunc id tentari, cum potentissimus hostis propediem armatus, infesta signa in regnum a suis proditum esset illaturus. Quod quidem quid aliud esse, quam ab hoste victore, ultro decedentem victum de suo iure, depraecari perfidiae et contumaciae poenas, non de compositione agi? unam enim rem esse, de qua, integris rebus et salua dignitate, quo per aequiores conditiones transigeretur, esset agendum. „Detrahi vero plurimum de illius caussa, qui bello decertaturus, exspectaret ab hoste illata arma: fiduciae enim in eo, qui inferret; in eo qui illata exspectaret, inesse certum timoris argumentum.“ Sero Ludovicum de sua for-

tuna queri; cum matûre assensus meliorum con[illegible] efficere posset, ut non esset sibi de fortuna exp[illegible] landum, quam iniuria accusarent, qui a virtute animi deficientes, sese ultro ipsi traderent fortunae regendos. Iam pridem se, id quod evenisset, prospexisse animo, fore aliquando, ut aequi atque iniqui intelligerent, et vera se et maxime apta Vngarorum tempori, quod turbulentissimum a barbaro hoste instaret, sed surdis auribus cecinisse. Postulari a se auxilia, quae quidem ubi a se extorqueri pateretur, quid periculi inde Polonis impenderet, tacente etiam se neminem fugere; quem enim non videre, Vngariae excidium, quod dicere animus perhorresceret, cumulatum Polonorum ruina, uberiorem luctus materiam orbatae christianae reipublicae duobus opulentissimis regnis suppeditaturum? A quo vero regum opem imploraturum se, si quid durius accideret propinquo regi, ubi domesticis copiis nudatum Poloniae regnum victor hostis aggrederetur, quod quidem, ut vindicaretur ab intestinis malis, externis auxiliis indigeret? quid non egisse, quid non excogitasse, quam reliquisse viam intentatam pontifices Romanos, a primis usque regni sui initiis, Iulium, Leonem, Hadrianum, Clementem, ut susciperet in Turcas bellum? Pollicitos aureos montes, maximorum regum foedera, principum auxilia, paratas a Venetis classes, Caroli V. Caesaris, Francisci Regis immensas copias, veteranum militem, arma, bellica tormenta; quae inania nomina, et turgentia magnificis verbis, haud satis illecebrae habuissent ad se concitandum ad arma, quae raro non infelicia Christianis regibus, reipublicae exitio fuissent: non enim se umbra rerum, neque speciosis pollicitationibus, quae stultos homines atque imperitos fallerent, sed rebus moveri; id quod utinam

fuisset Ludovico persuasum, cuius nimia facilitas in praecipitem locum cum Vngarorum regno universam Christianam rempublicam coniecisset. Ita Galliam, Italiam, Germaniam, et quae eam propius provinciae attingerent, incensas belli facibus ardere; ut Sigismundo Regi ob id gerendum bellum adversus Turcam videretur, ne quis superesset, qui lugeret eversae Christianae reipublicae occasum. Consilio iuvare se numquam desiisse vicinum regem, propinquum, fratris filium, quod ille, cum posset usui esse, semper aversatus esset: nunc, cum esset nullus consilii locus, quid se aliud acturum, qui consultus de re tanta sententiam diceret, quam ut consilii vim et prudentiae redderet infamem; quae nulla esset, nisi ante gerendam rem, qui esset eventus futurus, ex certa rerum et temporum observatione pronunciaret: certe, ut nulla alia in re obesset, id effecturum, ut iuvenis Regis culpam augeret, qui cum consilio, ut nullus esset locus veniae, peccaret? Maluisse ei, in quem summa esset sua indulgentia, quae parentem aequum esset liberis, laetis illius secundisque rebus pietatis munera praestare; quae ne praestare adversis cogeretur, quando sua monita huc recidissent, ut eius, qui esset monitus, caussa deterior, monentis melior esset, supplicem se, deum malorum vindicem precari.

Hic legatus lacrymis perfusus, cum perorare volentem interpellasset: Nihil, inquit, est ut video, cur de Regis salute speremus, quando eam tantus Rex habes deploratam. Extrema haec ad te eius legatio erit, qui ne legare post hac quemquam possit, negando illi tam necessario tempore auxilia, effecisti. Haud falsum vatem fuisse, ominis fidem tristis secutus rerum exitus comprobavit.

Haec ita cum Sigismundo; alia ratione cum Boemis, Moravis, Slesitis actum, qui in regis ditione erant; exigebantur enim, ex peditum equitumque descriptione a civitatibus milites, ex censu pecuniae, quae ita populis imperabantur, ut nulla esset satis iusta caussa, quamquam exhaustis, et ad vocem edicti frementibus, tam necessario reipublicae tempore recusandi. In eodem conventu dicitur mentio illata de sacris thesauris ad belli usum convertendis, in magnis aerarii angustiis omni alia ratione deficiente: neque enim verum esse, republica perducta ad extremum casum, divinitus oblatum auxilium, vana superstitione captos animos, quasi in Regis consilio non viri fortissimi et prudentissimi, sed trepidae anus de republica consulantur, aspernari. Religionem animis coli, quos nulla inficiat sceleris labes: utrum sacerdotes adhibeant ad sacrorum usum aurea gemmata atque argentea vasa, haud magni interesse existimare, qui intelligant, nisi in tanto rerum discrimine usui reipublicae sint, immani atque avaro hosti brevi praedae futura, quam tantam cladem deus, exoratus supplicum precibus, a suis in immanissimos hostes avertat. Sed ne quis religione moveretur, iam Clemens pontifex sua interposita auctoritate perfecerat, Regi facta potestate, de ea re, quod esse e republica censeret, statuendi; quidquid statueret, ne quando esset fraudi per eam rationem prospicienti publicis rebus, firmum se ratumque habiturum.

Eodem tempore et de externis ducibus deligendis actum, quibus cum Tomoreo belli administrandi summa potestas mandaretur. Et Christophorus Frangipanes nominatus magni nominis, qui tum Ferdinando Regi merebat, et Nicolaus Salmensis Comes, cui honos capti Ticinensi proelio Francisci Regis debeba-

occultaret, quae tamen nihil minus, quam communem salutem, atque otium, id quod volebat videri, respiciebant. Hoc vero argumento erant scriptae. Non posse Pontificem adduci, ut crederet Ludovicum Regem eo descensurum, ut induceret animum cum barbaro hoste aut foedus ullum, aut inducias pacisci, cuius rei afferri rationes multae et validae possent: quarum primam atque antiquissimam Christianum Regem habere aequum esse, Christianam pietatem, quae moneret, pro eius nominis gloria, qui sua morte et sanguine aditum ad vitam immortalem hominibus patefecisset, ultro mortem appetendam. Namque alteram in existimationis et nominis iactura positam, cum quidem non posset recusare, quin maioribus esset reus inustae Vngarico nomini aeternae dedecoris atque infamiae notae, qui praeclaras de Turca victorias superioribus saeculis adepti, posteris virtutis et fortitudinis exempla illustria defendenda patria, barbaris hostibus armis ad internecionem persequendis, aemulanda reliquissent. Accedere ad nominis et famae iacturam libero homini ultimum malorum omnium, minime dubiam servitutem: quae utrum saevior esset, immanior, crudelior, an indignior, et contumeliosior, difficile esset pronunciare. Hoc enim Regi statuendum, Turcam pacis specioso nomine quasi illecebra obiecto, hoc spectare, ut ubi sopitum alto somno incautum et apertum suis insidiis reddat, subito imparatum a rebus omnibus adoriatur. Quid enim minus verisimile, quam Turcam, se rerum potiente, quemquam passurum in Vngaria regnare, qui in magno orbis terrae imperio, cum tot nationes, tot gentes, tot populi unius nutum atque arbitrium pro lege habeant, uno mancipii nomine omnes amplectatur, neminem ita eximium habeat, quin servitutis iugum

eodem tempore, quo iam Solimanus magno proelio victor in Vngaria debellaverat. Neque in tanto regni discrimine, in quo totius Christianae reipublicae salus vertebat, plus perfugii in Carolo Caesare fuit, Clemente Pontifice et exterorum aliorum regum arma, et Venetorum, atque Italiae universae in eum concitante; immemore eorum, quae tam prolixe atque amanter Ludovico pollicitus, a salutari consilio Sigismundi patrui, cum Turca inducias paciscendi, Vngaros averterat. Qua de re Caesar ad Imperii principes Spirae agentes litteras dederat expostulationum plenas de Clementis inprimis in se iniuriis, quas graves atque acerbas nullo suo merito sibi illatas querebatur; cum unus sibi impedimento esset, quominus prolabenti Vngariae regno hostilibus armis (quas partes sibi sumeret, qui summam christianam rempublicam suae fidei mandatam agnosceret) auxilium afferret. Neque se deprecari ait, quominus de his, indicto more maiorum legitimo concilio, quo se provocare a Pontifice affirmat, patres cognoscant, a quorum decretis et sanctionibus numquam sit discessurus. Ac missi ad Franciscum Regem legati, illi redegisse in memoriam dicuntur, quae ille verba usurpare solitus esset, cum in Insubribus ad Carolum V. victorem in Hispaniam adducendus captivus, arctissima custodia asservaretur: ubi dei immortalis beneficio libertati restitutus esset, nihil se prius facturum, quam ut in Vngariam conversis armis, cum Ludovico Rege viribus iunctis, Turcae communi hosti bellum inferret. Id vero illum, et praesenti Ludovici oratori, et per eum ipsum litteris Ludovico eo tempore curasse significandum, graves habeo auctores. Eam quidem mandatorum summam dicunt fuisse: Dei immortalis benignitate voti damnatum, recuperato re-

quod non minus*) — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — — —
— (* Tentatus et Sigismundi animus, qui pridem cum omnem spem abiecisset de Christianorum Regum concordia, inter se ad internecionem gerentium bellum, regni vires, quae, ut alibi diximus, ad tantam belli molem sustinendam imbecilles esse intelligebat, integras servare ad meliora reipublicae tempora statuerat. Ita vero foedus ieerat in aliquot annos, ut si suae fidei et constantiae rationem habere vellet, non posset adversus foederatum, ne pro Rege quidem propinquo, salua sua existimatione, sumere arma. Superarant vero adhuc, qui iam aetate defuncti, non ita vetus exemplum Ladislai a parentibus acceptum per manus referrent, qui Sigismundi patruus, per violatam foederis religionem, adortus bello Turcarum Imperatorem Amurathem, dignum exitum infaustis auspiciis suscepto retulisset, ad Varnam cum universis copiis caesus, ut non temere discedendum a sua fide et constantia statueret, praesertim qui malorum praesentium non ignarus, ea monendo praedicandoque multo ante inveni Regi denunciasset, a melioribus consiliis averso. Quae quamquam ita esse non ignoraret, usus Ludovicus suorum consilio ad Sigismundum Andream Trepezam Polonum, summum regiae praefectum, legavit, auxilium ad bellum postulatum, adhuc non desperans se apud patruum Regem, quem semper eximie cultum parentis loco habuisset, Regem optimum et sanctissimum, extremis suis rebus opem inventurum.

) Itt a Pesti Codexben két ívrét levél hiányzik; a Bécsiben csak ezek elseje, s így a hézag felét emebből pótlom, két csillag közé szorítva a pótlást: (— *). T. F

aut laeta aut adversa, moderatur; unde illud vulgo usurpatum, periculo perfungentes homines, numen, per voti nuncupationem implorare, et numinis et voti oblivisci simulatque sint periculo perfuncti. Cum Burgio Clementis legato fere eadem Rex egit, quae legatis Romam decedentibus in mandatis dederat, cum de auxiliis tum de pecunia ad sacrum bellum decernenda, cuius ille usum potiorem habebat viribus adversus Carolum Caesarem instaurandis, quam sublevandis Vngaris; quae praepostera ambitio urbi Romae ultimo exitio fuit. E sacro argento placuit sumi dimidiam partem, eius rei administratione tradita Ladislao Macedonio Quinqueeclesiensi episcopo, cui, ob summam integritatis et innocentiae opinionem, in magnis rebus fides a Ludovico habebatur. Hinc datum negotium Nicolao Gerendio, ut flando cudendoque argento animum cum cura intenderet, et quidem legato Pontificis praesente: qui sibi caveri volebat, inde conflatam pecuniam usui tantum ad bellum fore, magis id quidem sedulo, quam aut pro cetera calliditate prudenter, aut pro ratione praesentium temporum benigne ac prolixe, tanta belli procella extorquente, ut si fieri posset, ea ipsa, quibus alitur hominum vita, in argenti vim naturamque converterentur, ne deessent Vngaris, quibus uterentur ad bellum, non pro Vngariae regno solum, sed pro salute totius Christiani imperii arma sumentibus. Pari cura regii quaestores, tum a pontificibus et sacerdotum collegiis, tum a liberis civitatibus, a Saxonibus inprimis, pecunias ex censu exigebant, qui e superiore Germania oriundi, Transilvaniae partem feracissimam incolunt; a Iudaeis aliquanto acrius exactum, quibus ut minus parcerent, et belli ratio, et religionis diversus cultus efficiebat, cuius odio favere

cisci, quae cum frustra caneret, imminentia mala non dispicienti, castigare se Regem nonnumquam liberius solitum, quam delicatae aures ferrent, et quae perpetuis amicorum assentationibus personarent, cum adolescentia ferox, salutaria consilia minus aequis auribus admitteret, perditorum atque amentium hominum consiliis depravatus. Quae quidem quam perniciosa essent futura communi saluti, non fuisse exspectandum ut tempus doceret, qui imperitorum hominum mos esset, sed adhuc integra re cognoscendum, et cum id nemini posset esse obscurum, qui praesertim non suos tantum, sed aliorum etiam oculos in perpetua regni vigilia intentos haberet: id enim reges agere par esse, quibus ob eam caussam esset sanctius consilium adiunctum, ut eius robore et viribus respublica rectum et firmum cursum adversus omnem fortunae impetum teneret: quod quidem cum alios omnes agere oportere, tum eos maxime, quibus positis in tam excelso gradu, per se arduam viam difficilemque, aetas lubricam magis et praecipitem redderet. Tum quaeri consilium oportuisse, cum resipiscenti integer ad salutem receptus esset; nunc id tentari, cum potentissimus hostis propediem armatus, infesta signa in regnum a suis proditum esset illaturus. Quod quidem quid aliud esse, quam ab hoste victore, ultro decedentem victum de suo iure, depraecari perfidiae et contumaciae poenas, non de compositione agi? unam enim rem esse, de qua, integris rebus et salua dignitate, quo per aequiores conditiones transigeretur, esset agendum. „Detrahi vero plurimum de illius caussa, qui bello decertaturus, exspectaret ab hoste illata arma: fiduciae enim in eo, qui inferret; in eo qui illata exspectaret, inesse certum timoris argumentum.“ Sero Ludovicum de sua for-

futurum, eadem negligentia corrupit. Regionis periti, haud dubiis adducti coniecturis, magnam olim urbem, qua situm Ezechum oppidum est, fuisse putant, cuius nonnulla adhuc vestigia supersunt. Ergo qui locum praesidio tueretur, Stephanus Bathorius Palatinus delectus, qui tum pedibus aeger, apud fratrem, impar tam salutari consilio expediendo, in oppido haud ita procul a Dravo agebat. Sed ea omnia, quae, ut numquam alias, acriore cura administrari oportebat, eodem, quo cetera reciderunt: neque enim eadem animi alacritate, qua Ludovicus falsus a suis rem agi sperabat, milites ad signa convenerant, quorum erat praesidio oppidum defendendum; cum alius alia caussa obiecta, aut animorum contumaciam detrectando Regis imperio, aut ignaviam refugiendo a bello, quod magni discriminis futurum haud dubitabant, praetexere conarentur. Qua re Bathorius animadversa, animi magnitudine superata morbi vi, ad Regem proficiscitur, atque acriter inprimis, et vehementer de militum tarditate et socordia queritur, quam ne imminens quidem ultimum patriae discrimen disiiceret, letali somno sopitis torpentium animis. Ac ne quando videretur, quae sua culpa esset aliorum facere, apud Regem mansit, cum eo ipso et suae, et maiorum virtutis memor, bello gerendo interfuturus. In hoc statu cum Vngariae res essent, dicitur Regi a studioso sui homine, quod ut crederet, multis sedulitatis et industriae officiis (nomen non traditur) facile erat assecutus, salutare consilium, nisi subessent insidiae, oblatum: Quando non ita esset facile factu, ut celeriter Transilvanorum et Transalpinorum copiae, cum suis coniungerentur, id quod maxime reipublicae usus postularet; Scepusium moneret, sub cuius signis militarent, ut eodem tempore,

quo ipse cum hoste manum consereret, eum vestigiis subsecutus a tergo adoriretur. Ita Solimani exercitum, magis turba hominum, quam robore militum nitentem ancipiti malo, quod sperandum esset, circumventum, nulla spe effugii reliqua deleri brevi momento ad internecionem posse. Sed aliud multo certius consilium, cuius dicitur Scepusius auctor, certe quod, ut minime contemnendum videretur, et ratio tueretur, et summorum imperatorum exempla illustria, qui eo usi, magnos saepe proventus in re militari fecissent, uti ad avertendam tanti belli molem ab Vngarorum cervicibus, quibus in nullius auxilio salutis spes reliqua erat, Rex Scepusium cum Transilvanorum copiis, quibus praeesset, finitima Thraciae invadere, exurere agros, oppida vastare, depopulari omnia iuberet. Ita fore, ut Solimanus, ne subiecti populi suo imperio iis cladibus afficerentur, quas ipse esset Vngaris illaturus, infecta re, quod dedecus quin admitteret effugere non poterat, iis auxilio iret; quod quidem ubi accideret, praeter ceteras belli opportunitates, satis spatii Ludovico relictum iri ad ceterorum auxilia exspectanda, quae propediem dicebantur ex Boemia, Austria, Moravia adfutura. Et consilium quidem placebat (optimum enim esse ratio vincebat), ab eo allatum, cui omnia hostium consilia cognita credebantur: sed auctoris suspecta fides, etiamsi minime de ea esset dubitandum, quominus Rex assensus sibi utendum statueret, efficiebat. Verisimilius est, simulata ad tempus fidei suspicione, quae de tanto viro nulla in magno regni discrimine poterat haberi, tectum regiorum odium, qui nollent Scepusium ex servati regni gloria crescere, ubi, quod sperandum erat, ex illius consilio bene gesta res in unius quem odissent gloriam verteret. Quae quamquam

ita essent, non ausus Rex plane improbare prudentiorum hominum auctoritatem, quorum sententia a Scepusii non abhorrebat, adhibito in consilium Strigoniensium Pontifice, quo inconsulto nihil seriae rei agi placebat, cum appareret, et tutum consilium esse, et si regii duces impigre inceptam rem exsequerentur, haud dubia spes esset, quin aliquid, ut in imparatos et nihil huiusmodi timentes, operae pretii essent facturi, rem nemine non approbante, mature in Transilvaniam ad Scepusium scribi iubet, dato illi negotio, ut communicatis consiliis cum Vrbano Batthianio, qui cum mandatis ad Moldavum mittebatur, id ageret, quod esse e sua fide atque e republica duceret; magnam quidem spem esse, cum Transalpino viribus coniunctis, cuius erat fides in primis regiis probata, in provincia, quam nullum praesidium firmaret, aliquid, quod ad belli summam conduceret, explicaturos. Sed neque pro Regis exspectatione res acta, et Scepusio properanti iniecta mora, quominus in tempore laboranti Regi in ultimo discrimine, cum Transilvanorum copiis adesset.

Iam dies praeterierat, quo die a Rege edictum erat, ut armati milites Tholnam convenirent, quorum nemo adhuc (tantus omnium animos stupor occupaverat) adveniebat, ferocia illa, et suam, et suorum spem deficiente, quo maxime tempore patria poscebat, qua belli victoria, et opulentissimarum gentium de victo hoste spolia, inter pocula praecipiebant. Itaque aliquanto aequioribus animis exaudiebantur virorum fortium, tum iustae, tum vehementes et graves expostulationes de praesenti Vngariae statu, et quidem magna cum eorum invidia, qui praecinentibus ea mala, quae iam iam instarent, superbo et contumaci animo vim

omnem consilii obruente, parere recusaverant; requirebant enim, quo repente abiissent generosi illi spiritus, quo illa animorum vis, quo superbae illae minae, quo tanta illa hostium contemptio, qua turpi assentatione sibi ipsi blandientes, dicerent, ne primum quidem Vngarorum congressum signa explicantium barbaros hostes laturos. Non ea fuisse priscorum Vngarorum ingenia, non illas artes, ut magnificis verbis, in conviviis, inter pocula et vinum, exercitus delerent, urbes exscinderent, arces solo aequarent; in gerenda re adversus armatum hostem, animos gynaeceo praestarent quam bello aptiores; otium et umbram, non pulverem, non solem, non aciem spectantes. Vere Vngaros comprobare generis originem fortibus factis, armatos in acie, non domi socordes verbis ostentare: haberi indignos tam illustri titulo, qui degenerantes a contestata virtute maiorum, nondum classicum canente hoste, refugerent a signis, quo quidem excitarentur ad decus virorum fortium pectora; pavore et formidine segnes atque inertes consternarentur; quibus unus vitae finis communis cum bestiis propositus esset, ut ea appeterent, quae sensibus suavia essent, ea aspernati, quae hominis propria*) ad spem certam immortalis vitae animos recte sibi conscios efferrent. Haud eos Vngaros habendos, qui non magnitudine periculi, in quo verteret omnium salus, non ob oculos obversanti patriae interitu, non maiorum exemplo, atque aemulatione fortissimorum hominum, commoverentur, ut liberi fato mallent in acie defungi, quam mancipia barbari hostis tristi servitio infamem vitam quotidie

*) Innen a következő 177. lapon álló csillagig hézag a Pesti Codexben, pótolva a Bécsiből. T. F.

centies execrari, quam quidem qui vere Vngari essent, sibi statuerent morte redimendam. Quanto illos vero beatiores, qui freti magnitudine animi, cadere in acie armati, quam servituti turpissimae vitam addicere, patriae pectora devovere, quam spectare incendio absumptam, direptas, incensasque urbes, ingenuos pueros, virgines, matronas nobilissimas in servitutem abductas. Foedis voluptatibus addictis hominibus non posse facile persuaderi, ut vitam per immanem licentiam in omni vitiorum coeno volutatam, postulanti patriae redderent, quam vellent, nollent, natura lege inexorabili, saepe fortuna cum dedecore et infamia ab invitis extorqueret; patriae, maiorum, sui immemores, desides domi in hominum corona ostentarent nomini inustas ignominiae notas; quas non in umbra maiorum meritis, sed in acie, per honesta vulnera suo atque hostium sanguine, elicere liceret. Imploratam spem patriam extremo casu, malle praedam fieri Turcae hostis, perpetua sua cum infamia, quam cum spe immortalitatis sibi incolumem et posteris servari, bellum animi magnitudine et digna virtute maiorum fama capessentibus. Quid vero exploratius esse, quam, si quid durius accideret, eundem patriae atque eorum, a quibus prodita esset, interitum futurum. Regis imperio parere recusare vocantis ad tuendam patriae salutem, non Vngarorum esse, sed patriam hosti Solimano prodentium, cui minime dubiam victoriam, non prius arma et tormenta, quam eorum nequitia et scelus, qui in Vngaria rebus praeessent, portenderent: Regis enim nimia indulgentia emollitos, etiamsi vellent emergere e voluptatum sordibus, et animos suscipere maioribus dignos, haud posse; exspectandum scilicet, ut armatus in acie Rex, obiecto capite hostium telis,

Vngaris, qui se Martis milites iactarent, liberi patris verius, rubores turpes eliceret, et ad capienda arma, tum cum futura nulli usui essent, stimulos adderet. Atque haec illi quidem, Solimanus cum copiis Savum transgressus, omnibus, qua iter faciebat, incensis ac solo aequatis, Varadinum Petri, quod oppidum ad Danubium situm, post Belgradum amissum, Vngariae propugnaculum habebatur, summis viribus adortus, oppugnare eodem tempore terra pariter et qua fluens amnis oppidum praeterlabitur, instituerat. Cuius rei nuncio accepto Rex, quamquam undique sua spe frustratus, cum neque a suis auxilia adessent, quorum maxime exspectatione tenebatur, neque ab exteris, quos a cura Thracii belli accersebant Christianorum regum arma, dignitatis magis suae quam salutis memor Buda movit IX. kalendas Augusti, Tholnam secundum Danubii ripam militem ducturus, nondum amissa spe, suos, uti edixerat, *(adventum non)* dilatare in longiorem diem, armatos occursuros. Iam antequam Buda moveret, mutato consilio, Stephanum Bathoreum Somliaeum, magnae auctoritatis hominem, cuius nunc Stephanum filium Polonorum gentes regem venerantur, ad Scepusium in Transilvaniam miserat, datis aliis mandatis, quorum summa haec erat: Quod non perstaret in suscepto consilio invadendi Thraciam, quod optimum esse belli ratio ostenderet, quod esset adversus Solimanum hostem gerendum, nihil illum mirari oportere. Etsi enim sperandum esset, urentes et populantes Vngaros hostium agros a suorum cervicibus belli vim depulsuros, longe tamen abesse facultatem tam salutaris consilii expediendi; consilii mutationem, cuius caussa non in hominum voluntate, sed in fortunae inconstantia posita esset, non videri merito reprehendendam,

ubi quo ratio duceret, quam hominibus praeire ducem ad agendum aequum esset, sequeretur. Non se regia auctoritate, non maiestate nominis atque imperio, non exemplo suos movere potuisse, ut hoste barbaro iam in regni fines ingresso, qui tela iugulis intenta ad omnium exitium ostentaret, a terrore collectis animis, inducerent arma. Iam Savum traducto exercitu, Petri Varadini arcem oppugnare, quae minime tamen diu ferre tantam vim posset, quidquid illi munita esse, et loci natura et operibus adversus vim omnem diceretur. Se Buda movisse vix tribus millibus equitum et peditum secum assumptis, quorum magna pars a Strigoniensi, et a Maria Regina essent conscripta, haud satis digna cohorte, quae Vngarorum Regem, si prisca maiestas imperii magis, quam praesens fortuna spectaretur, venatum euntem comitaretur. Iubere, cum iis copiis, quas collectas in praesentia haberet, omnibus aliis damnatis consiliis, quae inutilia hostis celeritas, et suorum cunctatio efficeret, primo quoque tempore ad se properare. Si pietas erga patriam, quam non semel periculosis reipublicae temporibus suis probasset, si cupiditas verae gloriae generosa pectora moveret, si nominis, hominum existimationis per illustres honorum titulos ad posteritatem propagandae: eam occasionem nunc offerri, ut qui eam non agnosceret, eum ne agnoscere quidem videretur, quae vera esset pietatis laus, quae gloriae, nominis, existimationis hominum, viro forti expetenda. Non sibi monendum Scepusium, non adhortandum statuisse, ne tanto viro iniuriam faceret, qui captare occasionem, nedum amplecti oblatam, declarandi suum studium et pietatem erga suos, consuevisset. Atque haec quidem ad Scepusium scripta, nulli usui futura, obstantibus fatis Vngarorum saluti, quae

mentis vim, et consilii, ut omnia praepostere atque incondite agerent, regiis ademissent. Ominis loco acceptum ferunt, quo die Rex Buda movit, generosum equum, qui omnium illi carissimus ferebatur, repente mortuum concidisse, cum equus validis viribus et vigentibus, ac firmissima corporis constitutione esset, ut nulla mortis iusta caussa haberetur. Hinc Ludovicus, cum Erdy, qui erat pagus in Ambrosii Sarcani ditione, nequidquam aliquot dies substitisset, et destitutum se ac proditum a suis non graviter minus, quam vere quereretur, ad Erchium pagum, non ita procul ab Erdio distantem, progreditur, cum praeter eandem militum manum, qua erat ex urbe regia profectus, nemo eundem sequeretur. Hinc eadem spe incertum consilii ludificante, atque anxium de belli eventu, quem in tanta suorum contumacia tristem sibi ominabatur, aliquamdiu exspectatio suorum tenuit, cum neque quid patriae deberent, quid sibi, quid suis in tam sera tempestate republica fluctuante, cogitarent. Affuit ex principibus unus Andreas Bathoreus, adductis secum non contemnendis copiis, cum magno in praesentia regi solatio, tum haud minori usui in gerenda re futuris, si aeque omnes ex nobilitate impositas sibi partes bello administrando impigre praestitissent. Inde Rex Bathoreo, ut par erat, collaudato, ad Penteleum, secundum Danubii ripam ducto milite, processit, oppidum, ut fama est, exstructum Romanae coloniae ruinis. Eo in loco Georgius Basius a Scepusio missus Regem convenit, cuius oratio haec fuit: Non debere Regem mirari, si minus Scepusius, quam illius postulet consuetudo, properanti ad bellum praesto sit, temporum *(in)*constantiam (mandatorum non audere dicere, quae varia ad se multi pertulerint, cui perspecta Re-

gis gravitas virtusque sit) restitisse, quae, ut rerum humanarum ratio fert, crebram mutationem *) consilii videantur postulare. Litteras primum ad se missas, quibus Rex iuberet, comparatis copiis primo quoque tempore sibi ad bellum eunti occurrere; mox litteras crebros secutos nuncios, qui eadem afferrent. In his Gasparum Horvatum, dapiferorum magistrum; qui hoc ipsum habuisset in mandatis, eum illud adiecisset, ceteris omnibus omissis, quae ante eum diem Rex illi curasset significanda; quod postremum consilium exquisitis suorum sententiis probaret, omnibus sibi praevertendum statueret, cum quidem plurimum a superioribus consiliis variaret. Cum, his auditis, ut par esset, vires nervosque omnes intendisset ad ea comparanda, quae necessaria iter ingredienti essent, brevique esset futurum, ut collectis omnibus copiis e Transilvania moveret: qui haec omnia revocaret, Vrbanum Batthyanium subsecutum, qui Regis nomine imperaret, ut omisso in praesentia profectionis consilio, de Thracia invadenda cogitaret, assumptis secum militibus Transalpinis, de quorum in Regem fide dubitari haud posse affirmaret; a quibus tamen nihil subsidii esset sperandum, praefecti fide Solimano obstricta, per obsidem filium, nihil illo rem gerente in Vngaria moturum. Missum postremo Stephanum Bathorium, qui ita de sua profectione egisset, ut quae curasset Rex sibi per Batthianium significanda, mutata sententia, revocaret. Quod tamen ipsum egisse satis perplexe, certe non ita aperte, ut quam in partem consilium explicaret, satis haberet exploratum. Se quidem eo animo esse, ut imperanti Regi, pro sua constantia et fide, minime esset in mora futurus, atque adeo quantumvis quae sibi imperarentur, ardua difficiliaque

essent: sed, si se audiret, quando per Transalpini defectionem, tentare Thraciam parum tutum consilium videretur, statueret sibi utendum Transilvanorum copiis, et regno, et se Rege adeo tuendo; ubi enim Rex esset, illic universam Vngariam haberi; pro cuius salute qui non esset paratus fortunas, sanguinem, vitam profundere, is proditor, patriae desertor, Regis, suorum paricida esset habendus.

Audivit haec Rex soluto omni alia cura animo, ut et Scepusii fides requirebat, et ipsius apertum ingenium certe minime vafrum aut fallax in rebus malis cum id ratio vinceret, „optimum esse habendum consilium, quod longius a pessimo abesset." In eo vero Ludovicus sibi constitit, et quidem, quamquam non deessent, qui apud illum Scepusii fidem in dubium vocarent, propter eas caussas, quae non semel sunt a nobis commemoratae. In primis illius consilium collaudavit, non fidele solum et profectum ab optimo animo, sed certa etiam ratione susceptum, ne quis de illius fide et prudentia dubitaret. Inde Rex, eodem die Feldvarum progreditur, situm oppidum ad Danubii ripam, ubi Basio iusso in consilium vocari Rex imperat, dies noctesque accelerato itinere properet ad Scepusium redire, eumque ad rem impigre gerendam adhortari. Ita illius consilium se existimaturum salutare sibi et regno Vngariae fore, si ipse in una celeritate positum crederet, ut salutare patriae esset, hoste celerius omnium opinione iam ingresso regni fines, et cum universis copiis ad se contendente. Primo quoque tempore cum his copiis, quas cogere in praesentia posset, se viae daret; obviis quibusque, qui essent ad arma ferenda apti, invitis etiam et recusantibus, nomina dare, et signa sequi coactis; non ex nobilitate cuiquam, non

regiae militiae adscriptis, non ex agrestium numero quamquam militiae vacationem atque emerita stipendia iactarent, parceret; eodem loco omnes habitos, vi coactos atque imperio, nullo ordinis, aetatis discrimine secum adduceret in castra. Haec Basio mandata; illud Scepusio poscente additum, ut litterae ad eum Regis in eandem sententiam darentur, et ad declinandam invidiam, ubi ex Regis edicto severius cum nobilitate ageret, quae negaret, praeter unum Regem, cuiquam se passuram obligari militiae auctoramento, et ad auctoritatem conciliandam, ubi militiae munus ab iis exigeret, qui vacationem impetrassent, aut aetatis legitimam excusationem haberent, quos esse permultos non ignorabat. Ita autem litterae erant scriptae, ut nulla cum exceptione, ut iam diximus, ordinis, aetatis, fortunae, sive quis pedibus, sive quis equo mereret, omnes arma capere, et se sequi iuberet; quo magis ceteri verbo audientes essent, duci indulgentius atque ambitiosius Regis mandata exsequenti, eadem dicta mulcta, quae Maiestatis convictis irrogari consuevisset. His datis Basio mandatis, quo maior accederet auctoritas, cum eo ad Scepusium Ioannes Statilius mittitur, vir cumprimis integer et clarus eruditionis atque ingenii laude, cuius erat fidem Rex magnis in rebus expertus. Haec Ludovicus, ut in tantis temporis angustiis, et praesenti animo pariter et maturo consilio, adversis quidem urgentibus Vngariae fatis, sed non aeque, ac suorum animis infestis: dignus vero Rex, qui ingenio obsecutus, quo ad honesta quaeque sua sponte propendebat, aut melioribus imperaret, aut sapientioribus pareret; certe, quod illi aequi, atque iniqui tribuunt, nulli maximorum regum futurus secundus, si illi, ut a natura animi vis atque ingenium, ita sapientium consilium affuisset; quod non semel nequidquam tentatum,

aetate vim consilii non admittenti, aut fortuna aut fati inclementia negavit. Nondum Statilio cum Basio profecto, alii subsecuti nuncii, qui ferrent Petri Varadini arcem a Solimano in potestatem redactam, nostris cum fortiter atque industrie aliquamdiu arcem defendissent, fere ad unum interfectis. Solimanus enim aliquamdiu frustra tentata deditione, cum maiora tormenta admoveri iussisset, ita vetustate corruptum murum crebris ictibus labefactarat, ut eo prolapso et deiecto, nuda propugnatorum virtus suo robore in extremo salutis discrimine vigens, hostibus esset admirationi, in vestigio, timoris nullo edito signo, morientium. Ea arce potitus Solimanus, Vilachum victorem exercitum duxerat, simul a flumine impositis in navibus idoneis tormentis simul a terra arcem oppugnaturus. Quibus Rex auditis, ut in tantis malis satis forti animo, cum male gestarum rerum nuncii ad suos excitandos pro aculeo essent, properare Basium et Statilium in Transilvaniam, alios ad Georgium Scepusii fratrem, qui circiter quinque hominum millibus conscriptis ad Albam Regalem consederat, ad Franciscum Batthianium alios, Croatiae praefectum, alios ad Christophorum Frangepanem primo quoque tempore ire, et urgere atque impellere adeo ad profectionem iubet. Missus eadem diligentia Budam Ladislaus Macedonicus monitum Reginam, uti ad Austriae praefectos idoneos homines mittat, qui doceant, quanto in periculo Rex atque universa Vngaria versetur: simul hortentur, si minus vicini Regis incommodo moveantur, at sua caussa, ad quos, Vngarorum regno belli incendio absumpto, continens belli flamma sit perventura, excitentur, atque omni praecisa mora, auxilia mittant, quae a Ferdinando fratre sint Regi desponsa. Inprimis agit de sollicitandis Boemis ad

profectionem, cum, qui Regi ex syngrapha a civitatibus debebantur, tum iis maxime, quos Rex privato aere usus Mezericii opera conductos habebat. Iam et Thomas Nadasdius, quem Ludovicus ad Ferdinandum Spiram legaverat, crebris litteris iussus erat et eum ipsum Ferdinandum et Carolum fratrem adire, ac quibus angustiis laboraret Vngariae regnum, inprimis Ludovicus Rex, docere: destitutum omni alia spe auxilii, desertum, proditum a suis pariter atque ab exteris, hosti potentissimo eidem atque infestissimo, qui ducenta hominum millia adversus Vngaros duceret, per quorum exitium aditus inhianti orbis imperio ad invadendam Christianam rempublicam universam aperiretur. Ad eum Ludovicum Regem, quod infimo loco nato homini miserum ac calamitosum esset, tendere supplices manus, quem nisi sanguinis coniunctio, arctissimum affinitatis vinculum, communia sacra, religio, Christianae pietatis sanctissima iura moverent: at periculi metu, quod certa rerum serie a devicta Vngaria vicinam Austriam maneret, moveri par esse; unum quidem Ludovico superesse decus, quod viventi adhuc sibi magno solatio esset, ut gloriosa morte defunctus, se oculis subtraheret superbi victoris, qua sua clade, nullius umquam victoria clarior maiorum memoria fuisset, nulla esset futura. Nam et illud consecuturum se, quod sibi ad posteritatem fore gloriosissimum speraret, ne eversi regni, olim totius Europae florentissimi, nullo suo, magno cum Christianorum regum dedecore, Ludovicus Rex esset superstes. „Vltimum vero malorum omnium credere sibi viros fortes impendere, ubi contumeliae insolentes, vitam rerum omnium amabilissimam cogerentur odisse, quae pressa tristi servitii iugo careret honestate.“ Quod cum

omnibus proprium a natura esset, tum eorum maxime debere videri, quos summus in terris honos, et regia maiestas ad decus pariter atque ad contumeliam rederet insigniores: unum pro sua pietate animi aculeum et morsum non posse effugere, quem mente revoluens, totus horreret ac contremisceret, non videre summos reges, et qui christianae reipublicae columen velint haberi, Vngarorum exitium, initium malorum futurum, quae Christianae reipublicae universae impendeant, desertoribus iustior poena proditae patriae hosti immanissimo, neque illa tamen, pro eorum scelere gravis satis, quorum culpa tam foedum vulnus sit acceptura. Vtrumvis autem horum esse dolendum, sive haec Christiani reges ignorarent, sive imminentia minus vererentur, cum cognita exploratagque ea haberent: quorum in altero inesset argumentum emotae mentis et stupentis ad domestica mala; in altero immanis atque exsecrandi sceleris, per Christiani orbis exscidium privatas simultates atque inimicitias persequentium. Eadem iussus Nadasdius privatim principibus demonstrare, vir cum alias semper suo ingenio disertus, tum ut abesset vis ingenii, quem sensus malorum patriae imminentium disertum efficeret: qui tamen nihilo illos acriores, quam qui superioribus legationibus erant functi, invenit.

Quae dum apud Regem geruntur, Tomoreus, circiter duobus peditum millibus assumptis Petri Varadinum nondum ab hoste oppugnatum contendit, e re ipsa facta coniectura, Solimanum ob loci opportunitatem eo copias ducturum, recte arbitratus nihil retro callidum hostem relicturum, quod in medio belli ardore rem gerenti esset in mora. Ita optimo consilio, qui arcem tuerentur, mille e suis praesidio relictis,

ipse cum reliqua militum manu Danubium traiicit, ab ulteriore ripa, transitum hosti, navalibus copiis, quas haud contemnendas contraxerat, infestum facturus. Interea Rex Feldvaro movens, propter Danubii ripam exercitum ducendo, Pachos, atque inde Tholnam progreditur, ita auctis copiis, ut, quod referre pigeat, equitum quatuor millium numerum, aut paulo amplius explerent. Occurrit palatinus Tholnam Regi ingredienti, quo fuerat praemissus, cum Rex adhuc Erchii castra haberet. Huc pudore vincente metum nonnulli e nobilitate, cognito Regis adventu, ex citerioris atque ulterioris Vngariae provinciis, quos comitatus appellant, frequentes convenerunt: In his Georgius Scepusius equitum trecentos mille, et ducentos peditès adduxit: Hannibal Carthaginiensis cognomine, parem fere peditum numerum, qui ex sacra pecunia conducti, et missi ad Regem subsidio ferebantur. His accedebat Italorum militum manus, quos delectos e iuventutis robore Clemens Pontifex miserat, tum iuventae flore, tum militari ornatu maxime conspiciendos, ad mille quingentos, quibus Leonardus Gnoscius praecrat, vir praeter cetera militiae decora, locandorum castrorum, ut ferebatur, inprimis peritus. Iam et ex Vngaris praeterea frequentes affucrunt, nobilitate et magnitudine animi clari homines, Paullus Vardaius Agriensium, Franciscus Perinius Varadinensium pontifex, tum eiusdem ordinis alii complures, atque illos aemulati ex nobilitate permulti, quos singillatim enumerare haud necessarium duximus, dignos quidem eo maiore laude, quo patriae salutis magis quam suae memores, volentes et scientes ad bellum ibant, cuius propter praesentem regni statum haud laetiorem eventum sibi, quam qui secutus est, divinabant futurum.

Agebatur interea in frequenti Regis consilio de transitu Dravi occupando, iam ab hoste Savum copiis traductis, ut arcibus castellisque omnibus, quaecumque sunt ad Danubium sita, aut dirutis aut incensis, praeriperetur illi commeatuum facultas. Nam proxime Vilachi arce occupata ducere Ezechum dicebatur, qua commodissimum esse Dravi amnis transitum superius commemoravimus, id quod ne accideret, omni ratione erat providendum. Ita qui castellum occuparet, simul prohiberet transitu hostem, Palatinus eo cum copiis mittitur, iussis e nobilitate praecipuis quibusque cum iis militibus quos secum adduxerant, eum ducem sequi. Quod quidem magna cum offensione auditum, paene in castris seditionem ingentem excitavit, palam multis frementibus, a Rege nobilitatis iura et maiorum instituta violari, quibus stantibus nemini umquam licuisset, ne Regi quidem, adeo nobilem hominem cogere sub cuiusquam signis militare, cum eo ipso semper in bello merere assuetum. Indignam rem et minime ferendam, confundi civilia iura; tolli discrimen ordinum, nobilitatis insignia, principem inter suos locum, titulos, honestiores militiae ordines, quae posteris maioris virtutis praemia, et in patriam pietatis, maxima reliquissent. Non metu se urgentis mali deterreri: didicisse a maioribus hostibus ultro obviam ire, aequo iniquo loco pugnare, inferre signa, opponere pectorum robora infestis armatorum agminibus, vitam, quae natura mortalis sit, pretium immortalitatis facere. Id unum non posse pati sibi imperari, ut cuiusquam signa, praeter regia sequantur, qua in re non de sua dignitate solum, sed de Regis etiam constantia agatur. Nobilitati semper superiores reges praecipue indulsisse, et ad eum diem Ludovicum maiorum auctoritatem se-

cutum; diserte certe maiores legibus latis cavisse, ne qui eius ordinis esset, sub cuiusquam signis cogeretur militare. Hoc maximum semper fuisse regum decus, ut qui amplissimo ordini cum potestate praeesset, idem Rex, idem nobilitatis dux, quemadmodum dignitate, ita re gerenda princeps, adversus hostem praesens gereret bellum: hoc fuisse solatium, hoc praemium laborum, quibus nobiles homines, domi militiaequae fungerentur, ut unum agnoscerent Regem, cuius imperio parerent, sub cuius signis militarent, cuius ductu atque auspiciis rem gererent: cum aliis, quantumvis potentia opibusque excellerent, in eadem aequabilitate pares continerentur: hoc ius, hoc fas postulare, ut cuius liberalitate et munificentia partum a maioribus locum multis commodis atque honoribus aucti tuerentur, pro eius salute, dignitate, imperio, ad arma ire, stare in acie, excipere vulnera adverso pectore, mortem occumbere non dubitarent. Quam constantiam eo aequius esset eos praestare, quo magis intelligerent, cum regis salute, totius regni, cum omnium exitio unius exitium et ruinam esse coniunctam. Haec quamquam a turbulentis hominibus nobilitatis tumore inflatis, contempta maiestate regii imperii iactarentur, et res ad seditionem spectaret: viri graves et periti rerum, qui quorsum tenderent tam importunae voces non ignorarent, inani ambitione furentibus ire obviam non dubitabant, cum quidem clientium manu circumfusi, qua vehementius seditio orta exardescens in apertam vim eruptura videbatur, non esse ea reipublicae tempora dicerent, ut quae certa essent nobilitatis iura, quae maioribus immunitates a superioribus regibus, quae militiae vacationes datae (quae disceptatio forensis operae, atque otii esset) viris fortissimis, quibus mos

esset pro patria, forti atque alacri animo rerum omnium aleam subire, disquireretur; quorum omnium discrimen hostis, qui in vestigiis haerens iugulis omnium haberet intenta tela, sustulisset. Vngaris unam esse militiae vacationem, ubi aetas annis gravis vires, aut morbi vis debilitaret: quamdiu vires vigerent, nullum vacuum tempus a gerendis rebus, a perfungendo officio, a bene merendo, cum de aliis omnibus, tum de patria, ac de suis civibus dari. Neque vero usquam maioribus, quorum aemulari virtutem posteros aequum esset, sub cuius signis militarent, cogitare venit in mentem: sed pro quorum imperio, salute, libertate, ut quemcumque ducerent militiae ordinem, quamquam infimus etiam esset, sibi honestum, dum fortibus factis dignos se maioribus honestioribusque ostenderent, censerent; longe ab eo abessent, ut honorem sibi aut ab ordine, aut a loco, aut a ducis nobilitate, modo ille virtute et altitudine animi munus quod gereret aequaret, spectandum arbitrarentur. Honesta quidem munera regum esse, quibus bene meritos de republica homines impertirent, quaeque virtutis ornamenta, non fortunae haberentur; sed multo honestius iis nolle uti ubi reipublicae tempora postularent, quae neminem eximeret a pietatis munere patriae praestando. Ita enim reges indulgere suis, immunitates dare, remittere de summo iure, ut eorum indulgentia parce uteretur vera virtus et patriae caritas, quae nullius imperio cessare a bene gerenda re, et quae praeclara essent, ultro agere consuevisset. Ferocem hostem, elatum successu instare, qui postularet a seditiosis hominibus, ut quam ferociam ostenderent domi tuendo privato iure; in acie pugnando, feri-

endo hostem, vulnera, mortem contemnendo, mandata, reipublicae munera impigre obeundo, praestarent; ita statuentes, gloriam et nomen, cuius iactarent cupidos esse, contemnendo, non ferociter, contumaciterque ambiendo se adepturos. His virtutibus tueri debere nobilitatis iura, qui maiorum recte factis partam domi segnes otiosique ostentarent: a quo longe abessent vere Vngarorum ingenia. Militem decere, si de iis disceptandum esset, pro foro castra, pro iudice armatum imperatorem, qui pro cuiusque merito de his pronunciaret, agnoscere; eos vere nobiles iudicaturum, qui robur, fiduciam animi, vim, adversus hostem in pugnam afferrent. Virtute et magnitudine animi, qua freti maiores, dignas res immortalitate gessissent, non litibus et iurgiis, qui vere nobiles essent, qui parum digni maiorum gloria, diiudicandum. Ita posteros haereditariam nobilitatem per manus a maioribus accepisse, ut discerent eorum exemplo, „ubi conspicerentur regia signa, ibi Regem esse; ducibus parere, cuiuscumque illi ordinis, loci, fortunae, Regis personam referrent: non esse suum de his, sed horum de se iudicium: militis esse partes, praesto esse duci, ad accipienda imperia, in expeditionem ire, obire vigilias, contra hostem pugnare, in castris sedatos animos, feroces in pugna ostendere." Neque vero eam esse caussam recusandi Regis imperium, quam videri vellent, sed quibusdam quasi involucris tectum timorem, natis Vngaris indignum, quem dissimulare, tegentes inanibus nobilitatis titulis haud possent: „Raro vero timidos non persoluere, quas fugerent, poenas": neque enim minus vere, quam eleganter dictum: „Mortem fugaces persequi, nec parcere imbellis iuventae poplitibus timidoque tergo." Quanto vero speciosius, ut Varadinenses propugnatores paulo

ante, ut alii multi, maiorum memoria, mortem pro patria pugnando, quam domi inerti otio consenescendo, obituros?

His prudenter, et copiose, ut eius temporis angustiae postulabant, studiosi Regis homines refutare nobilium hominum importunam petulantiam, ortum tumultum seditiosis vocibus alentium conabantur, nequidquam de communi salute solliciti: qui tamen obfirmatis animis pertinaciter in suscepto consilio perstiterunt adversus horum voces verissimas. Ita Rex sive suorum contumacia, sive, quod vero propius est, dei immortalis decreto inexorabili, cui non poterat obsisti, omisso in praesentia consilio de hoste transitu arcendo, quod unum rebus omnibus praevertendum erat, ducere Mohatium militem constituit, ignobilem locum, et obscuri nominis, insigni sua et suorum clade nobilitaturus. Minime visum est hic silentio praeterire, quod iratus Rex frequenti senatu dicere auditus est, cum haec ipsa nobilium caussa ageretur: referam vero eadem verba fere, quae Brodericus gravis auctor ex Regis ore excepta litteris mandavit. Video, inquit, unumquemque vestrum capitis mei periculo securitatem sibi et salutis spem quaerere: quod quando visum est, ego vero lubens, et personam, quam gero, et vitam simul, quae mihi vestra caussa carior est, pro vestra salute sum in omne fortunae discrimen obiicere paratus, atque hoc equidem, ut vobis quid agendum sit, non oratione magis quam re et exemplo ostendam. Itaque, ne cui vestrum liceat in posterum tam turpi excusatione uti, et praetexere suae ignaviae nobilitatis iura, quae res vestros animos plus aequo angit, neve quid mihi vitio dare, quod parum dignum regis persona sit, cras deo bene iuvante et nostris favente

inceptis, vobiscum ibo, quo pridem mecum vos ire recusastis, superbe in his, quos duces vos sequi voluimus, imperii maiestatem et nostri nominis contemnentes. Quae vestra contumacia animorum est, adversus Regem vestrum suscepta, vos salutaria monentem, ne in vestra capita vertat, neu sit reipublicae fraudi, quam vos decet vestra salute habere cariorem, eum ipsum deum immortalem oro, cui supplicibus votis et iustis precibus placato desertam ac proditam a vobis patriam permitto, quantum vires hominum ferant, non sanguini non vitae parcens, patriae in hoc meae adolescentiae flore, quem illi, ex animi sententia volens et sciens devoveo, affuturus.

Hanc Regis orationem admiratio omnium, miseratio paucorum subsecuta est, quibus ea mala ob oculos versabantur, quae aegre Rex effugere, sine caede multorum posset. Ergo cum ab eo divelli nulla spes esset, frustra iis profectionem dissuadentibus, quibus assentiri magnis de rebus consueverat: postridie eius diei, quo haec acta erant, classico signum profectionis dari et se omnes ad iter parare iubet. Ita Tholna profectus, alteris castris Batham pervenit, pridie eius diei, quo die assumptae virginis in coelum solennia sacra celebrantur. Is dies est XIX. kalendas Septembris. Inde percrebrescente fama de hostium adventu, negotium dat regiis praefectis, ut palatos milites per circumiectos pagos, et per agros dispersos iubeant Batham convenire, mox ad Tomoreum, et ad Georgium Palinam Bosnensium pontificem mittit, qui iis significet, comitia indicta de imperatore deligendo qui Tomorei collega bello gerendo praeesset, quae haberi illis absentibus nolit, et differri ulterius non possint: properent Batham venire, ut praesto Regi sint de sum-

ma republica consulenti. Multos se habere in consilio, quorum aliis usus, peritia rei militaris, ut minime de voluntate dubitandum sit, aliis desit: in quibus prudentia, et fides sit par, perpaucos se habere. Paruit Tomoreus, etiamsi satis gnarus, facilius factu, tanto muneri tuendo aptum, quam qui aptus imperando tam corruptis et depravatis militibus haberetur inveniri, quibus tanta in Regem contumacia impune processisset. Profecto Batham Tomoreo, cum Rex iam per idoneos e suis homines, exploratis militum animis, animadvertisset ingenti consensu in Tomoreum omnes propendere, iam ante de consilii sententia ducem declaratum, cunctis praeteritis, tanta erat de eius virtute apud omnes opinio, ei totam summam belli gerendi administrationem mandavit; ne videretur tamen Rex nobilitatis minus rationem habuisse, dato Georgio Scepusii fratre, id ipsum sua sponte poscenti, imperii collega, qui et familiae amplitudine, et paternis opibus, ut flore ac robore iuventae inter paucos eminebat. Hoc Regis iudicium ut multitudo, quae erat Tomorei tota, magno plausu excepit, ita e nobilitate nonnulli iniquo animo tulerunt; maior enim pars illi suffragata erat, cum ob aliarum virtutum commendationem, tum ob rei militaris scientiam, quam quidem non respondisse hominum opinioni, ubi eius est periculum factum, non magnopere mirandum, eius temporis angustiis id postulantibus, ut cum non esset, qui excelleret et summam teneret, qui proximus esset a primo, pro summo haberetur; verisimile quidem est, ut Rex de suorum sententia huc descenderet, eorum exiguum numerum fecisse, cui recte tantum munus posset mandari periculoso reipublicae tempore, in quo ne leviter quidem peccari sine certa omnium pernicie posset. Sed et ii

ipsi sensim eius facilitate et comitate deliniti, cum in militari habitu religio et sanctitas morum animos in eius admirationem traheret, facile dicto audientes fuerunt. Namque ad hunc hominum consensum, insignis eius moderatio accedebat, de cuius honore agebatur, quae virtus ad minuendam invidiam magno semper usui atque adiumento fuit: nemo vero eo ipso magis, cui habebatur honos, Regi imperanti obsistere, adversari, deprecari sibi gravem atque arduam provinciam impositam, belli ingentem molem a patriae cervicibus amoliendi, cum a nulla alia re minus, quam ab ea virtute diceret se paratum, quam tantum requireret belli munus. Nullas in se conspici virtutes, quae imperatori auctoritatem apud eos conciliaret, in quos obtineret imperium, id quod desiderari in re gerenda sine magno incommodo haud posset: multa esse, quae, si quam partam haberet, auctoritatem elevare plurimum, minuereque viderentur. Male vero cum eo agi, „qui auctoritatem ab honore et munere, quod gereret, non a domesticis virtutibus haberet quaesitam: hoc aequum et ius postulare, ut non prius quis acciperet aliorum suffragiis delatum honorem, quam suo ipse iudicio statueret se esse honori gerendo parem.“ Habere Regem nobiles homines, in quibus cum esset dignitas summa, quae illam aequaret, virtus aeque insignis et prudentia inesset, Stephanum Palatinum, Scepusium, Perinnium, alios, qui quam auctoritatem spectari in imperatore oporteret, non solum partam haberent maiorum meritis, sed etiam suis. Si quid ipse usus in re militari aliquando habuisse creditus sit, totum id genere vitae interpellatum, quod longissime a licentia armorum abesset, iam pridem exolevisse; qui tamen si adesset, si aetas, si animus vigeret, de se id polliceri posse, quod

militem non impigrum, et duci verbo audientem praestare aequum esset, sive in expeditionem ire, sive cum hoste conserere manum, sive pro muris pugnare, sive alia militaria munera obire oporteret: numquam ita alte extulisse animum suae imbecillitatis parum memorem, ut quasi aliquando esset par ducis muneri obeundo futurus, statueret sibi imperatorias artes addiscendas, satis gloriae se adepturum arbitratus, si quemadmodum dux suis recte imperando, ipse bene parendo militis partes sibi statueret praestandas. Non negare se quidem Regis imperio parendum: sed illud tamen addere, quantum quisque posset, id agendo quod Rex imperaret, spectari oportere; quod nemo prius sciret, quam is qui conscius suarum virium, imperium cui se imparem nosset, detrectaret. Cum nihil sibi certius esset, quam in eo Regem falli: nolle se committere, ut quod ipse imperitia peccaret, haud sufficiens imposito muneri, et Regi ipsi et universo adeo regno Vngariae esset fraudi, cuius salutem se vita et sanguine esset redimere paratus.

Rex cum de suorum sententia semel statuisset omnino id reipublicae conducere, Tomoreum, quamquam ille et palam cum aliis, et cum eo ipso coram questus plane se inexorabilem illius postulatis praeberet, quod iam erat in sanctiore consilio actum, praeesse cum imperio iubet. Dicitur et Georgius Scepusius, qui illi collega addebatur, multis precibus a Rege contendisse, ne pateretur a Tomoreo se in sententiam perduci, cuius fiducia fretus passus esset, se illi collegam dari, cum, et illud adderet, se belli administrationem ea lege suscepturum, ut integrum sibi ius relinqueretur, ubi frater adveniret, sese imperio abdicandi. Quod quidem dicitur Rex passus a se impe-

trari, ut si quid ex vetere simultate animo resideret, quod gerenti rem esset impedimento, id quod in tanto reipublicae discrimine omni erat studio cavendum, per hanc Regis moderationem et facilitatem, omnis offensio e fratris animo obliteraretur. Quin et sua sponte iam Ludovicus constituisse ferabatur, ut per tres duces, quorum erat in re militari spectata virtus, Scepusium, Frangipanem, Tomoreum res gereretur: quominus id accideret, eorum cunctationem et moram, hostium alacritatem, qui nihil sibi reliqui ad summam celeritatem facerent, obstitisse. Nam Nicolaum Salmensem, ne Regi in tanto momento rerum gerendarum adesset, domi valetudo adversa detinebat, propter excellentem virtutem, et rei militaris scientiam, cuius ad eum diem praeclara dederat documenta, magno usui, adeo difficili patriae tempore, ad rem gerendam futurum. Ita delectus Tomoreus exercitus imperator, Regi fere omnibus ad unum assentientibus, quorum auctoritas maior in regni procuratione erat; ut satis mirari non queam, unde Iovio haustum argumentum ad maledicendum viro fortissimo atque innocentissimo, in quem ita acerbe invehitur, ut aegre iudicari possit, ubi stari illius testimonio oporteat, graviorne culpa Regis fuerit, qui illi detulerit in suos imperium, an eius, qui acceperit delatum, cuius tam temeraria atque inconsulta ratio toto bello administrando fuerit. Equidem sive haec ab aliis mutuatus, ita temere sibi mandanda litteris censuerit, sive ita volens et prudens, cum speraret se cuipiam gratificari, qui minus aequus Tomoreo esset: habeo in quo scribentis desiderem fidem, certe gravitatem et constantiam requiram, quod haud levius peccatum sit in rerum scriptore habendum. Cum vero alii non desunt, quos sequar auctores, gra-

ves homines, et quibus erant Tomorei mores perspecti, tum qui omnibus his rebus gerendis, quibus ille praefuit, interfuerunt. Neque vero iis ulla mentiendi caussa, cum Tomorei caedes, ut alia omittam, scribentibus ad gratiam, praemii spem omnem praecidisset. Nam si quando visus est vehementius cupiditate pugnandi exarsisse, quam callidum ducem deceret, et longo militiae usu exercitatum, id quod accidit sub proelii tempus: id egit optimam rationem secutus, cuius nunc non est commemorandi locus. Ambitiosum vero Iovius vocat, cuius tanta constantia fertur fuisse Colocensi sacerdotio reiiciendo, ultro sibi a Rege oblato, ut quamquam ille per interpositam suam auctoritatem illum in sententiam traducere niteretur, non prius passus sit ab se impetrari, quam Clemens Pontifex legibus soluto potestatem fecerit et ordini, cui se devoverat, renunciandi, et sacerdotio fungendi, a quo erat maxime aversus. Iam, quae in comitiis de imperatore deligendo egisse eundem commemoravimus, ut Regem ab incepto revocaret, obfirmate in suscepta sententia perstantem, ita multi sunt, qui affirmant, ut uni Iovio ab his dissentienti fidem habere, scriptori, id quod omnes noverunt, mendacissimo, scelus possit videri.

His ad hunc modum administratis, peritos homines rei militaris duces Mohacium praemittunt, qui loci situm, et circa regionem omnem, cum cura contemplati, castris idoneum deligant locum. Ignobile oppidum ante nostrorum cladem, unde illi nominis celebritas est, in ditione Quinqueecclesiensis pontificis erat: nunc Turcae vectigale, eorum quibus in Vngaria potitur, minima accessio. Opportune vero ad Danubii ripam, medium iter Batham, et Dravum, qua Danubio

miscetur, positum est. Danubius Batham praeterfluens, duos alueos efficit in duas diversas partes diffusus: alius qui maior est, ulteriorem Vngariam, quae campestris et plana est, mediam dirimit; minor duo oppida Batham Mohaciumque alluit. Inde e diverso infra Mohacium sensim iidem coeuntes, insulam efficiunt, quam Felmohatium populares, hoc est Mohacium superius, loci naturam secuti, appellant. Et Mohacium quidem, sive illud oppidum appellari, sive pagum lubet, satis frequens aedificiis atque incolis locus, longe lateque prospectum in subiectam planiciem habet, quae, ut diximus, plana atque demissa, nullisque collibus discriminata, undique oppidum cingit. Quinqueecclesias ab occidente sola, quae insignis civitas fuit, quamdiu regibus paruit, Batham a Septemtrionibus spectat, ab oriente, minore Danubii alueo, Dravo a meridie, inde circiter quatuor millia passuum, clauditur. Totum hoc spatium, quod inter Mohacium et Dravum interiacet, colles nitidissimi, ubique arboribus et vineis consiti tenent, ut tamen alicubi palustria loca, inprimis haud procul Mohacio, admittat. Aquam incolae, qua late inerti eluvie diffusa stagnat, et palustre solum efficit, Crasso appellant. Vltra eum locum Tomoreus circiter sex equitum millia, ex iis, quos aut ipse a principio armaverat, aut Petrus Perinnius aliique ad eum adduxerant, in castris habebat. Eos Rex traductos in citeriorem amnis ripam, ubi cum omnibus copiis consederat, ad se Tomoreum adducere, et quamprimum coniungere cum suis iubet. Ita Tomoreus Mohacium profectus, cum idoneo loco castra posuisset: secum Perinnio assumpto ad suos rediit, quos ultra eam paludem in castris reliquerat. Erat autem illius consilium, ubi se illi traduci in sententiam patere-

tur, id quod minime facile factu futurum propter insitam animis ferociam, ac praeposteram fiduciam sui intelligebat, ad Regem adducere, in eius potestate, cuius imperium contemnebant, haud facile futuros; sive enim consulto vani rumores a Turca ferrentur suas vires ad eludendam Vngarorum ferociam dissimulante (nihil enim eorum, quae in castris fiebant, ignorabat), sive sua sponte stolida sui fiducia tumentes, tanto viribus inferiores, iam victoriam de hostibus animis praecipiebant, nihil laturi iniquiore animo, quam perexiguam exitii moram, immani fato, praecipites vesano furore in rabiem agente: sibi quidem persuaserant, id quod aeque in contuberniis atque in conferta militum turba procaciter petulanterque iactabant; inermem multitudinem, ex colluvione omnium gentium collectum militem, quorum vix centesimus quisque esset in hostem pugnaturus, non secus ac trepida pecorum armenta temere per saltus et prata vagantium, subito excitato clamore se in fugam acturos. Iam et illa a ducibus commemorabantur, quibus militum imperita multitudo suam spem foveret: a magnis ducibus saepe parva manu fusos et victos hostes, copias innumerabiles ad bellum trahentes, et quidem patentibus campis, atque apertis, ne quando videri possent, loco magis freti, quam militari robore et magnitudine animi vicisse. Ad explendas fossas in urbium expugnationibus, et retundendos sua caede hostium gladios, infelicium capitum agmina ab hoste barbaro duci, ob eam caussam hac luce fruentium, ut quorum vita nullius usus haberetur, esset mors compendio, et vitae occasus. Iam, et nostrae et superioris aetatis exempla clarissima commemorabant: ab Alexandro Macedonum rege parva manu Darium victum, a Lucullo Ti-

granem, a Caesare in Asia Pharnacem, in Africa adversariorum copias innumerabiles, cum corona circumdato exercitu, pugnaret miles virtute animi ingenti, exiguis subnixus viribus; a clarissimis aliis belli ducibus insignes victorias et triumphos de hostibus deportatos; cum adversus multitudinem et numerum pugnaret virtus et robur animorum, quae una semper invicta sua vi stetisset. Vngarorum animos ignominiae insolentes, rei militaris dedecus redimere vitae iactura consuevisse, neque posse pati, ut, quo tempore ultro armati occurrere hosti deberent, retrocedendo fiduciam hosti signa infesta inferenti, suis iniicerent metum, quibus ex hostium audacia vires minuerentur: quarum conscientia nisi in vultu, in oculis, in dextris emineret, ultro appetendo hostem, lacessendo, urgendo, ne animo quidem vigere diu posset. Nam si quis esset, qui existimaret, secum veteranum militem Solimanum adducere, eum longe falli. Invictam illam delectorum militum manum, cuius forti fidelique opera usus esset, superioribus expeditionibus Parthicum, Vngaricum, quod novissimum cum Rhodiis gessisset maritimum bellum, id quod accidere necesse fuisset, absumpsisse. Numquam vero Turcae, etiamsi immensas vires et innumerabiles iactaret copias, de Christiani nominis propugnatoribus, sive terra, sive mari rem gereret, incruentam victoriam referre licuisse.

Haec certatim commemorando concionantium in morem, non solum militum ductores alii, et quos insigniores militiae ordines honestabant, sed e vulgo etiam nonnulli, quorum audaciam linguae impunitas alebat, usque eo omnium animos accenderant, ut non de victoria quam haberent exploratam, sed de victoriae praemiis, inflati vana opinione sui, cogitarent. Vt

vero minime dubia essent quae iactabantur, ita longe alia ratio Vngarorum erat, atque eorum quorum exempla commemorabant, qui ita exiguam militum manum adversus numerosissimos exercitus duxerant, ut pro iis summa virtus, rei militaris scientia, usus, pectoris robur, summo duce administrante militare imperium pugnarent. Neque enim dux erat cum duce, neque cum milite miles conferendus, cum non temere quisquam ex his esset, cuius non plura monumenta gloriae, quam stipendia numerari possent. Ita Alexander adversus Darium invictus, adversus Tigranem Lucullus, Caesar adversus Iubam in Africa, et Pompeii duces adversus Pharnacem Ponti regem vicisse. Nam quod Rex per Tomoreum detrectantes imperium in castra adducendos curasset, eius rei caussa quemadmodum suspicabantur, ut Rex in contumaces, et imperii impotentes animadverteret, quae illos cura maxime sui conscios angebat, id ita interpretabantur, ut in principes et patres auctores eius consilii referrent, quos libero linguae convicio lacerabant, quasi qui specioso prudentiae nomine, timorem insitum animis aversi a fortioribus consiliis tegerent. Neque vero eos, id quod credi vellent, propterea refugere a conserenda manu, quod aut Regis cura aut communis salutis tangerentur: sed metu amittendi, quae parum honestis rationibus parta haberent, sacerdotiorum opima vectigalia, latifundia, uberes agros, pagos, arces, urbes: quae tamen, quando instaret armatus hostis, qui illi e manibus male parta extorqueret, quamnam illis spem tuendi reliquam, nisi confugerent ad arma? Avertendos, ablegandosque adeo quam longissime a Regis consilio, qui virilem illius animum mollire effeminareque conarentur, tutis quidem consiliis, si quis apud eum Re-

gem ageret, cui tuta essent ab honestis separata, sed parum Rege eo dignis, cui nihil posset tutum haberi, quod non idem cum honestate coniunctum esset. Meminisse eos debere, quorum auctoritate Rex publicam rem administraret, cum eos perrogaret de republica sententias, ponendam sibi privatam personam, et eius sumendam a quo consulerentur: multa enim esse, in quibus privato esset connivendum, ut minus etiam honesta viderentur: „nihil in rege non ad virtutis normam, atque honestatis exigendum, qui gravem sibi eam vitam putaret, in qua haereret quantumvis minima infamiae labes“: a quo ingenio qui abesset, haud dignum habendum, qui Vngaris imperaret, qui non ab hoste fugiendo, sed ab insectando fugientem, cum stante pugnando, cessantem lacessendo, non copiis, non viribus, non numero validiori concedendo, vitam in acie pro patria profundendo, merere stipendia consuevissent.

Dum ita milites tumultuantur, iam ad Mohacium, a ducibus, ut diximus, praemissis qui castris idoneum locum deligerent, omnes regiorum copiae convenerant: Rex in proximo pago (Novam Villam appellant) inter Batham et Mohacium sito, cum paucis agebat, non sine magno periculo, ubi id hostis rescisset, quod facile accidere poterat, cum omnia essent, ut belli tempora ferebant, exploratorum plena, in illius potestatem veniendi. In eo pago quiescentem, intempesta iam nocte, nuncius a ducibus missus, cum incredibili celeritate usus esset, interpellat, atque hostem Dravum transisse, cum magna copiarum parte docet: ut nisi animum a pavore colligat, et se statim ad suos recipiat in castra, brevi futurum sit, ut imparatus ab omnibus, opprimatur. Imminere pugnae discrimen, quae

ut differatur, non iam amplius in illius potestate sit, sed in rei gerendae opportunitate, quam hostis a Rege oblatam parum suae dignitatis memore, haud sit neglecturus. Hoc nuncio Rex accepto, e suis acciri iubet, quos eo tempore consulere de summa reipublicae consueverat, magnae virtutis atque auctoritatis homines, cum iis de summa rerum consultaturus; dilapsi enim iam sua sponte e regia, quos suis non Regis temporibus servientes, praedandi spes, quae nulla iam erant, destituerat. Neque ullus tamen consilii usus, rebus ita perditis, ut certa omnia ad exitium, dubia omnia ad spem salutis haberentur: quo in statu ubi res sunt, ne prudentissimus quidem vir, et magni consilii habeat, quod de his consultus in medium afferat. Per eos dies Rex a Scepusio litteras acceperat, quibus quae illius sententia esset de toto administrando ac gerendo bello, docebatur; praesenti rerum statu, in quo quidem cum regni universi salute privatorum fortunae salusque periclitabantur, per voluntariam simultatum oblivionem, omne personarum discrimen tollente, sive amicus quis, sive minus, qui modo consilio praestare et sapientia crederetur. Erat vero illius consilium, ut minus in praesentia speciosum, ita in posterum tutissimum, id quod brevi postea docuit eventus: necessarium certe maxime, ubi quis vera et salutaria, ab iis, quae vana et in speciem honesta, secernere novisset: censebat enim Regi procul ab hoste in interiora regni recedendum, quamdiu locus receptui esset; minime certe committendum, ferocia consilia suadentes ut temere coniicerent et Regis caput, et universas regni fortunas in unius horae discrimen. Rem esse cum hoste, qui paratissimum etiam Regem nactus ab iis rebus, quae desiderari recte non possent magnum ge-

renti bellum, dubiae illi pugnae eventum facturus videretur. Quamdiu in itinere subsisteret, dum ipse e Dacia Transilvanorum copias, e Boemia alii, Silesia, Moravia, Austria auxilia adducerent, omnibus viribus dandam operam, ut se suis locis teneret, ne invitus manus conserere, tanto inferior viribus, cum hoste acerrimo, et a rebus omnibus paratissimo cogeretur. Se quidem, ut primo quoque tempore cum regiis copiis suas coniungeret, dies noctesque accelerato itinere, operam daturum. Quando aliunde non liceret extremis rebus petere subsidium, non ab exterorum auxiliis, non a domesticis copiis, non ab alia humana ope, quam frustra Vngari implorassent, a tempore subsidium petendum. Saepius quidem consilio, quam armis bene rem gestam: numquam non laetum eventum rem gerentem secutum, ubi consilium cum viribus coniunctum consociatumque haberet: quo quidem qui carerent, belli summam verti in una rerum et temporum opportunitate existimantes, iis minime mirandum esse, si ea ipsa opportunitas in fraudem verteret inconsulta temeritate atque audacia corrupta, qua plus aequo efferri ferocem et seditiosum militem, destitutum beneficio temporis, consilio, viribus quod gravius sit, magno suo cum dolore, et Regis et reipublicae caussa audierit. Quod vero eorum consilium esse, qui iuvenem Regem, in quo uno sit posita totius regni salus, cum viribus suis diffidat, externis auxiliis nullis sublevetur, confligere cum hoste formidolosissimo audeant; cuius qui declinare impetum cedendo queat, is multum assecutus videatur. Quem vero exitum tam praecipitis consilii esse? Hocne illos agere, hoc moliri, ut Solimano inhianti, per innocentis regis sanguinem, regni fortunas, per se satis opimam praedam,

ut nulla praeterea accessio quaeratur, hac una illi mactata victima, gratiorem uberioremque reddant? Militum ferociam, tanta animorum contumacia poscentium pugnam, tum futuram usui, cum qui eam moderarentur, ratione et consilio, eos ipsos amentia furentes in potestate haberent; nimiam ferociam atque audaciam arma ad perniciem, non ad salutem suppeditare: id quod clarissimis vetustatis exemplis permultis doceri posset. Bellis magnis gerendis, saepe animadversum, quae initio parum speciosa consilia viderentur, progressus meliores honestioresque habuisse, nonnumquam stravisse ad certam victoriam viam, prudenter suscepta aeque certa ratione et consilio administrata. Docuisse olim clarissimos imperatores, ab iis posse vinci ferocem hostem et semper victorem, qui cunctando et tergiversando, nitentem invictis viribus, ipsi viribus inferiores ludificarentur: „semper vim consilio, prudentiae temeritatem, verae virtuti inanem iactantiam concessisse:“ cuius rei documentis multis essent referti veterum annales: ut peccare belli dux sine insigni nota flagitii haud posset, cui e magna exemplorum copia, quae in rem essent, liceret mutuari. Quod semel monuisset, se etiam atque etiam orare, obtestari regios duces, quorum consilio Rex fluctuantis reipublicae adeo saeva tempestate gubernacula tradidisset, quamdiu per hostem liceret, sibi statuerent retro conversis signis receptum in interiorem Vngariam quaerendum, aut in regiam urbem, aut in locum opportuniorem, si quis modo esset, quo quidem, id quod esset sperandum, brevi universi regni viribus contractis, accessus hosti difficilior, honestior, tutiorque Regi eruptio de loco superiore, validior certe in subeuntem futura videretur.

Haec ferunt Scepusium insigni cum fidei et prudentiae laude significanda Regi curasse, et superioribus diebus per alios, et postremo per Ioannem Statilium, perspectae ut diximus virtutis hominem, qui affirmaret, quas copias esset Scepusius e Transilvania ducturus, ita militum robore, exercitatione, rei militaris usu, firmas validasque, ut iis regiis adiunctis minime esset de victoria dubitandum. Ita, quae copiae in praesentia, propter militum exiguum numerum, ingentem hostium, vix Regi praetoriae cohortis loco, si vetusto regum more Rex proficisceretur ad bellum, futurae viderentur, iusti exercitus formam expleturas; ut si se occasio daret, et hostis proelio lacesseret, sua sponte bene animatis militibus, ex conscientia domesticarum virium, recte pugnandi potestas fieri posset. Iam a Frangipane, cuius hominis erga se fidem prudentiamque Ludovicus exploratam habebat, eadem e Croatia scribebantur: ut non posset dubitare, quin, quod consilium ratio tueretur, et auctoritas summorum virorum comprobaret, optimum idem, tutissimumque esset. Litterae quidem hoc scriptae argumento ferebantur: Audisse quidem se, quae Regis sententia de receptu esset, et prudentium hominum, quos in consilio haberet, quibus parere de republica recta suadentibus, argumentum verae regiae indolis haberetur: sed aeque magno cum dolore audisse, pro sua in patriam pietate, quominus tam salutari consilio uteretur, prohiberi militum consensu seditiosorum hominum, atque quorumdam auctoritate, qui copiarum duces, iis plus aequo ambitiose indulgerent, severe certe minus, quam ratio rei militaris pateretur, quam dissolui continuo necesse esset, ubi miles imperatori praescribere, imperator militi verbo non audienti oc-

currere auctoritate et potestate legitimi imperii non auderet. Ab iis in castra Mohacium Regem vocari, praepostera ratione, et non sine gravi nota violatae in Rege maiestatis, cuius nomen apud maiores, ut non apud alias gentes magis, augustum semper et sacrosanctum fuisset. Quid vero turpius, quam qui ipsi vocati venire ad Regem recusarent, salutaria monentem, audere Regi praescribere, ut ad se veniret, de belli ratione ex sua sententia consultaturus? de quo adeo tetro atque immani scelere, si senator in regis consilio rogatus sententiam diceret, levem se poenam credituruum decernere, ubi ex vetere disciplina, tam seditiosum militem decimandum, atque ad supplicium rapiendum censeret. Quam vero rationem sequi, qui tam perditam caussam desperatamque tuerentur? Dicitur flagrare milites cupiditate pugnandi spe certa victoriae incensos, id quod rei militaris periti homines illis persuasissent, ut nisi Rex militum ardore uteretur, frustra longa mora et cunctatione restinctum esset desideraturus; relanguescere enim animos primo illo ardore restincto, et de viribus plurimum remitti, quantumvis antea per se visae essent vigere; cuius rei culpa, et Regi simul, et iis qui auctores tam perditi consilii essent, videretur esset adscribenda. Quae quidem ita vera essent, ut ea temporum et gerendarum rerum ratio variaret: ut enim Vngari, propter insitam generi ferociam, maxime pugnae studio calerent, doceri debere, esse certos fortitudini praescriptos fines, ut quae hominum vires cum perficiendi spe aequarent, viri fortes aggrederentur, „maiora viribus ne tentarent, non ignari saepe fortitudinem in temeritatem verti.“ Non hoc postulari a viro forti, ut uno ictu montes solo aequaret, urbes maximas everteret, obiectis ad cae-

dem XX armatorum millibus in certamen descenderet, adversus CCC armatorum millia pugnaturus; quorum magna pars usu atque exercitatione bellandi, ut quis plurimum Vngaris faveret, non essent inferiores habendi. „Nihil capitalius haberi in bellicis rebus, quam hostem contemni, quantumvis imbecillum, atque exiguis *(viribus)* instructum; saepe enim contemptum de iis insignes victorias retulisse, qui elati inani fiducia, quem non deberent, contempsissent.“ Animi ardorem in milite, si non adesset, omni ratione debere excitari; cuius rei caussa, ubi esset in aciem descendendum, signa concinere, tolli clamorem, cetera agi consuevissent, quae rei militaris ratio postularet: sed ne animorum ardor in furorem et praecipitem temeritatem militem ageret, laborandum; quo furore tum correpti Vngari, per equitum et peditum praefectos, emollitis animis, ad sanitatem essent perducendi. Eius rei si deplorata spes esset (utinam falsus vates mente atque oratione in tam tristi ac diro omine deliraret), de universi regni salute esse desperandum.

Ita animi dubius Rex, cum ancipiti cura torqueretur, praecisa omni spe, quam in partem ratio suaderet, contumaces militum animos perducendi, ne hoc quidem potuit a praefectis impetrare, ut eorum auctoritate a pertinacia abducti resipiscerent, qui, vellent nollent, iis morigerari cogerentur. Quae quamquam ita essent: quo maiore tamen cum sceleris infamia iterum moniti intelligerent se in tam scelerato incepto perstare; per graves, et prudentes homines, quos a se avelli tam necessario tempore temere non patiebatur, tentare eorum animos constituit, ac, si fieri posset, et qui auctores tam praecipitis consilii essent, et qui adducti metu in eorum sententiam concessissent, ad sa-

niora consilia revocare. Qua re ita constituta, eadem ferme hora, cum longius ad deliberandum spatium in magnis temporis angustiis non relinqueretur, cancellario viro impigro negotium dat, ut in castra celeriter contendat, ac quae Regis sententia sit, cum belli alios duces, tum Strigoniensem Pontificem, Palatinumque doceat: sperare enim, ubi adductum se prudentium hominum consilio atque auctoritate ita sentire intelligant; temerariam sententiam, quae tristis eventus sit, et in rerum omnium discrimen Regem et nobilitatem omnem adducat, ei, quae tutissima explicatissimaque sit, minime praelaturos. Eodem fere collectas universi regni vires, quidquid roboris in Vngaria sit, lectissimam iuventutem, florem nobilitatis, tot patriae lumina, tot viros fortissimos, e sacerdotum ordine amplissimos viros, regni principes fere omnes, quorum consilio et sapientia communis omnium salus et regni incolumitas innitatur. Qui si infinitae hominum multitudini obiecti, id quod dicere animus perhorrescat, et tamen verendum sit, patriae eripiantur: penes Regem unum, qui longissime a culpa absit, eius sententiae auctor, quae tutissima sit, orbatae patriae nobilitatis splendore, militum fortissimorum praesidio, sacrorum religione, omnibus ornamentis, quibus adhuc florentissima steterit, infamiam apud posteros haesuram; quorum iudicium qui non vereatur, neque dignus sit, qui habeatur in hominum numero, quorum unus inprimis proprius est immortalitatis atque aeternitatis sensus. Certa exspectari auxilia a Transilvanis, Boemis, Moravis, Slesitis, tum a maritimae orae adiacentibus urbibus, quibus auxiliis fretos, praeter domesticas vires, ubi conferenda sint cum hoste signa, multo certiorem victoriae spem, quam solos, una virtute fidentes sua.

desertos, ab omnibus proditos, de hostibus manere. „In optione malorum, cum e duobus necessario sit alterum subeundum, quod mitius habeatur, id quod ratio doceat, contrariam vim, rationemque suscipere, ut quod sit vi sua declinandum fugiendumque, sit salutare tempore habendum.“ Vbi cum hoste congredi Rex recuset, et retro referri iubeat signa: haud dubitari posse, quin aditus hosti simul patefiat ad universam Vngariam ferro ignique vastandam; malum hoc, atque adeo, si ulla modo spes declinandi sit, id quod maiores vires requirat, quam quae praesentes Vngarorum sint, ex Vngariae regno, tanto subito bello oppresso, viribus nervisque omnibus propulsandum; malum hoc esse, negare neminem; sed si eum spes fallat, quod sit propius vero, qui rem proelio decernat, quanto id gravius malum futurum? nihilo enim magis hostem a populationibus prohibeat, et quod est omnium malorum postremum, deletis ad internecionem regiis copiis, ac Rege cum universa nobilitate, aut vivo in victoris potestatem redacto, quod Deus in hostem vertat, aut caeso, acerbissimum ducat patriae funus. Id si accidat, cuius commemoratione modo animus perhorrescat: quibus viribus, quibus copiis, quibus auxiliis, nisi repente demissis e coelo, spes sit, imminens Vngariae exitium e regno arceri? „Rationi numquam non inconsultum audaciam cessisse, atque id quidem cum compendio semper, integra re de qua agatur. Exspectari vero ut eventus arguat, quem praemonire multo ante ratio debeat, nihil aliud videri, quam ad perniciem labem infamiae addere; tamquam non sit satis in impendente calamitate incommodi, nisi mali accessio ex fama stultitiae quaeratur. Nihil porro esse quod minus hominem deceat, quam tum illum poenitere, cum poe-

nitendi nullus sit usus. Id accidere necesse esse, ubi ante geratur, quam consilio explicatur res: in eo enim naturam praecipue homini prospexisse, ut in agendo, ne quando temere obiecto errore, fallatur, duce ratione utatur: eam efficere, ubi praesto consulenti sit, dictorum factorumque moderatrix, ut is frustrari eventu possit (neque enim id in cuiusquam positum potestate). accusari merito non possit. Scitum olim, atque a multis celebratum, praeter culpam sapienti nihil esse praestandum: eam minime in eo haerere, qui functus sapientis officio, nihilominus falsus in errorem inducatur", quod quidem iis, qui de summa rerum consulantur, et de totius regni salute, in sententia dicenda etiam atque etiam cogitandum sit.

His regii duces auditis, videbantur in Regis potestate futuri, si per milites, quos minime ipsi in potestate haberent, id agere licuisset. Vna modo omnium exaudiebatur vox inconditis clamoribus, quibus obstreperent salutaria suadentibus, classicum in hostem et cani signa iubentium. Ad omnia alia consilia, quae idonea atque opportuna essent, occlusas aures, in hoc uno contra obfirmatos animos habebant. Ita infelicibus patriae auspiciis Rex, quos in consilio habere turpe esset recte etiam de republica sentientes, pessime patriae consulentibus cogitur assentiri, sero exsecratus nimiam suam indulgentiam, qua adeo vecordes et contumaces, per tot annos melioribus et sapientioribus regia exclusis, in se aluisset. Igitur prima luce, iussis suis cum impedimentis sequi, in castra contendit. Hinc digressus in episcopi domum, quae opportune propinqua oppido erat, omni ratione delinire feroces animos, atque adhibitis in consilium, quorum apud multitudinem erat maior auctoritas, deterrere a tam

praecipiti ac temerario consilio suos constituit: hanc unam enim sibi reliquam spem fecerat, ubi praesens ipse rationem suscepti consilii exposuisset, id quod frustra per alios tentasset, auctoritate ac maiestate regii nominis, quae pluris esse apud imperitos homines quam ratio consuevit, ut pugnam in magis idoneum tempus atque opportunum differrent, se impetraturum. Ergo eadem repetita a regiis gravi ac luculenta oratione, quae, cum iam per se male affectos non movisset, haud maiorem a personae dignitate auctoritatem obtinuerunt; auxerunt culpam, peccantibus alioqui ubi abesset praesentis Regis laesa maiestas leviorem futuram. Erat in consilio Tomoreus e castris accitus, qui principi loco exercitus dux sententiam diceret: quem cum Rex animadverteret in eorum sententiam inclinare, qui experiendam proelii fortunam censerent, neque tamen de illius fide et prudentia dubitaret, quae caussa gravis illi fuisset militare imperium defend*endi*, percunctatur, qua spe fretus, mutata priore sententia, de patria atque universis regni fortunis, statuat potius in praesentia, quam commodiore tempore, opportunitate, loco idoneo magis, auctis copiis militum numero, dimicandum? Ad haec interrogat, an hostium numerum, vires, arma et suorum satis explorata habeat; simul, dicere iubet, qua fiducia fretus, tanto viribus hoste inferior, spem victoriae animo concipiat. Tum fidenti animo Tomoreus: enimvero sibi omnia explorata esse, de quibus doceri Rex velit. Nam, ne quid se fallat, quod scire, muneris et personae eius, quam gerat, intersit, et Regis pariter et principum tam honorifico de se iudicio moneri, cuius esse immemor, sine magno suo dedecore, minime possit: de hostibus sibi aeque ac sua certa omnia; praeter regios explora-

tores, quorum sedula opera et fideli utatur, transfugis multis, certatim ad se confluentibus, a quibus de iis doceatur, quae apud hostes quotidie agantur, nimirum iis congruentia, quae iam per exploratores cognita habeat: quorum tamen ne insidiis pateat, eorum se dicta factaque omnia ita observare, ut ad consilii mutationem, quo saepe levia ingenia recurrant, nihil his integri relinquatur. Eo aliud commodum accedere, quod totum ab hostibus proficiscatur, omnes aut Italos, aut Germanos esse, quibus tormentorum cura mandata sit, quos tacito naturae instinctu faventes suis compertum habeat, librandis tormentis, sui generis hominibus in magno rerum discrimine praeclaram operam navaturos: de industria enim eo loco collocaturos tormenta, unde emissi globi eorum capita quos petant, supervolantes ictum perdant. Ab his ubi nihil sit timendum, quando hostibus in vi tormentorum, quibus sint superiores, tota bene gerendae rei ratio vertatur: sperare se inconditam multitudinem, vera virtute, quod saepe maiorum memoria acciderit, superatum iri. Milites, qui ad signa convenerint, ad XX millium summam efficere, ut eorum qui apud Regem, et in suis castris sint, numerus ineatur, perexiguam quidem manum, si cum hostium immensis copiis conferatur: quorum numerus, praeter eos qui arma gerant, qui CC amplius millibus ferantur, sive operis faciundi, sive commeatuum et cibariorum caussa castra sequantur, ingens sit; ut copiae universae CCC hominum millibus constare haud dubie credantur: nihil his sibi certius esse. Hinc cum omnes perculsi dicentem interpellarent, et Regem confirmare in suscepta sententia conarentur: non dubitabam, inquit, fore, ut ad huius rei mentionem, non alii modo, sed ii etiam, qui consilio praestare, et

prudentia inter ceteros crederentur, repente territi, Regem ab imminenti cum hoste pugna deterrerent: sed spero tamen, ubi iis mei consilii rationem explicavero, quemadmodum dignum eorum virtute est, in eadem illos sententia futuros. Numerus quidem est tantus, sed est eorum vix quarta pars, qui utiles bello sint in acie cum hoste pugnaturi. Interpellante hic Rege, atqui enimvero ita etiam suis imparem futurum congressum affirmante. Neque, inquit, tota ipsa illa pars ab hoste stabit. Multorum, qui nunc in castris Solimani sunt, habemus apud nos animos, qui aut ipsi initiati Christianis sacris, supplicii metu ad Turcarum barbaram superstitionem defecerunt, aut e parentibus Christianis inter Turcas orti, memores magis veteris originis, quam praesentis conditionis et fortunae, nobis sua sponte favent, ita animis affecti, ut in medio pugnae discrimine polliciti sint se ad regia signa recepturos, et contra Turcas conversuros arma. Neque ego temere loquor, satis memor, me in arcano Regis consilio, quo convenerint regni principes praediti insigni sapientia homines, de rebus maximis agere, in quibus ne leviter quidem errare sine certa reipublicae pernicie et regni exitio possim. Et in gerenda re, id quod lubet ominari, nostrorum militum virtus, ne quis sit, qui dubitare queat, et fortuna adeo, quae saepe a melioribus stat, nostrorum consilium conprobabit: est enim viris pugnandum cum hominum fece, cui una spes vincendi sit posita in suorum internecione et caede, quibus mactandis nostri fessi patiantur sibi victoriam e manibus extorqueri, debilitatis viribus atque hebetatis caedendo armis.

Quae dum in Regis consilio geruntur, ita plerisque bene sentientibus, ut a dicenda sententia deterre-

rentur et Tomorei auctoritate, et multitudinis consensu plane a salutaribus consiliis aversae: nuncius repente advenit, qui diceret, se ad Regem mandata et ad senatum habere, ab iis missus, qui erant in superioribus castris. Is, remotis arbitris, Regem prius (quod ob eam caussam erat imperatum, ne qui essent, qui, si mutata sententia ad pugnam inclinaret, a gerendae rei studio, sua auctoritate averterent) mox principes patresque singillatim docet: constituisse milites, nisi Rex inducat animum, omissis omnibus aliis consiliis, ultro hosti obviam prodire, conversis ab hoste in cunctantem et tergiversantem signis, vi cogere invitum pugnare, vel eos potius, qui ad tegendam suam ignaviam, ut ipsi dictitent, Regis imperio atque auctoritate, aeterna patriae inusta ignominiae nota, abutantur. Certam victoriam ultro damnata inertia, occurrere audentes manere, quam praesens suis et propitius deus, secunda omina et laeta multa, Vngarorum invicta virtus inprimis portendat, quae neque efferatur altius laetis rebus, neque adversis depressa, sua natura invicta semper retineat vires. Ad hunc maxime modum, iuvenis Rex, non hostium prius, quam suorum praeda, damnato prudentiorum hominum consilio, in funesta castra, et tristis ac diri ominis universae Vngariae devota victima Solimano hosti contendit. Equidem non dubito fore, quin multi sint futuri, qui non caussam quidem quaerant tam temere initi a Tomoreo consilii, qui sibi cognitus satis aperte, in extremo patriae periculo, ducis munus tanto viribus maius deprecatus esset, sed Vngariae principum summorum hominum nimiam facilitatem admirentur; qui ex iis argumentis quibus proelium suadebat, non intelligerent vere eum esse, non quem sibi finxerat Rex, sed quem ipse pro-

fitebatur. Nam sive auctoritas in belli duce esset spectanda, quantam in eo oportuit esse, cui qui plurimum faveret, recte parendi laudem tribueret, quamdiu bellicas artes excoluit; vitae sanctitate atque innocentia clarior in Franciscanorum otio, quam in strepitu armorum gerendis atque administrandis militaribus imperiis; quorum scientiam, si modo ulla esse potuit in milite, qui paullo esset gregario melior, in secordi atque otiosa vita verisimile esset obsolevisse. Nam si esset spectanda rerum gerendarum ratio in tanto communis salutis discrimine, quam par erat iis esse primam, qui in Regis consilio de re tanta consulerent? quid turpius quam transfugarum dictis fide habita, qui esse transfugae, nisi prodita fide, et violato iure gentium haud possint, et Regis simul vitam, et regni fortunas omnes unius proelii aleae permittere? Eadem vero ratio de Turcarum praevaricatoribus, infimo hominum genere, qui ministri tormentorum emittendorum, proditis suis, a quibus uberrima praemia recte munere functi sibi spondebant, quosque tanto superiores viribus, victoria potituros non dubitabant, hostibus suam operam spopondisse dicerentur, prius sua conscientia victis quam hostium armis. Iam et illud videtur suspicari principes debuisse, per officii et pietatis simulationem, transfugas adornatos ab hoste fallacissimo ad nostros transisse, qui sibi aditum ad victoris gratiam, et ad ampliora praemia quaestuosa perfidia quaererent. Subesse vero aliquid fraudis, ubi nihil aliud indicio esset, inde licuit suspicari, a validiore paratioreque a rebus omnibus transfugere ad eum, cui omnia adessent, quae longe abesse oporteret, nihil adesset eorum, quae propulsando bello idonea haberentur, quod cum Turca hoste multis partibus in

acie futuro superiore, esset gerendum. In uno quidem nemo non statuat Tomoreum reprehendendum, cuius cum singularis fides in Regem atque in patriam esset, adeo fuerit mens consilii expers, ut esse dux mallet seditioso militi ad perdendum Vngariae regnum, quam cum melioribus Regi comes ad servandum: id quod erat futurum, ubi a proelii discrimine tanto de meliorum sententia sese reciperet, ut iam dictum est, in tuta loca. Itaque si res magis, quam voluntas spectetur, „quae una hominum elevat et auget in agendo culpam", ita quis in Tomoreo prudentiam requirat callidi hostis fallacia detegenda, constantiam comprimenda militum contumacia, ut in iis culpam constituat, per quos impotentes imperii minus duci licuerit Regis consilio in re administranda uti, quod unum reliquum erat sustinenti a tam praecipiti fortunae casu rempublicam labantem. Quid porro fieri recte atque ordine potest in re militari administranda, quae una ducis auctoritate atque imperio continetur, ubi miles ducem contemnit, dux cogitur ad militum praescriptionem, in quos ius atque imperium habet, omnia agere? Probabile quidem contendat, qui illius memoriae faveat, callidum hominem, quod Regi intelligeret necessario agendum, qui minus imperium in suos obtineret, consilio in bonum vertisse non malo, ut in perditis rebus, haud temere idem tamen si utrumvis licuisset, regnum in discrimen adducturum; excluso enim Regi temporis angustiis neque effugium ad salutem patebat, iam in vestigiis armato hoste haerente, et quando nulla erat spes detrectandi pugnam, consultius ut in tam necessario tempore videbatur, uti militum ardore poscentium proelium, quamdiu ad pugnam vires et robur animi vigeret, ut non solum dux non videretur repre-

hendendus pugnae auctor, sed constantiae et fortitudinis laude impertiendus. Nam et praesentis animi fuit, et sibi praefidentis, cum pugnae facultas non iam penes Vngaros, sed penes hostem esset infesta signa inferentem, in certamen descendere, cum tanto viribus inferior esset, non dubitare: erant enim, praeter Tomoreum, alii quoque, qui etiamsi cum Rege, et cum melioribus sentirent, propter hanc ipsam caussam necessarium ducerent subire proelii casum; verebantur enim non mala adducti coniectura, ne ubi retro Rex iuberet signa referri, hostis, qua parte invictus esset, praemisso levis armaturae equitatu, qui cedentem vestigiis insequeretur, parum illi tutum receptum, certe minime honestum Regi, turpemque inprimis Vngaris efficeret, qui hostis Turcae congressum vitare, numquam, multo etiam inferiores numero, consuevissent. Hoc vero unum equitatus genus Turcae noverunt, quod ut illis explicatius sit, facit e propinquis Thraciae armentis generosorum equorum facultas, quorum est pernicitas summa, et ad ferendos belli atque itinerum labores robur par; quibus durati XX saepe annum vegetas vires, atque integros animos ad bellicos usus servant, quibus nostri vix decimo peracto fessi aetate fatiscunt. Occurrit cum exercitu advenienti Regi in castra Tomoreus, cum quidem eo praemissus aegre a suis impetrasset, ut animum inducerent hunc illi honorem habere, irati quod non citius quam vellent se suosque per iniquae pugnae discrimen, sese volens et sciens perditum iret. Hinc castra coniuncta, parvo tamen relicto inter utraque intervallo, non malo consilio, ne qui in officio erant, morbi contagione, quod erat facillimum, in eandem amentiam furoremque raperentur. Quod tamen ne videretur timendum, exigui-

tas temporis faciebat, atque accelerans suum adventum, et iam poscentibus signum dans ad pugnam hostis, qui invitos etiam et tergiversantes, cogeret primo quoque tempore decertare. Etsi vero de pugnae eventu non dubitabat, cum maiestate imperii ipse invictus dux, qua una re Turcarum potentia in tantum fastigium crevit, militem fortissimum, et disciplinae militaris peritum adduceret, certiorem tamen victoriae spem in eo positam intelligebat, si Regem, dum seditionibus regia castra laborarent, aggrederetur, cum quidem non dubitaret, quin Regi prius esset cum suis, quam cum hoste pugnandum; non virium exiguitate magis, quam militum vesana ferocia et suis aeque et hosti contemnendo. Hoc quidem saepe animadversum, „belli ducem vicisse, qui ab hoste contemptus, proelium inisset, milite in aciem educto imperii potente, numquam fere non discessisse victum, qui quantumvis hosti terrori, suis contemptui esset.“ Neque vero satis constabat, utrum adversus ducem carentem exercitu, an adversus exercitum carentem duce esset Solimano pugnandum assueto milite imperatoris nutum, ubi eum certa ratio a re gerenda avocaret, pro ratione atque imperio habere; imperatore ita assueto militem habere in potestate, ut cum se crederet unius, qui imperaret arbitrio vivere, non suo; vitam, ubi ea in acie defungendum esset, reddere se exigenti debitam; alienam vitam, non suam, ubi victus superesset, cum perpetuo dedecore victurum.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER SEPTIMVS.



LIBER SEPTIMVS.

Iam pugnae appetebat tempus, cum Ludovicus Rex, inexorabili rapiente fato ad exitium Vngaros, consulere de proelio coepit: nihilo enim remissioribus studiis milites pugnae signum poscebant, quorum vecordiam, quando frenari nulla alia ratione poterat, regii duces recte in hostium perniciem convertendam censebant, qui eo alacrioribus animis erant pugnaturi, quo maiorem conceptam spem habebant, victoriae praemium non Vngariam modo, de qua tum disceptabatur armis, sed Germaniam omnem, atque Europae regna opulentissima defunctis uno proelio cessura. Interea Buda onustae naves bellicis tormentis, cum eorum necessario apparatu, tum novem machinis, ad rei militaris usum missae Vienna a Ferdinando, ad Danubii ripas appulerunt, quae moesto Regi solatio in praesentia magis, quam subsidio rem gerenti fuerunt, simul ab Alexio Tursone, thesauri regii praefecto, quem Rex Budae cum episcopo Vesprimiensi apud iuvenem reginam reliquerat, ducenti pedites; e Croatia regius dux cum tribus equitum millibus egregie armatis, peditibus non ita multis, tum e Dalmatis Ioannes Tahius et Ioannes Bamfius, atque hi quidem paucis ante diebus, quam est proelium commissum. Hos postridie mane duo fratres consecuti, Zagrabiensis, et Petrus Erdeodius atque is quidem paratus cum hoste confli-

gere, quem uti acceperat. instruentem aciem, eo d
omnino descensurum in aciem credebat. Hi ampli
DCC equitibus optime instructis ex multorum delec
atque intentissima conquisitione secum adduxera
neque multo post, inclinante in vesperam die, adve
Ioannes Zerechenus cum duobus peditum millibus.
partim Dravi amnis accolae, partim ex agro Qu
quecclesiensi subito delectu coacti, insignes sagit
rii ferebantur, aptum inprimis hominum genus ad p
gnam cum Turca hoste ciendam, quicum crebro pr
liari, ut fere solet, in regni finibus consueverat. Di
tur et Ioannes Bornemissa, cum vir maximus n
ferre militiae laborem haud posset, Stephanum A
lum cum equitibus circiter CCC misisse, adiecta V
garorum aureorum nummum aliquot millium sum
quae Regi alumno subsidio bellum gerenti esset, i
signe amoris et fidei, et in Regem, et in patriam doc
mentum. Praeter hos omnes, ex propinquis locis,
sine insigni inertiae infamia deesse officio haud p
sent, frequentes ad signa convenere, cum alii nonnul
tum maxime Philippus Moraeus, et Vladislaus frat
impigri homines, et rei militaris periti, ingentis pie
tis laudem illi quidem relaturi, qui laboranti patri
in extremo discrimine adessent, sed parum iidem f
tunati in tam necessarii officii functione futuri. E
omnibus Rex, pro eorum merito collaudatis, cum ex
citum de more lustrari iussisset, ad XXV millia arm
torum reperit, qui inani fiducia freti adversus C
Turcarum millia in acie pugnaturi non ad proeliu
sed ad lanienam et certum exitium mittebantur. A
erat hostis altero a regiis castris milliari, leviorib
proeliis, antequam de summa rerum decerneret, virit
nostrorum periculum facturus: etsi enim haud du

tare de victoria poterat, qui non copias solum pares ad gerendum bellum, sed ad virium etiam ostentationem habebat, lubebat tamen per levia proelia experiri, quidnam illud esset, quod Vngaro Solimani hostis contemptori in fiduciam verteret, quem quidem multitudine suorum, cessantium etiam, non districtis gladiis, non telis, non tormentis emissis, circumventum, obrutumque iri adeo intelligebat: sic vero Solimanus ratiocinabatur, non ex vano tamen Vngaris sui fiduciam tantam haustam, hostium tantam contemptionem, tamquam cum pecude, non cum milite fortissimo esset ineunda pugna, ultro proeliandi studio furentibus; tutissimum secutus consilium in magnis gerendis rebus, antequam de summa rerum experiretur, duci ne minimi quoque momenti rem contemnendam. Insidiae nullae erant cavendae apertis locis, et patentibus gerentibus rem, sed quod nostris spem animosque augeret defectionis suorum suspicio nonnulla, ne dum sui cum hostibus consererent manus, ex iis ad Vngaros multi transirent, quorum fidei et constantiae, antequam cum universis copiis in aciem descenderet, recte sibi periculum faciendum censebat. Ac regii milites hostis iudicio superbi qui pridem tumerent, tamquam non auderet confligere, ac propterea suos a pugna prohiberet, usque eo audacia praecipites ferebantur, ut iniussu Regis, et non expectato pugnae signo, ultro viderentur in hostium castra irrupturi. Ita per triduum, quod proelii tempus antecessit, numquam nostri desierunt, quid hostes virtute possent levibus proeliis experiri, neque fere umquam accidit, ut non maiore Turcarum detrimento, quam regiorum in castra discederetur; quod acquissimo animo Solimanus ferebat, haud ignarus, quidquid per eam occasionem fiduciae

hosti accederet, totum in temeritatem verti, quae eum opportuniorem et viribus et consilio vincenti redderet. Regii quidem ex laeto pugnae eventu tantos sibi spiritus sumebant, ut per se temeritate atque amentia furentes, non de victoria, quam sibi minime dubiam spondebant, sed de victoriae praemiis quasi omni belli discrimine perfuncti cogitarent. Interea, ut diximus, regii duces de tota ratione ineundi proelii consultabant, qua opportunus locus collocando equitatu, qua instruenda peditum acie haberetur; qua Rex inter dimicandum consisteret, qua ceteri duces; inprimis quo loco tormenta disponi placeret, quae res magnos usus, recte administrata praesertim, quibus exiguae militum copiae, spem dubiam victoriae facerent, credebatur allatura. Maiora quidem LXXX Rex curaverat in castra advehenda, quorum usus peropportunus campestribus proeliis habebatur, immanis ponderis globos emittentia. Numerus pro ceterarum virium exiguitate minime contemnendus, nisi cum hostium copia conferretur, poterat videri: in quo tamen, ne multum praesidii aut nostris aut hostibus relinqueretur, loci situs ubi disponi tormenta placuit, sive casu id, sive consilio accidit, et pugnae ratio effecit. Iam et illud deinceps quaesitum, ecqua ratio ineunda videretur, Regem a pugnae discrimine incolumem servandi, qui auctor eius sententiae esset, non laborare se Regis caussa solum, sed omnium etiam dicente, quorum salus unius salute et vita contineretur. Et melioribus quidem placebat, stipatum delectorum militum manu in tutum locum extra aciem abducendum, sive ex sententia res gereretur, e propinquo loco victores suos spectaturum. sive secus, quam vellet, quod adeo triste omen deus averteret, se victori superbo suae caedis avido sub-

tracturum. Ad cuius rei mentionem fere ab omnibus, qui in consilio aderant, reclamatum est, negantibus passuros Vngaros Regem a proelio abesse, quo praesente, atque ex aequo capessente pugnam, cum hoste conserere manum, multo acriore studio et alacrioribus animis, id quod a natura innatum haberent, consuevissent; permagni enim ad spem victoriae interesse existimare, adesse Regem unius cuiusque virtutis atque ignaviae testem, ut non dubitarent, quin perspectae et cognitae suorum virtutis esset praemium dignum viris fortibus persoluturus. Quae quamquam ita essent, non defuere tamen, qui callido commento fallendum militem, per Regis fictam personam censerent, certo supposito homine, qui illi statura par cetera falleret, insignibus regiis ornatus. Quae fallacia non mala, ubi, quemadmodum sperabant, res processisset, vulgo militibus detecta, magnam seditionem concitavit, palam frementium elusos se ac proditos, a quibus minime oporteret. Hanc rei militaris rationem esse, hanc veteris disciplinae maiorum, a qua temere Vngari discedere non consuevissent, ut miles, quantumvis pectoris robore et animi magnitudine septus, non suarum virium magis, quam ducis fiducia pugnaret, cum duce speraret, timeret, staret in acie, pedem referret, pro ratione, unius imperium auctoritatemque haberet: quae caussa veteribus fuisset, purpurae insigni, quo discrimine inter multos in re gerenda conspiceretur, imperatorem honestandi. Vt caput in corpore emineret, cuius ratio atque imperium subiectis partibus moderaretur: ita quem dignitate principem unum multi agnoscerent, aequum esse, cum aliis omnibus gerendis rebus, tum perferendis laboribus, adeundis periculis, in hostem pugnando, principes partes

praestare. neque id ratione magis, quam exemplo et recte factis. cum unus inter multos sit et suis pariter et hostibus conspicicndus. Quam turpe vero requiri ducem in pugnae discrimine, ubi non solum militem, verum etiam lixam et calonem delitescere flagitium sit? Non habendum Regem, qui ita tempora separata haberet, ut tamquam sua non aliorum causa regnaret, rebus laetis Regis personam sumeret, poneret arduis atque adversis. Enimvero Regem beatum, qui nollet se Regem agnosci, nisi quamdiu res secundae fuerent in molli vita, umbra, otio, somno; multo vero eundem beatissimum, si hoc putaret sibi per rerum humanarum vicissitudinem licere, perpetua regni fortuna, atque aequabili, quamdiu viveret, frui. Quid porro aliud Regem tam mollem agere, quam qui itineris dux, plana atque expedita via laetus praecat: ubi arduus mons, praeceps ac praeruptus locus sit superandus, ubi plures eodem coëuntes viae quae sit capessenda dubium faciant, suscepti muneris immemor renunciet conditionem? Cuius vero virtutis illa praemia esse? summum honorem, principem locum, sellam curulem, sceptrum, alia regni ornamenta, quae uni a multis deferrentur? Hisne insignibus eum honestari, ut beatam vitam sectaretur, et vacuam curis? ut langueret otio, indulgeret voluptatibus, quaereret umbras, unguentis delibutus se populo spectandum ostentaret? scilicet, ut esset unde sui peterent sibi exemplum ad bene et beate vivendum, discerent horrere campum, pulverem, aciem, solem, armatum hostem, vulnera, mortem?

Ita, ea re discussa, discessum in alia omnia est. Nec tamen destitui Regem placuit, ex amicis interioribus, tribus delectis, virtutis ac fidei perspectae,

qui ad subitos casus, eius latera tegentes, pugnae subtraherent, atque eo perducerent, quo hosti aditus difficilior ad iniuriam pateret, pio quidem consilio, sed difficili inter gerendam rem explicatu, quam non ratio ulla, sed casus et fortuna, quae non est in hominis potestate, moderatur. Hi fuerunt Gaspar Rascaius, Valentinus Törökius, Ioannes Callaius: quibus, quo alacrius, ubi res posceret, mandatum sibi munus exsequerentur, attributi sunt generosi equi, quibus spes erat, ubi quid durius accideret, fugam Regem capessentem, et qui eum comites sequerentur, extra aciem evasuros. Qua re ita constituta, cum iam instaret pugnae tempus, de acie instruenda actum: quae res magni momenti, quominus ex hostis viribus, qui tanto nostris superior erat, atque ex rei militaris ratione administraretur, multorum sententiae obstiterunt, quae in diversum animos trahebant, tacentibus iis, quibus plus consilii quam auctoritatis inesset: qua peste nulla tetrior atque immanior in regum consiliis, quorum dignitas et salus, prudentium hominum auctoritate et sapientia continetur: erant enim qui censerent, ne facile hostes, nostros corona cingerent, atque in circumventos pugnarent, cuius rei magnam facultatem illis militum numerus subministrabat, rhedis carrisque, et si quid aliud praesto esset, in quo aliquid roboris ad resistendum haberetur, aciem circumdandam; ita fore sperantes, ut, iis pro vallo obiectis, facile irrumpentium hostium impetum retardarent. Quorum consilium approbantibus multis, cum rei gerendae cura, rei militaris peritis hominibus tradita esset: eos temporis angustiae eluserunt, cum mane esset cum hoste pugnandum, iam inclinato in vesperam die opus aggres-

sos. Ita consilii ratio, ut in perditis rebus, nostris inprimis salutaris futura, dum dicendis sententiis diem terunt, ut alia omnia, male administrata, atque elapsa e manibus est. Postridie eius diei, is fuit dies IV. kalendas Septembris, Ioannis Baptistae caedi sacer, copiis e castris eductis ita acies instructa, ut quam latissime posset, utrimque porrecta acies, ne, id quod erat verendum, Turca nostros equitatu circumiret, extenderetur; quae res, dum graviori incommodo occurritur, subire necessario alterum maius coegit, cum minime esset dubitandum, quin ita extenuata acies, minus roboris ac firmitatis haberet, ubi cum hoste esset concurrendum. Vniversae copiae ita distributae, ut duo agmina ex his efficerentur: in quorum altero belli duces, nullo sibi certo destinato loco, unum sibi munus desumpserant, qua res posceret, et pugnae ratio, occurrendi. Hinc Croatiae praefectus Franciscus Batthianius dextro cornu cum Ioanne Tahio praeesse, sinistro quem locum Voivodae attribui placuerat, ubi in tempore adfuisset, praeesse Petrus Perinius iussus. Primum erat hoc agmen, in quo praecipui ex nobilitate conspiciebantur, Franciscus Homonaius, Antonius Palotius, Gabriel Perinius, Thomas Zecius, Andreas Bathoreus, Emericus Cibachus, alii, quibus ab animo magis quam a viribus paratis, potior fuit pietatis atque officii laus, ubi etiam esset, vita in acie pro patriae salute profundenda, quam domi per inertem moram quaerenda salus, ne satis illa quidem tuta in interioribus domus penetralibus, patriae imminente hoste ad exscidium, futura. Alterum erat agmen, quod in eo Rex erat futurus, priore aliquanto firmum et validum magis; totum enim equitatus densabat, non ita pediti magno relicto spatio ad latera tegenda. Stataria acies vulgo Vngaris appellatur. Ante Regem alia erat mili-

tum manus triplici ordine instructa, tum ex iis, qui ad cubiculi ministeria assistebant, tum ex principibus nonnullis, in quorum numero erat Nicolaus Turzaius, vir fortissimus, cuius virtus et fides Regi erat magnis in rebus explorata. Praeter hos una cum Boemorum delectis aliquot, et ex Moravia nonnullis, Stephanus Slychus Boemus, vir magni animi et consilii, Petrus Corlatius, et Andreas Trepcza Polonus, cuius supra mentionem fecimus, duo regiae praefecti Regem stipabant, atque ita hoc quidem, ut medius inter duos pontifices, Strigoniensem et Zagrabiensem, tegeretur, aliis ex pontificum ordine, quorum erat dignitas maior, subsequentibus, ut tamen a laeva Palatino proximum Regi relinquerent locum, qui omnium minus, quam muneris sui memor, quamquam vexatus ingentibus artuum doloribus, vix esset par equo insidendo, vigilantis ducis, et militis partes impigre eo die praestitisse fertur. Pone Regem cum alii sequebantur, tum Cetricius, Mailatus, et regii stabuli magister Horvatus, atque hos ipsos magna clientium manus, quibus eximia fides virtusque persuaserat, ut eandem cum iis fortunam, quorum gratia atque opibus crevissent, experirentur. Inde gravis armaturae equites mille delecti agmen claudebant; inter quos medius Ioannes Dragfius regium vexillum ferebat, vir magnae apud Regem auctoritatis, et regiae aulae iudex, quod insigne munus et praecipuae dignitatis apud Vngaros habetur. His certae erant impositae partes, tuendi Regem, quieturis a proelio, quoad liceret, ut ad omnem casum afferrent integras vires. Locus ubi tamquam in praesidio Regi assisterent, a dextro latere attributus. Tormenta bellica post primos ordines, certo ut videbatur consilio collocata, ut si primi magis

animis. quam viribus validi. referre pedem cogerentur, hostiumque impressionem minus acriter sustinerent; iis diversis dextra laevaque abeuntibus. in adversos, numquam non certo ictu emitterentur. cum tamen, id quod postea res docuit. locus pro hostibus. quorum erat ingens numerus. nostris haud dubie iniquus erat; planicies enim ampla. et quaquaversum late patens, cuius neque sylvae. neque interiecti colles prospectum impediebant, nullum receptum fessis. victisve dabat, et ut circumiri facile possent. cui incommodo maxime erat nostris occurrendum. efficiebat. ne in locorum quidem angustiis pugnantibus. multo meliore conditione futuris: ita enim est inutilis multitudo angustis locis, ut tamen facultas detur. e magno pugnantium numero, crebrius integros laborantibus summitendi; cuius rei facultas ubi desit, etiamsi magna adsit in paucitate virtus, magna saepe afferre incommoda et detrimenta consuevit: „Etsi enim numquam virtus in magnitudine animi languet; saepe tamen animi robur, quod vigens semper in malis virtus subministrat, corporis deficiunt vires.“ Iam a Danubii ripa. quibus finibus planicies terminabatur, ut uliginosis locis solet, stagnantes aquae et palustres erant, quae etiamsi victis fuga esset ad naves intendenda (erant enim Regis navales copiae, quae nulli usui eo bello fuerunt), iis aditum intercluderent. Inter regios et Turcas collis intercedebat, ita porrectus in longitudinem, ut propior hostibus esset, quam nostris accessus. Vltra eum collem, Solimanus loci opportunitatem secutus, posuerat castra, certo consilio, ut esset, quod pro vallo hosti obiiceret. Id quod ille tamen egisse videbatur, magis ut rei militaris ratio servaretur, quam quod esse magnopere necessarium ad summam victo-

riae existimaret. Erat in imo fere clivo, pagus opportune situs (Feldvar vulgo appellant), atque in eo sacra aedes unde longe lateque patebat in subiectam planiciem prospectus. Is locus tormentis delectus, qui etsi molliter acclivis ab ea planicie aliquantum assurgebat, in qua nostri consederant, idem tamen alicubi tamquam in vallem depressus, multo minus erat aptus tormentis ad ictum librandis, quam si ex plano loco in adversos emittere licuisset. Itaque, sive id libratorum imperitia accidit, sive, id quod nonnulli tradunt, voluntate, cum eiusdem religionis et caussae homines, quamquam barbarorum cultum et superstitiosa sacra ostentarent, natura suis cogeret favere; tantus tormentorum apparatus, quae universae Vngariae exscindendae comparata credebantur, plus nostris terroris attulit, quam incommodi et detrimenti. Cum, orto iam sole, instructa acies ac parata ad dimicandum constitisset, Palatinus, quo milites alacrioribus animis proelium inirent, Regem aperto capite, ut facilius dignosci posset, per universos suorum ordines circumducit: Nulla oratione incitandos Vngarorum animos ad pugnam dictitans, quibus fortissimus Rex, pro sua in patriam pietate et gentis gloria, exemplo suis ad rem bene gerendam esset. Turpe esse veteranum militem ab adolescente Rege incitari, longo rerum bellicarum usu in laudis cursu exercitatum, natum ad gloriam, ad res magnas gerendas, cuius esset alumnus tantus Rex; quem unum patriae propugnatorem sui agnoscerent; perhorrescerent patriae vindicem hostes. Vnum modo hortari, ne a se ipsi deficerent, et ut partam laudem multis fortibus factis, constantia, et magnitudine animi pergerent tueri. Ac, nisi parum necessarium duceret, quorum animos ardere pugnandi studio videret,

id quod eminens in vultu alacritas. frontis. oculis ostentaret. pluribus ad virtutem atque ad decus excitare. per eam. quam proferrentur. religionem sanctissimam adhortaturum. obtestaturumque adeo. ut capesserent pugnam iis animis. quibus saepe contra multis obsistentibus appetiissent. Si causa pro qua pugnaturi essent. adderet vires: patriam in oculis versari. in ultimo rerum discrimine a suis opem atque auxilium implorantem: patriam. quae appetita barbarorum hostium armis. destituta exterorum regum auxiliis. communis salutis et libertatis vindices. Christianae reipublicae propugnatores. viros fortissimos. ad praestandum suis pietatis extremum munus inflammaret. Ita vero illam a suis. quam dedisset vitam reposcere. ut intelligerent. viris fortibus unum vitae praemium propositum maximum. praeclare mori. Quae saepe Regi spondere auditi essent. versarent animis: meminissent, duces sequi ipsos se: neque paterentur cuiusquam oratione magis. quam animi praesentia et digna virtute Vngarorum gente. incitari ad gloriae studium. quo sua sponte efferrentur. Nullum vero illis incitamentum maius. quam a sui aemulatione. Ipsi se modo aemularentur. ut haberent alii. quorum exemplo fierent meliores. et ad virtutem. animi magnitudinem. atque in patriam pietatem. in coniuges. liberos. parentes, constantiam adderent. quae ita ipsa virtus esset. ut sine ea una nulla esse virtus posset. Adesse tempus, ut memores suae constantiae. quam fiduciam in castris ostentassent. pugnae signum poscendo; ubi classicum canere audissent. in acie dimicando praestarent. Vicisse vero illos. si quae praemia victores. si quae mala victos manerent, animo agitarent. Duos esse stimulos, quibus magnitudine animi praestantes

homines moverentur, hinc spem, hinc metum: qui quidem cum excitaret animos ad fugiendum dedecus, atque ab infamia nomen vindicandum; augeret, non debilitaret vires. Averteret adeo infaustum omen a suis in hostes deus: quid non esse de fortissimo milite sperandum, si eorum malorum metus tangeret animos, quae victis a superbo victore imminerent, populorum exscidium, interitus nobilitatis, maximi olim ac nobilissimi regni occasus. Versarent vero animis prostratam sanctissimam religionem, contaminata sacra, virgines, nobiles matronas, ingenuos pueros, aut mactatos ferro, aut, violato pudore, abreptos in servitutem; versarent animis, non sui modo, sed universae Christianae religionis memores, quantum vulnus per deletam Vngarorum gentem, quod deus immortalis suis propitius prohiberet, essent barbari hostes gentibus omnibus illaturi, quae Christi nomen profiterentur. Id si agerent, nullum illis acrius ad virtutem futurum incitamentum; quam enim facem, tantorum malorum recordatione, quod incendium in eorum animis excitatum iri, qui his modo audiendis, incendi, inflammari, rapi in vulnera, in caedes, ferri in hostes, non exspectato pugnae signo, praecurrere suorum vota videantur? Atque haec quidem proposita incommoda tantarum cladium metu horrentibus: quanta proposita praemia e victoriae spe, re bene atque ex sententia gesta? ampliorem augustioremve titulum excogitari ullum alium posse, quam qui Vngaris debeatur, victoria parta liberatoribus non patriae solum, sed totius Christiani orbis? Quodsi moveantur praedae cupiditate, elati animi studio gloriae: quam aliam opulentiorem, uberiorem sibi animis spondeant, quam quae maneat victores, parta de praedonibus orbis terrarum? de iis,

qui magnam Europae partem, Asiam atque Africam omnem non excursionibus et latrociniis, sed maximis gerendis bellis, nobilissimis debellandis populis, gentibusque percurrissent? qui ita florerent miserorum aerumnis, sanguine, caedibus, urbium direptionibus, incendiis, ut esse beati fortunatique non possent, nisi iactati et vexati populi multi, deletae gentes nobilissimae, eversae provinciae, multi mortales orbati patria, supplicia immania, servitutem teterrimam, liberis hominibus mala non ferenda passi essent? Pugnam vero alacres capesserent, virtute, fortitudine, constantia innixi, quae propriae Vngarorum virtutes essent, et alia omnia, et mortem studio verae laudis contemnentium; irent laetis animis in hostem inertem, imbellem, unico telo armatum, multitudine et numero, adversus quem semper virtutis robore munita pectora invicta stetissent. Christum suis vitae salutisque auctorem, pugnantibus pro sanctissima caussa, in summo rerum omnium discrimine praesentem propitium affuturum. Haec audiente Rege, ut proficisci ab illius ore viderentur, Stephanus Palatinus; quae cum per se vim magnam haberent ad incendendos militum animos, tamquam iniecta flammis arida materia faces per se incitatis admovebant. Interea Turca, praemissis qui cum regiis levia certamina sererent, eo consilio, uti pugnando fessi, minus integras vires in proelium afferrent, dubium relinquebat, utrum, exacta iam magna diei parte, esset pugnandi copiam facturus; an, quod nonnulli suspicabantur, iam in castra reductos et quiescentes opprimere noctis tempore nihil tale exspectantes, constituisset. Qua exspectatione cum duces suspensi animis et incerti consilii essent, vixque sibi persuaderent, in certamen hostem eo die descensurum

iam inclinante in vesperam die, magnam hostium manum, quae se placide collis in planiciem demittebat, nullo tubarum sonitu et clamore adventum prodente, tacite progredi, et ad nostra castra contendere. Sed ne regii temere falli re minus provisa possent, densis hastis horrens advenientium agmen faciebat, quarum fastigia exstantia, facile ex demissioribus locis conspiciebantur. Qua re Tomoreus intellecta, suspicatus hostes eo consilio suis locis excessisse, ut aut nec opinantibus nostris capta castra diriperent, aut aciem circumirent, celeriter e prima acie ad Regem accurrit, atque inde Gasparem Rascaium, unum ex iis, quibus Regis custodia permissa erat, ducis imperio, annuente Rege, obviam ire hosti, et, quod eius consilium sit explorare, ac referre extemplo iubet. Ita Rascaius minime cunctatus, ne, si recusaret obtenta Regis custodia, in qua illi esset honesta caussa manendi, in timoris opinionem verteret; quibus imperabat, equitibus assumptis, ad hostes contendit. Hinc diu exspectantibus militibus sub armis fessis, qui ab ortu solis ad tertiam a meridie horam armati stetissent; nonnulli ex principibus, eorum immemores, qui praemissi cum Rascaio erant, cum satis iam praeclarum domesticae virtutis fortitudinisque documentum editum contenderent, receptui canendum, et reducendum in castra militem censebant. Qua re duces animadversa, ire ad Regem pergunt, veriti ne eum in sententiam perducerent, quorumvis potius, quam suo arbitratu, de gravioribus rebus deliberare assuetum. Id autem si accideret, non esse dubitandum credebant, quin cum Rascaio, amissa delectorum equitum ala, insigne detrimentum acciperetur, quod in magna copiarum exiguitate videretur permagni faciendum. Docebant vero quanto satius es-

set, cum copiarum parte conserere manum, quam cunctando differendoque committere, ut cum universis hostium copiis esset confligendum; oblatam opportunitatem gerendae rei non videri omittendam, quae non in prudentium hominum consilio, sed in fortunae inconstantia et mobilitate posita esset. Quodnam vero hoc consilium, proditos a suis equites lectissimos, qui missi exploratum essent, cum duce nobilissimo obiic ad caedem? Non dubitaret pugnae signum dare: penes quos ius fasque esset victoriam futuram, quam quidem optimis auspiciis inter rem divinam, castis precibus numinis pace impetrata, sibi deberent animis spondere. Dicitur Rex, cum acceptam a suis galeam indueret, obversante animo pugnae eventu expalluisse quem, ubi cum suis hostium copias conferret, sibi tristem, ratione certum exprimente metum, qui dissimulari non poterat, praesagiebat. Eximia quidem virtutis indoles in adolescente, cui praesertim mollior educatio, quam quae Regem deceret, contigisset, ita horruisse descensurum in aciem, pugnam ultimi discriminis initurus, ut minime demitteret animum, adesset suis, imperatoris munus inter duces obiret, summo Rege dignum animum praestaret. Quamquam vero milites amentia et furore perciti Regem subtrahentibus a belli discrimine obstitissent: non erat illis tamen defutura ratio, e praesenti periculo eum subducendi, aut salutari fallacia sua spe seditiosis militibus frustratis aut per apertam vim furentium audacia compressa: ut interea Rex cum expedito equitatu et peditum delectis quorum erant integri a seditione animi, tuto receptu se imminenti exitio subtraheret; sive illi vero in amentia persisterent, non erat tam contumacium militum iactura deploranda; sive animos ab errore colli

gerent. Regem iter accelerantibus non aegre consequi per vestigia licebat, non ita prope ab hoste collatis castris, ut non satis spatii ad receptum relinqueretur; certe constantiae summae fuit, ea praesertim aetate, quam raro prudentia comitatur, longo rerum usu comparanda, suum ius cum obtinere non posset, ne videretur vi cessisse, qua re nominis maiestas laedebatur, pertinaci amentia obduratis animis, in praesentia dissimulando condonare potuisse. Cum signa concinuissent, qui erant in prima acie locati, nequidquam precati infestum Vngariae numen, ut praesens favensque pugnantibus adessent, sublato clamore, in hostem contendunt. Iam enim Turcae per collis declivitatem sensim se in planiciem demiserant, nostro more servatis ordinibus in proelium procedentes, simul dum acies concurrunt, ingentes globos e maioribus tormentis emittunt, diverso quam convenerat, consilio, quae ut haud satis magnam stragem hostium ederent, terrorem hostibus, nostris animos fiduciamque addiderunt. Pugnatum utrimque acriter, hostibus multitudine nostros urgentibus, virtute adnitentibus nostris atque inferentibus signa in adversos, magna quidem spe, ubi ordines turbarent, cuius rei facultatem barbarorum multitudinem innumerabilem, et ob id ipsum, quod verisimile erat, confusam atque inconditam daturam sperabant, magnam inde opportunitatem ad summam victoriam de pristina virtute non remittentibus exorituram. Mox cum adhuc magis densata acie, nostri conferti dimicarent, quo genere pugnae vincebant, robore animi, et viribus superiores: sensim Turcae pedem referre, et mollius cedere coeperunt, eo consilio, ut ordines servantes, et minime remittentes de pugnae ardore, quod nonnulli e nostris suspicati sunt, incautos

elicerent in sua loca, quo ictibus tormentorum magis opportuni paterent. Hinc rumor temere ortus, victos hostes se fugae mandare, et ubi paullum adniterentur, victoriam esse in manu, quod tum per alios ad Regem, et per Andream Bathorem perlatum, magnae auctoritatis hominem, temere creditum est. Ita, tamquam nostris primo congressu fortuna proelii defunctis, Regem hortantur, occasioni ne desit: non esse quidquam laxamenti hosti dandum, et fugientem impellentibus victoriae spem, quae certa esset, virtute et constantia celeriorem reddendam. Quibus verbis Rex incitatus, cum universo suorum agmine, quantum per gravis armaturae equites accelerari poterat, primos secutus persequentes, qui ut mox cognitum est, consulto cedebant, eo pervenit, ubi eum Turcae maxime fore apertum adversus tormentorum ictus crediderunt. Quae quidem simulatque igni concepto eiaculari in subiectos, et aperte ad ictus expositos coeperunt, tantum omnibus pavorem iniecere, ut quamquam in eius rei exspectationem erecti, animos ante ad omnem fortunam comparassent, cum crebri globi praetervolarent pugnantium capita, coelo suis sedibus convulso, tonitrua et fulmina emitti, quibus exscinderetur terrarum orbis, existimarent. Id primo aspectu magis quam re pertimescendum, repente tetra malorum facie offusa. quam tamen disiiceret, si adesset vera virtus, ut ab Vngaris fugae initium fieret effecit, nequidquam ducibus a perterritis pristinam ferociam requirentibus. cuius ardor tam cito animis consedisset, atque inanem metum increpantibus, quo correpti tamquam lymphatae atque attonitae anus obiectas umbratiles larvas non ferentes, per turpem fugam terga hostibus nudarent. Quo abiisse feroces illas minas, magnifica illa

verba, superbos spiritus, quibus elati singulos adversus plenam Turcarum cohortem iactarent sese pugnaturos, feroces in conviviis et contuberniis, in campo atque in acie, et Regis, et patriae, et sui immemores? Quae a ducibus commemorata fugientibus dedecus augebant; ad revocandos animos ad laudis et gloriae decus nihil incitamenti habuerunt. Ita iis, qui in dextro cornu erant, primis terga vertentibus, ceteri fuga effusa, minime dubiam victoriam hosti fecerunt, cum pudorem sustulisset atra subito exorta nubes, quae fumo pulvere immisto, sese efferens humo, tenebris obductum coelum involuisset. Inde conversi Turcae, qui paullo ante fugiebant, in persequentes se regios impetum faciunt, quibus omnem ad salutem receptum ademisset tum loci natura, vasto et vorticoso amne fugam victis intercludente, tum hostis equitatus, qui, qua effugium patebat, aditus omnes undique circumfusus clausisset. Alii, cum non amplius X passibus a tormentis abessent, ac fortiter hostium impressionem sustinentes, pugnam instaurare iam persequendo hostes frustra fessi conati essent: animadversa vera suorum fuga, acti pavore imminentis mali, et ipsi praecipites terga verterunt. Saluti fugientibus fuit, sive hostium suspicio, cum subesse fraudem arbitrati se consulto intra aciem continuissent: sive lassitudo, id quod mihi magis verisimile fit; cum quidem superiores proelio insuper regia castra direpta solo aequassent, non avaritiae solum, sed odii etiam in nostros inexpiabilis, in castrorum ruina atque exscidio insignibus vestigiis relictis. Eo accesserunt sub vesperam vehementius effusi imbres, qui noctem per se infestam, obscuriorem atrioremque reddiderunt; ut cum potiti victoria, laboris taedio victi succumberent, facile pate-

rentur sibi per occasionem adversae tempestatis *), in genti hominum praeda equorumque amissa ad quietum spatium dari. Regem ab eo tempore, quo dextrum cornu inclinare coepit. quidquid illum subito e suo rum oculis subduxisset. vivum nemo postea vidit, ali pugnae initio progressum inter primos ordines tradun ubi impigre satque acriter aliquantisper inter consec tos pugnavit; inde pulsis ac dissipatis suis, cum e ipse fugam arripuisset, in proximos paludes, siv ipsum locorum imperitum. sive invitum a consternat equo et perterrito. delatum interiisse. Cadaver poste cum cura conquisitum inventum ad Celiam est, qu pagus haud longe Mohacio abest, praerupto loco situs quo dehiscentem terram Danubius super ripas effusu stagnat. Atque ut in eo violari iniquo fato Regi maiestas visa est, quod informi limo oblitum cadaver et fere obrutum caeno, nullis vestigiis locum indican tibus, ubi inhumatum iaceret est inventum: ita in e mortuo est prospectum, quod vivus in hostis potesta tem non venit; quae una illi voluptas multo erat proeli fortuna, et victoria potior futura. Et ita quidem tur visum, et eorum eventus, quae postea in Vngari evenerant, docuit, et cum Rege, et cum regno simu praeclarius actum iri, coniectura facta e Solimani in genio, quem verisimile erat, si vivus venisset in po testatem, vectigale regnum, non aegre per aequas con ditiones missum factum, obtinere passurum, minim certe dubitandum, quin ea mala ab Vngaris essen abfutura, quae per duorum regum discidium regnum fere everterant. Haud procul a Regis corpore An

*) Innen a következő 250. lapon álló csillagig hézag van Pesti Codexben, mely azonban egészen nem pótoltathatott a Bécsiből T. F.

dreae Trepeze et Stephani Azeli cadavera inventa, quos Regis fugae comites secutos tanta acceptae cladis tristem accessionem futuros periisse creditum est. Tomoreus haud paullo miles quam dux melior, qua densior erat hostium multitudo pugnando, ac proelium ubi opus esset restituendo, cecidit. Vir memorabilis, si animi vires atque in patriam et Regem fidem consecuta esset vis consilii, quo destitutum multi credunt, et sibi, et Regi et Vngariae adeo exitio fuisse; nobis integrum huius rei iudicium relinquere iis est visum, qui per ea tempora vixerint, quorum nonnulli exactae aetatis homines, adhuc nobis haec scribentibus supersunt. Interfecti caput, quem ceteris ducibus Turcarum genti infestiorem vehementius barbari oderant, cum saevire in vivum non licuisset, hastae affixum, gratum mox spectaculum Solimano futurum, per castra triumphantium similes circumferentes, ante praetorium constituere, magnam se arbitrati a victore gratiam hoc nomine inituros. Postridie quam pugnatum est, iussit ad se adduci Solimanus ad mille quingentos catenis vinctos, atque in his ex prima nobilitate multos, qui vivi venerant in potestatem, spectante exercitu, cum nulla humanitatis ratio ostenderetur, quae efferatum odio animum ad misericordiam flecteret, nulla, quae impotentem victoria ab ulciscendi libidine retardaret, capite plectendos curavit, perpaucis exceptis unam ob caussam, ut haberet a quibus certior fieret, cum de aliis Vngarorum consiliis, tum de rebus aliis occultioribus, quae a se non ignorari magni sui crederet interesse. Fertur e caesorum sanguine Mehemeti praesidi Turcarum numini barbara superstitione libasse; eidem gratias agere ea ceremonia, quae est apud illos sanctissima, ceteris iussis, quod illius praesenti auxilio,

atque ope, clarissima victoria potiri, et proferre terminos imperii licuisset. In eo proelio interfecti multi quorum insignis nobilitas, praeter Regis interitum. Vngaris effecerat funestiorem cladem: in his ex pontificum ordine Ladislaus Zalkanus Strigoniensis, Tomoreus Colocensis, Franciscus Perinnius Varadinensis, atque hic quidem cum haud falsus vates tanta clade praedicenda, tum nobilitanda eadem sua caede. inter paucos clarus: fertur enim, cum Rex proelium esset initurus, homo in perditis etiam rebus festivo ac perfaceto ingenio, ad amicos conversus, qui forte aderant, ita vaticinatus esse: Tomoreus, inquit, quae illius pietas est, tamquam non sit satis maiorum memoria militum decem millia pro Christi causa occubuisse, habet, quos hodie addat pontificum Romanorum fastis, XXV millia armatorum, quorum est solennia sacra posteritas celebratura. Ceciderunt praeter hos Philippus Morcus Quinquecclesiensis, Iaurinensis Blasius Paxius, Franciscus Zoccolius Chanadiensis, Bosnensis Georgius Palina. Ex nobilitate Georgius Sepusius, alter belli dux Ioannes Dragfius, aulae regiae praefectus, Franciscus Orzagg, Petrus Corlathius, et Andreas Trepeza, omnes in regia summis honoribus functi. Pari nobilitate et alii desiderati: Thomas Zecchius, Gabriel Perinnius, Mathias Cetinus, Frangepanes, Sigismundus Bamfius, Franciscus Hampo, Ioannes Batthianus, Stephanus Slichus. Addit Brodericus alios, quos suo tempore ait apud Regem potentia et gratia excelluisse: Franciscum Balassium, Nicolaum Tarsaium, duos Ioannes Paxium et Istvanfium, Emericum Vardaium, Michaelem Podmanicium, alios ex claris familiis ortos ad quingentos. Superfuerunt ex peditum numero ad IV millia, ex ducibus praeter

unum Hannibalem Cyprium, copiarum pontificiarum ductorem, evasit nemo. Tormenta tum quibus regii usi in proelio erant, tum quae navibus importata, ubi ea parte pugnari oportuerat, usui essent, nonnulla praeterea, quae castris praesidio erant, victor abduxit. Hinc militi sua sponte avido praedae imperatum, ut circumiecta loca vastatum, praedatumque iret. Quo permisso, quaquaversum ira superbi victoris pervagante, eversae urbes, arces exscissae, deserti pagi, sacra profanaque omnia late incendiis ac populationibus deformata, abacta armenta, puberes iuxta, impuberesque partim interfecti, partim in servitutem abducti, cum nullum sexus, aetatis, ordinis discrimen efferatis odio animis barbari impotentes victoriae nossent, quae cum parta de hostibus lingua, moribus, religione diversis, odii inexorabilis, barbarae crudelitatis, luxuriae, avaritiae, qua pervaderent hostilia arma, monumenta reliquit: nulla enim iura belli, quae aliis sint sancta, Turca colit, impia superstitione imbutis animis in omnes gentes, quae aversae sint a Mahemetis sacris; quo infestior atque immanior sit, se maiore saevire cum pietatis laude, viro forti indignum credat cum victo hoste mitius agere, et suae humanitatis rationem habere. Vnum non videtur praetereundum, quod ab aliis quoque literis proditum: cum late fuso belli terrore, omnia sanguine et caedibus complerentur, inventas matres, quae infantes liberos vivos in terram defoderent, hac una inita ratione, quando caetera subsidia deessent, suos a foeda barbarorum servitute vindicandi. Cum partim odio, partim praedae dulcedine provecti, ad Balatonem usque lacum, ubique in miseros igni, ferro per ultima supplicia bacchando procurrissent, Quinquecclesiensem ur-

bem ignibus iniectis, incendio absumpserunt, nor prius inde digressi, quam ad solum usque vidissen conflagrare; templum, quod augustissimum dicitur ir arce incolis esse, ne violaretur, potuit a barbaro hoste loci maiestas religionem extorquere, neque hoc tamer ulla in victos moderatione, aut admiratione operis quae vim fecerat barbaris ingeniis, servari placuit in tactum, ut esset ubi Solimanus tam insigni victoria de hostibus parta, augustiore loco et sanctiore Mahe meti sacra faceret; ut parceretur arci, templum subsidio fuit, cum vix posse everti sine certa templi ruina vi deretur. Interea Scepusius, non contemnendis copiis ex vicinis gentibus contractis, e Transilvania profectus Zegedinum pervenerat. Ibi cognoscit Regem victum importuna suorum contumacia, non exspectatis extera rum gentium auxiliis, dimicare constituisse. Ita iussi suis se extemplo sequi paucis, qui comites itineris essent, secum assumptis, primo quoque tempore, u proelio, si fieri posset, interesset, accelerato itiner ad Regem contendit. Quae dum impigre ab illo admi nistrabantur, diversa in regni parte, Christophorus Frangepanus, cum haud exigua militum manu Zagra biam profectus, Boemorum auxilia, quorum pars ac Albam Regiam, pars ad laurinum coierat, ad Regem itinere diverso, abducebat, magna adhibita celeritate ne si diutius cunctaretur, prius Rex, id quod accidit cum hoste confligeret, quam ipse ad signa, ut spera bat, conveniret. Nemini dubium erat quin, si Rex, his copiis auctus, cum hostibus signa conferret, alius esse belli eventus consecuturus. Iam Budam ad Marian Reginam de male gesta re ad Mohacium, nondum de Re gis morte (*fama*) pervenerat. Qua re perterrita, de sen tentia suorum, cum Solimani celeritas in regiam immi

nentis minime tutam Budae moram manenti efficeret (magis enim itineribus approperare ferebatur, quo Reginam cum regiis thesauris ex nec oppinato opprimeret): pontificio legato, et Vesprimiensi episcopo, fugae comitibus, qui pudoris commendationem magis iuveni Reginae, quam si quid accideret, tutum praesidium afferrent, se Posonium recepit; qua enim fors palatos hostes agebat, cum nullus nostrorum metus, quominus libere excurrerent, unde audirent spem praedae ostendi, ab effusa populatione prohiberet, in omnem occasionem erecti vagabantur. Alii e regiis, quibus plurimum confidebat, cum mulierum comitatu, atque iis rebus, quae cariores erant, iussi adverso flumine Posonium subire. Cum Reginae mundo, simul Budensium civium preciosa quaeque eodem subvecta, quaecunque subtrahi avaro hosti potuerunt, praedae regiae urbis et peropulentae avido animo inhianti. Cura subvectionis Andreae Orbanesio arcis Strigoniensis praefecto est mandata, qui paullo ante praesidii desertor, cui a Rege praeesse erat iussus, haud multo maiore cum integritatis laude, delato sibi a Maria Regina muneri dicitur praefuisse. Nam quod nonnulli tradiderunt, nobiles foeminas, quae Reginae ad cubiculi ministeria assistebant, tum ex illustribus familiis puellas alias, a militibus, qui iis praesidio erant, minus caste habitas, quam matronalis et virginalis pudor postulabat, totum hoc Brodericum (?) coarguit, tamquam confictum a maledico scriptore, parum certe memore suae gravitatis, cuiusmodi multos nostra aetas tulit, non multo in hoc magis, quam prisca secula felix; ut enim verum esset in magna trepidatione et fuga, cum obversaretur ob oculos saevus hostis imminens ferro, et tristis luctus occupasset animos, patriae

interitum, et suorum deplorantium, in lusus illiberales atque intemperantes effusas, non continuo tamen inde sumere scribendi argumentum aequum erat, qui muneris a se suscepti esset memor. Maiora enim, graviorque a rerum scriptore postulantur, quam ut illi tradere operae sit, quibus se lusionibus illustres feminae in fuga oblectarent, et ocreisne, an sandaliis a milite vapularent, tantae cladis recenti memoria non patiente, insigni cum iactura pudoris in medio fugae cursu lascivire. Solimanus aliquot dies in castris moratus, iussis redire, quos praedatum miserat in hostium agrum, Mohacio movit, ac militem praeda onustum, Budam, serius aliquanto, quam postulabat belli ratio, duxit, minime dubia coniectura, ubi eo cruentum victoria militem adduxisset, Reginam cum suis omnibus oppressam improviso malo se in potestatem redacturum. Quae illi morae caussa fuerit, quando minus nobis constat, haud lubet divinare; imminentem regiae pestem numen avertisse, non usque quaque Vngariae infestum, cum credere visum dignum nostra religione, tum posteris mandare, minime a scriptoris constantia gravitateque alienum. Budam antequam perveniret, nondum per tot clades exhausto in Vngaros odio, barbaro more, ubi in quos saeviret, defuerunt, in agros et tecta vim belli omnem convertit, quocunque iter habebat, immanem in modum omnia flamma atque hostili ferro pervagante, ut non victoriae praemium a victis, sed odii atque ulciscendi voluptas, cuius nullus modus, peti videretur. Regiam urbem ingressus, desertam a suis et foede incensam, arcem integram, et ferarum septum, ac regium stabulum intactum reliquit. Multa hic Iovius commemorat, ingenio suo magis, quem muneri serviens, quae piget referre; in his, quae a So-

limano, aut acute, aut salse dicta, habent non magis ingenii laudem, quam barbari animi atque immanis dedecus, qui ex miserorum calamitate, respersus sanguine caesorum, iocandi et cavillandi quaerere locum potuerit, cum odii finem victori saevienti praescribat hostis interitus, misericordia subeunte animum, ubi is exhauserit odii caussam, quae ne in eos quidem iusta est, qui, cum odio aliquando fuerint digni, praeter gravissima admissa scelera poena scelerum sint per ultimum supplicium affecti. Nam quae de Strigoniensi magna cum honoris contumelia ait, argumento ad maledicendum quaesito ab hominis sordibus, ea arguit Brodericus, scriptor gravis, qui illum collaudat, quique omnibus his rebus gerendis administrandisque interfuit; nulla enim res unquam adeo Regi intima, arcanaque fuit, de qua cum anceps iudicium adolescentis Regis animum sollicitaret, non ea agenda unum illum auctorem principem eundem publici consilii sequi consueverit. Nam de nota avaritiae, quam illi Iovius inurit, ne suspicione quidquam legentibus relinquat, quod illi probro esse merito queat, cum interfecti casus scribentis animum omni cura exsoluisset, quae eum sollicitum haberet. Iam Tomorei caput, cuius notare ambitionem, integritatem sugillare non veretur, cum adhuc diffluueret sanguine, paullo ante in pugnando interfecti, conto affixum, quod praeter Brodericum alii affirmant, eum mendacii convincit. Quorsum vero attinebat, cum semel ad satietatem Solimanus spectasset, post longam moram Budam profecto, asservatum iterum ostentari? Nam si id ob eam caussam sibi Iovius prodendum suscipit, ut Regis immanissimi truculentam barbariem notaret: est cur aequo animo feramus; sed verba illius docent, in Vngarorum

contumeliam totam illam tragoediam perscriptam, qua si ex Solimani iudicio, viri fortes, qui ultro morten intrepidi pro patriae salute appetiissent, non ex ver argumento rerum essent laudandi. Buda hostis potitus aerea tria signa, antiqui operis atque artificii, Apollinis Dianae, Herculis, quae victoriae monumenta, apu posteros illustria, extarent, demolienda atque aspor tanda Byzantium curavit. Ea in Hippodromo, qui locu integer a barbarorum immanitate, adhuc veteris urbi vestigium retinet, inter praeclara alia nobilium artifi cum opera conspiciuntur. Inde motis castris, diverso milites in citeriorem Vngariam, quae intacta adhuc al omni belli clade erat, qui omnia populabundi vasta rent atque incenderent, misit. Itaque, quod inter Da nubium amnem et Balatonem lacum, Iaurinum usqu ad oppidum interiectum, materiam insolenti victori barbaro ad saeviendum suppeditavit, insignibus ubi que crudelitatis editis documentis, cum nullum mo dum grassandi in victos militaris licentia invenisset ferro atque igni exustum deletumque est. Duae arces Strigonii altera, quam paullo ante desertam ab Orba nesio commemoravimus, Visegradi altera, atque ill quidem, in qua olim priscorum regum sacrum diade ma servabatur, admirabili modo, a loci antistitibu servatae sunt, cum post tot acceptas clades minime con sternati animis agrestium manum, qui his praesidi essent, subito coegissent. Creditum est a locorum peri tis Solimanum, victoria contentum, ne tot arcium op pugnatio properantem moraretur, quae praesertim in po testatem redactae, haud compensare morae incommo dum viderentur, sua sponte abstinere voluisse. I earum numero fuit Albae Regalis, Thatae, Comar quibus arcibus clari nominis apud Vngaros, aut ho

stis iudicium, quem maiora molientem animo ab incepto properandi studium revocabat, aut casus auxilio fuit. Marotius nobilis pagus, Strigoniensium pontificum secessu, ob silvae et nemoris amoenitatem, quibus undique est septus, adversus tantum hostem, multis editis virtutis et fortitudinis exemplis, magnam nominis celebritatem, felici eventu, si modo est honesta mors turpi vitae praeferenda, consecutus fertur. Huc Vngari, confisi loci natura, cum quaquaversum munitus viarum angustiis esset, aliquot hominum millia confugerant, secum liberis atque uxoribus assumptis, quique minus apti ad arma ferenda haberentur. Etsi vero satis tutos se ad tempus situs opportunitate arbitrabantur: quo tutiores tamen adversus omnem hostium impetum essent, nihil tale metuentium, carris undique in illos obversis, ita aditus omnes praesepserant, quo irrupturos credebant, ut nisi tormentis toti adnixi disiicerent, haud facile expugnaturi viderentur. Hinc feroces vitae contemptu, cuius spem deploraverant, per hostium exitium, quod summum vitae precium desperatis est, sibi nominis aeternitatem et malorum solatium spondentes, saepe eruptione facta, Turcas magna cum caede se in castra recipere foeda fuga coegerunt. Ita hostes, ne quid de fama victoriae, quae integra adhuc invictis bello staret, accepta clades ab ignobili pago delibaret, extemplo tormentis e castris adductis, maioribus viribus rem gerere aggrediuntur. Ad hunc modum victa vi animorum pertinax virtus, omnibus exhaustis viribus, omnes praeter admodum paucos interfecti. Ex iis, qui cladis superstites fuerunt, cum postea de interfectorum numero interrogati essent, qui se Marotium recepissent, ad XXV hominum millia fuisse affirmarunt; magnum quidem numerum fuisse

ingentes cadaverum acervi, a popularibus memoriae caussa excitati, perdiu eo in loco indicio fuerunt, quibus tegendis vix alte effossa humus suffecisse videbatur. In eorum numero, quos insignis virtus Turcarum saevitiae ereptos conservavit, prodidit virtuti invidens fortuna, Michael Dobozius fertur, vir quidem cumprimis clarus rei militaris gloria, sed multo idem constantia et magnitudine animi illustrior, dignus certe, cuius in omni aetate memorabile facinus litterarum monumentis consignatum posteritas non ignoret; cum e media caede elapsus uxorem, magni animi feminam, in equi tergum accepisset, neque spes esset lassatum iniusto pondere Turcas citatis equis sequentes praevertere, intrepida atque impavida mulier, quando inquit conversa ad virum, non patitur fortuna sibi a nobis salutem deberi, et vitae est spes omnis praecisa, quod fortuna recusat, praestet vera virtus, quae per vitae iacturam in maritalis socia tori servet a labe integrum pudorem, cuius, quamdiu vixit, custos severa fuit. Descende vir, et confossam ferro, a foeda barbarorum servitute vindica, nunquam praeclarius in summa etiam fortunae indulgentia morituram. Cuius virtutem vir admiratus, cum iussam forti animo esse, et de se meliora sperare ab instituto abducere non posset, ne quando vir tantam virtutem videretur mulieri invidisse, desiliens equo perstantem incepto, et precibus ut acceleraret fatigantem gladio interfecit, mox in Turcas, infesto citato equo irruens, tantum facinus in hoste admirantes, dignum exitum anteacta cum laude vita, in vestigio moriens tulit. Affirmat Brodericus toto bello prope CC hominum millia, quorum pars caesi, pars in servitutem abducti sint, desideratos esse. Solimanus citeriorem Vngariam, qua longe lateque pate-

bat, ubique oppidis aut ferro excissis, aut incendio exustis, foede populatus, cum populi omnes, qua hostilia arma pervaserant, a Iaurino Viennam usque, victoris barbari impetum fuga effusa declinarent: multorum nuntiis certior fit, populos omnes. qui minorem Asiam incolunt, tumultuari, et nisi celeriter eo cum exercitu properet ire, fore, ut a suis magnum incommodum ac detrimentum accipiatur. Ita veritus, ne exortum malum sua cunctatione corroboratum latius perferretur, ad Asiaticos motus compescendos proficisci primo quoque tempore constituit. Inde ad Pestum copiis Danubium ponte traductis, decimo quarto postquam Budam advenerat die, in ulteriorem Vngariam contendit, mox ad vastandam regionem omnem, quae inter Danubium et Tibiscum intercedit, copiarum partem mittit, nondum desaeviente animo odii vi per tot illatas clades, qua inexpiabili in victos ferebatur. Fuit haec Vngaris calamitas eo bello postrema, sed tanta illa quidem, quantam ii inferre potuerant, quibus ab hostium caede et internecione petentibus summam laudem, quidquid summa barbarie atque immanitate remitterent, persuasum est sibi dedecori futurum. Ita ingens in agris hominum multitudo subito oppressa, paucis exceptis, quibus Tibiscum transgressis, paratum effugium facile ad salutem pateret, quorum alii ferro absumpti, in servitutem abducti alii, qui per aetatem apti servitio haberentur. Is finis Vngarici belli fuit a Solimano Ludovico Regi illati, cuius quidem miserabilem atque infelicem exitum haud facile est diiudicare, hostisne virtuti et felicitati, an Vngarorum discordiis et seditionibus tribui aequum sit. Neque vero me fugit, hoc loco Vngaros queri, se male accipi a rerum scriptoribus, haud iniuria illos quidem,

cum iis redimere scribendi licentiam a nonnullis aut minus licuisset, aut minus, cum liceret, visum esset scriptoribus venalis fidei, qua addicenda quaestuosum semper ingenium, modo licitator adesset, nullo pudoris aut infamiae discrimine habuerunt, quos nominare in praesentia minime necesse habemus. Quod quamquam ita sit, ne plane tamen omnium aculeum effugerent, in his suorum nulli aeque atque illi ipsi, qui de hoc queruntur, videntur accusandi. Sunt enim ita ab illis scripta, ut non tristi magis et severa censura, quam religiosa notata atque animadversa videantur. Nam ut temperet a maledicto religiosus scriptor, et nudas res omni artificio, ut sunt gestae, statuat sibi litteris tradendas: qui fieri potest, ut qui ea legat, quae ad Tolnensem conventum gestae narrantur, dissimulante etiam suum iudicium, qui scribit, non facile secum eos execretur animo, quorum contumacia et ferocia factum sit, ut quae de illis vera traduntur, minime esse verisimilia credantur? Quid vero aliud statuat, cum audiat furentem militem amentia, non rei militaris disciplinae, non legum, non imperii potentem deturbare Regem de curuli sella, cuius auctoritas et maiestas semper pro lege moderatis populis fuit, invitum cogere iis parere, quibus imperare tam importuno ingenio praeditis turpe et contumeliosum sit? *) . . . . . illis cum Vngarorum Regia omnibus necessitudinis vinculis et affinitatis coniunctis. Quae quidem lex ita sancita est, ut facile appareat, non exterorum odio, sed iusto Vngarorum dolore, de praesenti rerum statu querentium, tot annis ante initam inter Maximilianum

*) Eddig a Bécsi Codexből, mely mindazáltal itt szinte hézagos. T. F.

et Ladislaum affinitatem expressam. Decreti quidem exemplum penes nos est, cuius quae argumenti ratio fuerit, his annectere operae precium duximus, summa in eo religione usi, ne quid commutasse, sustulisse, addidisse argueremur, quod a fide, et gravitate scribentis alienum esset. In hanc sententiam vero decretum praescriptum anno huius saeculi CLO. LO. V. kal. Octobris. Cum nihil esset magis nato homine dignum, nihil deo immortali acceptum magis, quam patriae commodis servire, et communi hominum societati, quae tota ratio tuendo optimo reipublicae statu, atque iis malis arcendis contineretur, quibus convulsa ad exitium rueret: adductos regni principes, reipublicae perstudiosos homines, calamitate praesentium temporum, quibus vexatum regnum afflictumque iaceret, dignum munus sua in patriam pietate existimasse, praesenti ruinae reipublicae atque exitio mature obviam ire. Cuius quidem rei efficiendae caussa, se magnos labores, et non ferendos perpessos, ut sua in patriam pietas postularet, et occurrisse multis aliis regni incommodis, et certam invenisse caussam, qua debilitatum, ac dilaceratum regnum, in privatis pariter et publicis rebus minaretur ruinam, foeda ubique facie, domesticas clades atque aerumnas prodente; quidquid enim mali aut sua aut maiorum memoria Vngaris evenisset, ab regibus exteris esse invectum, qui per principum suffragationem essent asciti ad regnum, ut lingua, moribus, institutis, ita studiis diversi ab Vngarorum gente, qui non inanibus honorum titulis, sed magnis gerendis rebus, quas sua sponte honorum tituli sequerentur, sibi decus, laudem, nominis famam apud gentes nationesque omnes comparassent. Quod quidem ita esse ostendi licere clarissimis exemplis, ex Vnga-

rorum annalibus alte repetitis; quod minime sibi tamen agendum censerent, minime arbitrati de eo, quod in oculis omnium positum, nemini non testatum exploratumque esset, pluribus oportere agi. Exteros reges ignaros se ferocissimae genti imperare, quae, priscorum Scytharum suboles, ut ingenti suorum caede atque effusione sanguinis partum regnum posteris reliquisset, ita consuevisset tueri partum ferro atque armis, intentos suis privatis procurandis commodis, rempublicam per iners otium vitam agentes perdidisse, nullo patriae studio ab hominibus exteris regium munus administranda publica salute extorquente. Hinc amissas in regni finibus arces atque urbes munitissimas, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Bulgariam, Dalmatiam a regno alienatas; ut verendum esset, ne avulsis et dilaceratis a toto corpore externis regni partibus, mali vis magno populorum exitio ad interiora penetraret. Quae accepta detrimenta a finitimis gentibus, exteris regnum administrantibus, ab Vngaris longe fuisse abfutura, si penes Vngaros quoque potestas regia fuisset: futurum enim, ut caritate et dulcedine patrii soli perculsa virorum fortium pectora, suorum agrorum, urbium, arcium custodes, non alienae ditionis atque imperii, maioribus viribus nervisque contendentes, munitissima regni propugnacula, quae cum insigni Vngarorum dedecore essent amissa, retinerent. Nam, ut Andreae secundi res gestae praeterirentur, cuius Bela IV. Rex tantus filius fuisset; ut Ludovici, ut Mathiae, qui Vngari Reges late propagatis imperii finibus, gloria et nominis fama apud exteras gentes omnes clari floruissent: hoc vere asseverari posse, neminem natum Vngarum extitisse, quo regnum administrante, non plus esset com-

pendii, quam incommodi acceptum: e regibus exteris regnasse neminem, iustis Vngarorum suffragiis Regem creatum, quin esset respublica adducta in salutis discrimen. Cui incommodo volentes obviam ire, nunquam non gravissimo Vngaris futuro, quorum securitati et in praesens tempus, simul et in posterum cavere patriae caritas suaderet, nullius variante sententia, atque omnium unanimi consensu, fieri decretum in hanc sententiam placuisse, ne in posterum regiis comitiis, quae de more in campo Rakos haberentur, Ladislao Rege, sine liberis vita functo, exteri haberi rationem liceret, exemplo nobilissimarum gentium et populorum, apud quos ex eadem gente nati Reges, quod fas, atque aequitas, et iura divina, atque humana omnia requirerent, regnarent. Indignum vero Vngaros ducere domestica gentis gloria, nobilissimum regnum, quod unum firmissimum obiectum barbaris hostibus propugnaculum Christiana respublica haberet, deteriore conditione aliis, quorum salus, abesset verbo arrogantia, Vngarorum virtute, fortitudine, magnitudine animi, non pro sua magis, quam pro universa Christiana republica arma gerentium, adversus potentissimum hostem inniteretur. Ex omnium Vngarorum delectu, qui prius suis, quam maiorum meritis in patriam splenderet, eum cuius esset magis insignis virtus, quam fortuna, quocumque loco natus esset, quique quam optimus, quamque aptissimus obeundo regio muneri haberetur, creari regem oportere. Ita enim esse statuendum, in quo regiae virtutes elucerent, eum prius dei immortalis providentia creatum regem, quam hominum suffragiis regem creandum. Enimvero haud tam male cum Vngaris agi, ut credendum esset, apud illos neminem nasci, quem prius natura regno idoneum, quam

hominum suffragia ostendissent. Atque illud diserte addi in decreto placuit, ut quoniam non deessent e vicinis regibus, qui intenti regno invadendo, aut per Ladislai mortem sine liberis decendentis, aut per aliam occasionem, quam, ut essent res humanae, offerret casus, aut regno universo, aut regni parte aliqua occupata, tentaturi novas res crederentur. qua ex re esset futurum, ut plurimum de pristino robore et maiestate deperderet: et principes, et qui e pontificum collegio regno praeessent, ad iusiurandum adigerentur, tum suo, tum posterorum nomine, se, ubicumque huiusmodi quidpiam accideret, rempublicam haud deserturos (apparebat vero in eo Maximilianum Caesarem, et Sigismundum notari, de cuius sententia Ladislaus regnum administrabat), ita inter se pactos, ut si quis ex Vngaris, quod omen deus averteret, a finitimis peteretur armis, communis libertatis assertor. unius incommodum singuli ad se pertinere existimantes, arma caperent, atque uno eodemque consensu ad propulsandum armatum hostem e ditionis atque imperii sui finibus accurrerent auxilio, non recusaturi, quin et privatas fortunas, et sanguinem vitamque adeo pro patriae salute profunderent, quousque aut regni pars. per uni illatam iniuriam, aut regnum universum, si id accideret, a communis hostis vi atque impetu in libertatem vindicaretur. Quod si qui minus his starent, iusiurandi religione violata, hi exsecrabiles, infames, intestabilesque haberentur, nobilitatis iure amisso, ut haud meliore conditione, quam servi aut pagani homines essent, ea lege ad poenam adiecta, ut neque a rege, neque ab gentis concilio, more legitimo in campo Rakos coacta, cuius summum in rempublicam ius esset, mulcta levari possent.

Haec decreti summa, quod quidem propriis signis manuque obsignarunt, et alii omnes, et Thomas Cardinalis Strigoniensis, quo maior accederet decreto auctoritas, ut supra commemoratum est, maxime Ladislai studiosus, tum e nobilitate praecipui, qui publica munera in regia obirent, arcibus et praefecturis inter ceteros clari, in quorum numero Scepusius censebatur, tum e sacerdotum collegio, alii primae homines apud Regem auctoritatis. Vnus quidem, Emericus Perinnius palatinus regni, magnae vir dignitatis, principum et sacerdotum ingenti consensui, cum essent CXXC amplius numero, quorum signis esset decretum obsignatum, acerrime obstitisse fertur. Nam, cum comitia Posonii haberentur, et ipse artuum doloribus laboraret, iussis suis se per urbem sella circumferre, decreti iniquitatem, ut credi volebat, deprecabatur. Vetus regni institutum, morem maiorum, sacrorum religionem, naturae, gentium ius perturbari, quae liberam populis potestatem permitterent sibi eum creandi, cuius imperio pareret, nihil enim minus ferendum, quam natos liberos, imperium, cuius ipsi auctores non essent, invitos pati. Quam vero illam legem esse, quae quod iure legitimo liceret, vetaret ne liceat? ut volentes et scientes sibi manus, pedes vinciri, et alterius iuris fieri qui liberi essent, tamquam nexu et mancipio paterentur? Nulla exceptione Vngaris liberum ius permissum, sive ex suis mallent, sive ex exteris regem creandi, quem maxime regno potiri conducere reipublicae existimarent. Nam hoc decretum non edictum, non legem esse, sed legum omnium dissolutionem, publici iuris interitum, regni pestem, atque excidium. Erat magna Emerici apud omnes ordines auctoritas, quam quidem tum Palatini dignitas apud

Vngaros prima, ut non semel diximus, tum familiae amplitudo, et nobilitas generis, sed omnium maxime anteacta vita cum innocentiae laude augebat. Neque prius dicitur queri destitisse, quam minis coactus, suo signo apposito decretum obsignarit, non sine denunciatione, invitum se et detrectantem, neque ut palatinum, sed ut privatum, quod iniquissimum esse censeret, obsignasse. Quae ad hunc modum acta esse affirmant viri graves, exactae aetatis homines, qui ea ab iis accepere, qui iis administrandis transigendisque interfuerunt.*) Numquam certe Scepusius aut regnandi cupiditatem dissimulare, qua flagrabat, aut suorum de se iudicium frustrari est visus, non secundis rebus plus aequo elatus animo, non adversis atque afflictis depressus, quibus, ut nullus alius in tanta fortuna magis, agitatus est, vir, in quamcumque partem se converterat, plane admirabilis. Atque hic quidem facere non possum, quin hoc loco nonnullorum aut fidem maiorem, aut sedulitatem requiram iis tradendis, quae inter Ferdinandum Regem augustae maiestatis principem, et Scepusium de regno armis decertantes, intercesserunt. Cum aliorum vero, tum Vngarorum scriptorum maxime dissimulatio videtur reprehendenda, qui eam nobilis decreti, quod imprimis Scepusio favere, tueri ius patrium videretur, mentionem sibi faciendam non statuerint. Neque me praeterit tamen, quae illis caussa tam praeposterae dissimulationis fuerit, ad gratiam omnia scribentibus, quam pudendis mendaciis et non ferendis assentationibus venantur. Qui si hoc in-

*) Confundit haec Brutus cum iis, quae Viennae, A. C. 1515 gesta sunt. Nam his pactis palatinus Posonii contradixit.

(*Pray* jegyzete.)

genio sunt, ut regum offensionem veriti, et potentium hominum, minus audeant res, ut sunt gestae litteris mandare, viderint ipsi, qui sperent se munus scribentis sustinere, qui testis castus atque incorruptus, non ipse in narrando sibi res debet fingere, aut conformare ad alterius studium, sed ut eas esse novit, libero omni cura animo, inprimis odio atque amore, litteris consignare. Nemo vero non novit, summos reges Ladislai posteros, cuius inertia perditum regnum hoc ab Vngaris decretum extorserit, ingenio scribentium moderatos esse. Qui ipsi cum verissimis suis laudibus cumulati satis probarint, minime ad se alienum dedecus et infamiam pertinere, non sunt credendi, res ex sua fide et religione tradentes, fuisse iniquo animo laturi, satis gnari, ubi metu scriptores a recto scribendi munere deterreantur, magnum vitae praesidium adversus omnes fortunae casus, quod totum historia suppeditat, se ex hominum vita tollere, cuius culpae gravem notam, iis ipsis quibus gratificari student, inurere videntur, tamquam credi velint, se non quae sint, sed quae placeant, velle litteris mandari. Sunt vero ita perdito ingenio nonnulli, ut quae ipsi viderint, quorumque testes multos superesse non ignorent, assentandi studio secus atque ipsi norint accidisse contendant; quorum levitatem arguere, ubi occasio requirat, ut in rebus narrandis, nostrae religioni consulentes, ita temperantes a licentia scribendi, non dubitabimus. Sed ut ad institutam narrationem revertamur, Budam Scepusio Tibiscum traducto, primum iter fuit, iam certioribus nunciis acceptis, Solimanum e regni finibus excessisse, accisis patriae rebus, quando integris, per regiorum inconstantiam non licuisset, opem laturo.

Quo quidem ubi pervenit, foedam regiae urbis faci
miseratus, quae vix ulla vestigia prae se ferel
veteris maiestatis, direpta, incensa, incolis vacua, s
liata regum monumentis, quibus diu florentissima f
rat; conceptum dolorem animo ex patriae ruina lac
mis effusis testificatus est: cum eorum ambition
levitatemque exsecraretur, qui adolescentem Regi
sua sponte ad salutaria consilia animo propendente
in suam et patriae pestem per temerarium consili
praecipitem rapuissent. Inde Albam Regalem cop
duxit, quo illius hortatu frequentes patres princip
que, quicumque e Mohaciensi clade supererant, so
citi de republica convenerant, in tanto momento rer
regni salutem verti existimantes, si matura consul
tione de publicis rebus, quae belli procella avulso
pite nutarent, constitueretur. Vnus principum Step
nus Bathorius abfuit, regni Palatinus, qui cum a
nonnullis Reginae viduae adhaeserat, Scepusio ob j
vatas simultates parum aequi. Ex horum senten
cum de alio regni statu reparando, tum de creai
regni successore agi coeptum, et quidem magna a
morum contentione, verentibus principibus, ne si
agere cunctarentur, destitutum regnum regii impe
potestate praedae hostibus in omnem occasionem
tentis pateret. Ita vero omnes in Scepusium incli
bant, ut si qui dubii essent Ferdinandi potenti
veriti, qui se regni certum candidatum ferret, comi
moratione malorum, quae exteris regnantibus adv
sa Vngaris evenissent, non aegre se in sententiam t
duci paterentur. Haec vero palam studiosi Scepu
homines ferebant, magno multorum plausu, qui s
sponte illius petitioni faventes suffragabantur. Iniu
ab Vngaris fieri, si paterentur Scepusium diu pr

sando spem regni fovere; qui non vi et mali metu, ut Matthias Rex, non nuptiarum illecebris, ut Ladislaus, non haereditario iure, ut exteri reges, sed insignibus in rempublicam meritis subnixus, ante habitus suorum iudicio regno dignus, quam regni candidatus, desponsum sibi a nobilitate repeteret, unicum summae virtuti debitum praemium futurum. Ac promerito quidem regni honorem posse negare Vngaros, sed sine dedecore haud posse, non magis quam eripere conservatae patriae laudem, cuius decus clarius regni insigne, atque illustrius, quam sceptrum, trabea, regia sella, in quavis esset fortuna habendum. Iam pridem exterorum et Vngarorum regum factum periculum esse. Matthiam e privata fortuna ad regnum adolescentem evectum, e carceris squalore et sordibus, ea, quae exteri reges ante se amisissent, recepisse ingenti sua gloria; ea, quae parta sua virtute Vngarus Rex reliquisset posteris, exteros reges cum dedecore amisisse. Eadem ratione, quam Matthias instituisset immortali cum laude, corruptam rei militaris disciplinam, Ladislai inertia, Ludovici adolescentia, qua una re, Corvini tempore, Vngariae regnum magnitudine imperii, gloria, fama rerum gestarum, inter alia omnia Europae regna opulentissima floruisset. Ac si quis vellet, quas Matthias res gessisset praeclare ad calculum revocare: eius gloriae maximam partem a Stephano patre, ut pietatis erga patriam eximiam laudem, dignum tanto parente filium Ioannem Scepusium haereditate crevisse: quod enim bellum Matthiam Regem umquam gessisse, in quo non Stephani Scepusii fuerint principes partes? In Boemico bello gravissimo quae illius virtus exstiterit, praemia amplissima docuisse, a fortissimo Rege, de Vngarorum gente merito

constituta. quo quidem bello confecto, quanta hin monumenta gloriae, hinc imperii incrementa patris accesserint, ignorare neminem. Illud quidem licere lio de patre praedicare, magnitudine rerum gestaru et meritis amplissimis in Vngarorum gentem, omniu consensu principem auctoritatis et gratiae locum apu Regem sapientissimum assecutum: Regis iudicio d gnum visum eundem ampliore auctum ditione, hon ribus, fortunis; quae omnia tamen, virtutis luculei tius, quam fortunae testimonium haberent. Na Austriaco bello pariter, et in Silesia gesto ab eode Rege victore ob eximiam virtutis et prudentiae op nionem, unum delectum, qui, ut Regis munificentia honorem promerendo anteisset, ita cum summa potesta imperii, iis quos bello vicisset, quo nullum iustius pra mium excogitari posset, summo in honore imperaret. Ne minus praeclarum iudicium de patre, Matthia mortu suorum fuisse. Iussum principum omnium suffragi Austriae pracesse, per interregni tempus, quo quide tempore gliscente ambitu in dies, novi motus et gr vissimi belli initium futurum credebatur; qui tantu illi habitus honos, non fortitudinis laudem solum, se fidei atque integritatis etiam commendationem hab ret. Neque id satis visum: cum praeter regium munu nihil homini in terris accidere magnificentius posset in comitiis de Rege creando, cum inter principes m nus conveniret, uni Scepusio absenti ius summum de clarandi Regem, quem mallet, omnium consensu pe missum, ut si Ladislaus Rex ab inferis exsisteret, vi posset, filio vita functo, sine gravi nota ingrati anim ad alium suo suffragio regnum deferre, quam ad eiu filium, a quo ipse regnum delatum accepisset. Nequ vero solum Ladislaum Scepusio regnum acceptum re

tulisse, sed quominus potitus regno a fratre Alberto pelleretur armis, unius Stephani Scepusii virtuti, et felicitati tribuisse. Albertum enim inhiantem Vngariae regno, cum non deessent e principibus, qui eius adeo improbam cupiditatem adversus fratrem Regem fouerent, descendere in aciem coactum, fusum, profligatum, victum castris exuisse, magna sua cum gloria Vngariae populis perniciosissimi belli metu liberatis. Quod si Matthiam Corvinum parentis merita ad regnum evexissent adolescentem vix XVII annos natum, repugnanteque adeo universa nobilitate, quae nullum adhuc ab eo regiae indolis specimen haberet: quanto aequius esse Stephani Palatini filium in demortui locum succedere, liberatae patriae insignem titulum gerentem; rerum gestarum gloriam tuentem constantia; in magnis imperiis versatum summa cum fidei atque innocentiae laude; innitentem populorum studiis, gratia, potentia, affinitate regum et necessitudine florentem? Non esse dubitandum, quin, ut superiores ante se reges, Matthias virtute et felicitate superasset Sigismundum Caesarem, Albertum, utrumque Ladislaum, ita Ioannes Scepusius, cuius iustitiae, integritatis, fortitudinis clarissima documenta patria haberet, esset Ladislaum et Ludovicum longe superaturus infelicibus Vngariae auspiciis regnum adeptos.

Haec aliaque multa, per se vera, in eandem sententiam ab studiosis Scepusii commemorabantur; quae quo magis illius petitionem commendarent, principum pertinax conspiratio efficiebat, ex nobilitate nemine, qui illius spem dubiam faceret, se profiteri candidatum audente. Accedebat certus imminens ab externo competitore metus, quo, ut nemo dubitabat, regnum poscente, foederis praerogativa subnixo, si qui prae-

terea e principibus essent. qui adversus Scepusii tan tas opes pugnare auderent, a petitione deterrerentur ea enim erat contentio futura, ut qui suffragiis suorun haberetur par regno capessendo, praeterito Scepusio ei continuo cum Ferdinando competitore, et de regn simul esset, et de salute dimicandum; eminebat enir praeter sanctitatis atque innocentiae famam, quae illiu petitionem commendabat, ex amplissima familia natu Ferdinandus Rex, quae olim duos Vngariae rege Albertum Caesarem, Ladislaum filium Posthumum de disset, cum debitum se repetere regnum multis nom nibus praeterea contenderet, quibus Vngari adversar et habere simul suae religionis rationem haud po sent. Multa vero studiosi illius homines afferebar quae non se studio, non gratiae dare, non tempor non Austriae familiae maiestati, sed caussae vide vellent. Nam et Matthiae olim Regi cum Frideric Caesare, mox Ladislao cum Maximiliano de regno i Austriacam familiam transferendo actum esse, sem cum imminente Vngaris Polonico et Thracio bell renovata cum eo pax, et novum foedus initum esset iterum Posonii, cum Ladislao adesset Sigismundi Polonorum Rex, fratri interiorum consiliorum aucto In eas autem leges ictum foedus, ut decedenti sir virili stirpe Ladislao, Maximilianus succederet, et qu cumque e posteris legitimo toro nati adeundo regi pares haberentur. Nam Posonii de iungenda affinita etiam actum, quo maiore religione per hanc coniuncti nem sancitum foedus a posteris coleretur. Ac ne vid retur Ferdinandus facere iniuste, qui, quod Vngar rum ius esset, aliorum faceret, aut praeriperet ips foedus primo cum Ladislao instauratum per duos leg tos, summae auctoritatis homines, Stephanum Bath

rium, Thomam Taurinensium pontificem, penes quem unum tum regni administratio esset, quibus de consilii sententia, summa potestas a Rege permissa esset, quibus conditionibus magis e republica videretur, de pace cum Maximiliano transigendi. Cur vero quod regnum olim maiorum memoria Carolo Martello, Caroli Secundi Neapolitanorum Regis filio, ex Maria Stephani IV. Regis filia nato, Vngari obtulissent? cur quod Sigismundo Caesari, cui nupsit Ludovici filia, Martelli Regis neptis ex Carolo filio? cur quod Alberto Caesari, cui Elisabetha nupserit Sigismundi, Ferdinando negarent, Annae viro, Ladislai filiae, mortuo fratre? et quidem eo fratre, qui tum pro patriae gloria, tum pro salute et libertate suorum fortissime dimicans occubuisset? Si iura regni, si mores, si consuetudinem, maiorum exempla sibi spectanda Vngari ducerent in creando regni successore: neminem adeo parum aequum Ferdinando futurum, quin cogatur fateri, insignem illi ab Vngaris iniuriam factam, ita nato, ita educato, ut invito et detrectanti videretur ultro regnum offerendum. Nam, si redux Ludovicus e beatorum sedibus sisti posset, quo migrasse mortali hac vita functum credi par esset, quodnam aliud fortitudinis praemium. quod pietatis erga patriam postulaturum, quam ut ad sororem, ad quam unam maxime pervenisset mortui dolor, lacrymae, luctus, regnum illi debitum haereditario iure, ultro Vngari deferrent, ubi etiam sibi ius sumerent regni, cui mallent deferendi? Iam in Ladislao Posthumo, cui Matthias successisset, unum omnium maxime principes spectasse ius affinitatis, quo ille fretus ad regnum aspirasset, ex Alberti Caesaris filia Elisabetha natus. Quid vero caussae subesse, quare minus Ferdinandum Annae virum cense-

rent regno dignum, qui tanto anteiret, et foederis religione, et haereditario iure Sigismundum et Albertum, quanto illi superiores reges omnes nominis maiestate, cum uterque imperio praefuisset? Ac si ulla ad summum ius perfugienti esset accessio quaerenda, Carolum V. Caesarem Ferdinandi fratrem in regni petitione eminere, quem unum regum omnium, qui umquam gloria et magnitudine rerum gestarum floruissent, potentissimum Christiana respublica haberet, cuius summa felicitas et virtus Solimanum hostem procul ab Europae finibus arceret. Neque dubitari posse, quin, ut duorum fratrum essent praeclare consentientes animi, una pietas, idem studium vindicandi Christiani orbis imperium ab immani hoste, uno atque eodem consilio irrumpentem in Vngariam, cui immineret, nuper tam insigni de hostibus victoria potitus, essent propulsaturi? Quid vero umquam esse in Ferdinando animadversum, qua re, a debito sibi regno arcendus videretur? Quid non esse, qua re, ubi minus etiam tot nominibus debitum posceret, non ultro arcessendus videri deberet? Quas porro virtutes in rege requiri, quae ornamenta animi, quae fortunae, quae non in illo excellerent? Si virtus, si probitas, si animi moderatio esset in rege spectanda, eius esse vitae instituta sanctissima, castum animum, pudorem virginalem, acre odium in improbos, aequi et iusti studium tenax, atque id a natura simul atque ab interiore disciplina, quae optime per se affecto praeclara contigisset. Quantae illum vero moderationis specimen, temperantiae, animi altitudinis dedisse, cum laborantibus Hispaniae populis civili dissensione, et uni deferentibus regnum, atque adeo, ut ne a iudicio quidem materni avi summi regis abhorrerent: maximum ac nobilissimum regnum esset

aspernatus? Ac quamquam haec tanta essent, ut in quavis fortuna natus, dignus summo in terris imperio videri posset: accedere maiorum commendationem, quorum amplitudo et maiestas maior, an religio, iustitia, sapientia exstitisset, in dubio relinqueretur. Magnum vero dei immortalis atque eximium munus iis impertiri, quibus contigisset, ut cum insigni fortuna virtus excellens uno vincta nexu coniungeretur.

Haec ita a Ferdinando cupidis hominibus ferebantur, non speciosa magis illa quidem ad colligenda hominum studia quam vera, ut non omnibus una suffragandi caussa esset; alii enim, cum in unum Scepusium viderent conversa nobilitatis studia, et propterea desisterent a regni petitione, quae verbo iactabant, tristi aemulatione exedente animum, dabant operam Ferdinandi ius tuendo, ut crederentur ab optimo animo proficisci, cum quidem dicerent, non se desperatione honoris a regni petitione avocari, ubi cum adeo gratioso competitore certarent, sed honesti studio, cum ei dicerent se suffragari, cui ius, fas, deus immortalis honestis hominum studiis favens, regi iustissimo ac sanctissimo, ex augustissima familia nato, regnum deferrent. Alii erant, qui, ut superiores diffisi se pares in contentione futuros, tacito dolori obtenderent simulatum pietatis studium, communi otio prospicere se, non Ferdinandi petitioni suffragari dicentes, quem quidem praeteritum, apparebat, repulsae dolorem, armis, qua parte superior haberetur, haud dubie ulturum; neque enim probabile videri, fratrem Carolum, qui eandem Ferdinandi caussam et suam duceret, diu passurum hanc tantam illatam Austriae familiae iniuriam Vngaros impune ferre, quae contumeliae insolens, cum perpetuo tenore iam inde ab Rudolpho Cae-

sare eius nominis Primo principem dignitatis locum
Christiana republica obtineret, ab Vngarici regni p
sessione excluderetur, quo omni divino atque huma
iure subnixa eveheretur. Iam alii erant, qui ita vid
vellent patrii iuris assertores, ut tempori serviendu
et populorum otio contenderent, magna hoc illi quid
cum prudentiae laude, qui mallent sua sponte de s
iure decedere, quam videri per vim ab invitis qu
nollent extortum. Defendenda quidem Vngaris prin
pibus nobilitatis iura, neque sua solum, sed poste
rum etiam caussa, negare neminem; hoc enim ma
rum morem, atque institutum, hoc gentis nobilitate
hoc principum virtutem, gravitatem, constantiam
stulare, a qua sui et suorum memores deficere mini
aequum esset: sed ut moderandis tempestatibus, c
poribus curandis, aliis artibus excolendis saepe ac
deret, ut novis suborientibus caussis, a praescripta
certa agendi ratione discedi oporteret; ita videri
praesentia Vngaris nonnihil, in magna commutatio
rerum, de aperta illa ac directa via, quam poste
maiores stravissent, declinandum, atque ea ineun
quae tempori aptior quam patriae rationibus habe
tur, quae certam rationem creandorum regum per le
tima populorum suffragia diserte suis praescripsis
Fateri hoc malum, sed ut multo mitius malum est
ubi cum eo, quod ab intestino bello immineret, con
retur. Adhuc fluctuare patriam externo bello quas
tam, et quasi gravi naufragio defunctam: quam q
dem, quem non videre ab iis, novis tempestatibus
iectari, qui pertinacius nobilitatis ius, adversus di
potentissimos principes, duos vero? immo adver
magnam Europae partem, quae eorum auctoritate
ututumque respiceret, tuerentur? Quem vero dubit

posse, quin meliore conditione positurus esset, quam aditurus regnum, quisquis esset, qui tam difficili reipublicae tempore, suorum etiam secundis studiis ac principum suffragatione regnum assequeretur? Certe qui hac moderatione animi esset, maiore cum gloria in privata domo apud suos, apud exteros, quam in regia multis populis gentibusque imperantem conspectum iri; cuius enim tam alte animus esset elatus, ut auderet magna regna atque imperia contemnere, eum animo propositum habere oportere aliquid regno maius, quod adeptus, aequo animo careret regno. Atque in horum sententiam, si id modo vere sentiebant, inclinare Sigismundus ferebatur, suae aetatis regum omnium sapientissimus, et arctissimo vinculo affinitatis Scepusio coniunctus, cum illi auctor esset, ut certam sibi et solidam gloriam comparare contemnendo regnum, quam ambitiosius appetendo et sibi aeque, et suis esse exitio mallet. Horrebat animus tamquam ex altissima specula prospiciens, non Vngaris solum, sed Christianis populis omnibus impendens malum, cum nemini dubium esset, quin omni alia spe adempta, Scepusius, quo partum regnum legitimis suorum suffragiis tueretur, ad extrema quaeque auxilia descendens, esset adversus Ferdinandi vim concitaturus Turcam ad arma; dei, hominum opem, magna quidem cum illius invidia, sed non minore sua, imploraturus. Quem quidem multo clariorem, quam omnes suae aetatis reges maximos et potentissimos futurum contendebat, ubi animum induceret, cum potente adversario moderatione animi certare, remittere de summo iure, condonare patriae inimicorum iniurias, suorum otio consulere, cuius moderationis et sapientiae laus omnibus esset regnis maximis ac nobilissimis praeferenda. Vi-

get adhuc apud Polonos fama (a quibus orta non constat), Sigismundum ultro ab Vngaris oblatum regnum magna sapientiae et constantiae laude reiecisse; temere famam ortam arguit, principum in Ioanne Rege creando magnus consensus: quem adeo honoris non poenituerit, ut adversus casus omnes obfirmato animo hortantibus amicis, ut concordiae caussa, aequo animo regni partem Ferdinando concederet, solo vestigio impresso dicere auditus sit, ne tantum quidem soli, quantum vestigio circumscripsisset, nisi coacto, et per vim sibi adimi passurum.

Haec quamquam ita ultro citroque, pro cuiusque sensu ferrentur, in incepto principes perstabant, qui ut numero superiores, sic dignitate pares, Ioanni suffragabantur, magis illi a Germanorum gente, quam a Ferdinando aversi, quem cumulatum maximis laudibus, pietatis, religionis, sapientiae, non illius, sed Germanorum caussa Regem horrebant, ab Vngaris moribus, legibus, institutis, ut non aliae gentes magis, abhorrentium. Neque sibi Scepusius deerat, et quidquid esset, quod sibi cavendum adversarii iactarent, minime sibi deserenda suorum studia existimabat: cum ob alias caussas, tum ne quid committere videretur, quod verteret in eorum fraudem, quorum in se illustre meritum atque immortale esset; neque enim poterat, ut credebat, reiicere regnum, quin eorum ius, a quibus sibi esset delatum, (quod superbi animi esset, ingrati certe,) videretur suo praeiudicio infirmare, comprobare eorum qui unum ius haberent positum in armis, id quod minime sibi agendum esse censebat; nam quod crederent nonnulli, moderationis laudem sibi insignem quaesiturum, suis tam propensa in se studia remittentem, longe illos falli; non enim ei sperandam

modestiae laudem, qui a se hoc impetrare posset, sed infamiae dedecus timendum, notam certe aut demissi nimium animi, aut nimium superbi, et elati; si, quod regnum sui cives, more maiorum indictis comitiis, per legitima suffragia sibi deferrent, aut superbe aspernari, aut, quasi diffisus suis viribus, deprecari impar regio muneri videretur; quod nimis sibi contumeliosum crederet futurum, ut non nato in regia homini, ita qui per omne vitae suae tempus esset in magnis imperiis versatus. Immanem semper per se eorum sententiam duxisse, qui regnandi caussa sibi nefarium inferendum patriae bellum, violandum gentium ius, universum terrarum orbem fatigandum armis, divina humanis miscenda, omnia perturbanda statuissent; a quorum ipse instituto longe abesset. Sed, ut ii detestandi viderentur, qui tam perverso ingenio essent, ita ne eo quidem loco eos dignos censendos, quo essent nati, qui a suis civibus evecti in regiam, ferre, eorum caussa, onus imperii recusarent. Neque vero hoc magis sibi turpe, quam maioribus, quam Stephano patri contumeliosum fore: qui, si viveret, quo animo laturus esset, filium e regia arceri, a suis delectum regem, qui sororem privatus in regio solio collocasset? Relictum se quidem a patre in amplissimis opibus: sed ut minimum semper sibi praesidium positum in domestica potentia censuisset; patriam virtutem aemulando, suis civibus opem ferendo, domi forisque maximas res gerendo, quae essent nato tanto parente digna effecisse. Quid vero Stephano Scepusio, sive quis spectare virtutem et magnitudinem animi, sive quis rei militaris scientiam, ceteras imperatorias virtutes mallet, praeter regium nomen defuisse? Quid in illo umquam desideratum, quod rectori maximi imperii sup-

peditaret raro inter homines spectata virtus? Qui porro illi negasse naturam ad ostendendam regiam indolem, ad rerum gerendarum studium, quod nacti peropulenta regna atque amplissima, tribuere esse visa? Iustissimam se caussam, regni maiestatem, nobilitatis iura, suorum beneficium tueri, qui enixe esse operam daturus, ne falsi viderentur deligendo eo, ea ultro volentes regni insignia deferrent; competitori nimiam potentiam minime veriti, non territi minis, non armorum metu, non belli terrore, quod inde immineret et quidem, ut dubitare nemo posset, quin a quo omnia iura starent, pro eo dei ultoris invicta manus, in honoris contentione esset statura. Ad haec, quibus fretus Scepusius suos excitabat per se satis adversus Ferdinandi factionem obfirmatos, accedebant Vngarorum iam pridem in Germanos alienati animi, iustissimis, ut rebantur, de caussis, ut si optio utrum mallent daretur, perinde existimarent in voluntariam Turcae hostis servitutem concedere, atque in Vngaria Regi Germano imperanti parere. Etsi autem satis suum dolorem erant Vngari ulti, ita magnis Germanis illatis cladibus, ut plane exhausisse odium animis viderentur: non adeo tamen exoleverat Germanis memoria veterum iniuriarum, ut subministratam materiam male animatis ad perturbandum regni otium quamdiu facultas daretur, non summo studio amplecti essent parati. Id autem sibi eventurum Vngari ominabantur, ubi, tradito illis regni imperio, hostiles adhuc gerentes animos in se armassent. Ergo Scepusius, nemine illius petitioni obsistente, qui comitiorum eventum dubium faceret, quod illi felix faustumque esset, atque Vngariae populis universis, qui praesentia magis, quorum laeta facies obversabatur animis, quam quae

praesentibus mala imminerent, spectarent, Rex magno nobilitatis consensu, populi ingenti plausu, ac laetis acclamationibus appellatur, paucis e principibus exceptis, qui statim a Rege interfecto, ut diximus, cum Bathorio regni Palatino, in Reginae et fratris Ferdinandi partes transierant, haud temere regem laturi, quem Transilvaniae praefecturam administrantem non tulissent, privati fortunam, magis opinione hominum, quam ullis suis aut maiorum meritis, ut ferebant, supergressum. Exstant inter alia Vngarorum scripta Antonii Verantii monumenta, gravis hominis, et inprimis rerum Vngaricarum periti, quemque insignis virtus et maximarum rerum usus ad supremum sacerdotii honorem in Vngaria evexit, quibus certae caussae alienationis Sepusii, tum a Ladislao Rege, tum a Ludovico filio ostenduntur; in his quam gravissimam recenset non solum negatam Annam filiam illius nuptias ambienti, id quod supra docuimus, sed ita negatam, ut ab utroque parente iam desponsa ambienti fuerit, quae illius elusa spes frustrataque tanto contumelia maiore, quanto certiorem sibi spem fecerat, per Regis affinitatem, ubi Ludovicus decederet, regni potiundi; quod, ut diximus, liberatae patriae praemium funesto bello a nobilitate reposcebat, cuius de eo obstrictam fidem habebat. Quae illi certa caussa fuit, cur neque ipse interesse voluerit Posoniensi conventui, quibus est de Annae et Ludovici nuptiis, et Mariae, ac Ferdinandi transactum, et praecipuos e nobilitate viros auctoritate sua deterruerit, quominus iis transigendis interessent. Et haec quidem a privato dolore, quae alte animo defixa haererent. Alia a repulsa summi honoris, quem olim patruus Emericus; et postremo Stephanus pater magna cum gloria administraverat. Que-

rebatur enim Palatinatus honorem, quem non semel diximus secundum regem esse in Vngaria primum, a Stephano Bathorio sibi per seditiosorum hominum factionem interversum, cum praefecturam Transilvaniae administranti, in conventibus nobilitatis esset a volentibus ultro oblatus. Inde secuta offensio gravior, cum post Ladislai mortem, in Budensi conventu arce exclusus, atque uno Stephano Bathorio adnitente, regia exsulare iussus esset; cuius iniuriae memoria veteres recrudescentes, per se ingens conceptum animo odium inexpiabile aeternumque reddidere. Ex his qui ad Ferdinandum transierant, recenset Iovius praecipuos, ac, qui illius mos est, non sine maledicti morsu. Nam et turbulentos homines, et cupidos rerum novarum. et quod contumeliosum gregario etiam videatur, semitransfugas appellat, gravi adiecta proditionis nota, non illos animi studio, cum se meliori crederent favere, sed Scepusii odio, cuius gloriae inviderent, ad Ferdinandum transisse. Fuisse in his e clarissimis familiis, Valentinum Terechium, Baldassarem Bamphium, Stephanum Mailatum, Franciscum Garum, Ianum Salum, Gasparem Seredium, Paullum Bacchitium. Scepusius quidem, sui iuris acerrimus defensor, litteris scriptis, ad Carolum V. Caesarem atque ad imperii ordines, regni principes omnes, tribus exceptis, comitiis interfuisse ait, quibus est Rex ab Vngaris renunciatus, quos quidem non minus patriae, quam sibi inimicos, dolori plus aequo indulgens, affirmat partim egestate, partim sui odio, et privati commodi spe (haec sunt illius verba) a patriae pietate et recta via in Ferdinandi caussam transversos actos; in his enim Stephanum Palatinum fuisse constat, quem et muneris dignitas, quod gerebat, et familiae splendor, et dome-

stica virtus, a tam gravi et turpi nota infamiae vindicat. Vt vero videretur ad inimicorum auctoritatem elevandam intemperantius stilo usus, ita nihil caussae erat, quare in edendo numero discederet a viri principis constantia et fide, cuius rei praesertim multi testes superessent, atque ex iis, quibus minime aequis uteretur. Horum adhortationibus Ferdinandus, confirmato animo, fiduciae et spei plenus, ad regnum capessendum consilia omnia cogitationesque intendit. Hinc copias cogere, novum militem conscribere, veteranum ex praesidiis educere, ac partim e Rhetia superiore, partim ex Stiria, et Carinthia, quae sunt provinciae in ditione Austriae familiae positae, levis armaturae equitatum colligere instituit. Quae dum ab illo impigre administrantur, Scepusius secundis suorum studiis, parum laetis auspiciis Rex creatus, nihil prius habuit, quam Ludovici corpus cum cura conquisitum regia pompa Albam inferre, non prius sibi accipienda regia insignia, quam hoc pietatis munere fungendum arbitratus. Quod quidem ne ab eo Vngari desiderarent, Cetricius quidam, unus ex iis, qui in regia ad interiora ministeria serviunt (regis armigerum fuisse Iovius tradit), sua sedulitate et diligentia perfecit. Huius indicio, cum affirmasset frustra inhibentem equum ab effuso cursu, quo freni potens et oris durioris praeceps ferebatur, in stagnum abreptum, atque alto demersum coeno interiisse, missi cadaver quaesitum regii ministri, atque e principibus cum his nonnulli, et pars equitatus, quos regiae quadrigae ad funebrem pompam instructae sequebantur, ingenti multitudine sua sponte sequente, quam Regis desiderium, quacumque iter haberent, excibat. Ita usi dili-

gentia summa, locum, ubi eum postremo vidisset, in dice ostendente, inveniunt, arena et limo obrutum unde eductum, et pari cum cura, absterso coeno per purgatum, apparatu magno rege digno, et qui pro suo rum salute occubuisset, est Albam delatum, obviam cum novo Rege atque e nobilitate praecipuis multitu dine effusa, ac sacra carmina de more, lugubri cantu sacerdotibus praecinentibus. Movebat aetas, casus acerbitas, expers culpae animus, cuius insons alienae culpae luerat poenas, in unius interitu imminens pa triae occasus, quem non longe abesse ex praesenti re rum statu facta coniectura animis praesagiebant; in primis regia indoles movebat, et orta fere atque ex stincta simul virtus animi, quam sperabant, brevi aeta tis licentiae iniectis frenis, e latebris, quibus delite scebat, in apertum erupturam; etsi enim in multi offenderat, eorum culpam in paucorum importunam dominationem reiiciebant, qui inbecillae aetati, nulla vi consilii munitae insidiabantur, quo spes quaestu suadebat, flexibilem animum detorquentes; hoc certa ratione humanarum rerum, ut qui in secunda fortuna offendant, per adversas res prosperis succedentes victa hominum invidia, moveant ad misericordiam, quos a se aversos laetis rebus sint experti. Inde a Rege, reli gionis atque humanitatis suae memore, solenni regum more, iusta funeri soluta, quod quidem omnium ordi num magno concursu, ad Divae Virginis concelebra tum est, novi Regis constantiam et magnitudinem ani mi inprimis omnibus laudantibus, qui funeri interfue runt, quorum adhuc nonnulli, a quibus haec accepi mus, supersunt. Habeo auctorem gravem hominem et spectatae fidei, qui laudem reperti regii cadaveris in nobilem Germanum referunt, Vlricum Zevuczium

nomine*), quae illi quidem eximia debetur. Nam, et praesentiam animi, et pietatem insignem in Regem ostendit, ausus ad vitae usque ultimum discrimen illum sequi, cum gravis armaturae eques pressus onere armorum difficilem receptum, et parum explicatam fugam haberet. Mortui Regis galeam Christophorus Rauberus episcopus Leibaciensis a vidua Regina impetravit, quae monumenti caussa in sacra aede Obemburgensis urbis, quae est urbs Stiriae primaria, ad haec usque tempora appensa visitur. Idem auctor est, quo illi magis sit fides habenda, et Germanus, et in Austria natus, Ioannem Vaivodam Transilvaniae anno CIↃ. LↃ. XXVI. Regem ab Vngaris creatum et apud Albam Regalem coronatum. Quae cum ita sint, admirari satis non queo rerum scriptorem doctum hominem, atque Vngarum adeo, quod caput est, usque eo potuisse sui instituti oblivisci, ut nulla facta mentione comitiorum, quibus more maiorum est Ioannes Rex creatus integro ante creatum Ferdinandum anno, scriptum relinquere sit ausus, a Ioanne Scepusio regnum Ferdinando ereptum, nonnullis e nobilitate, malis artibus et magnitudine largitionum in sententiam traductis. Nam Ioannes mense altero post cladem ad Mohacium acceptam, ut supra commemoravimus, tanto consensu, quanto nullus umquam superiorum regum, est creatus. Neque desunt certi auctores qui affirment, Perinium post Regem interfectum, ultro coronam non poscenti Scepusio attulisse, quod quidem mihi verisimile fit, iis de caussis, quae paulo post a nobis explicabuntur. Nam illud non ferendum mendacium, Ioan-

*) Est is idem Vdalricus, vel Vlricus Zetricius Silesius, ut habet epistola Petri Sárfy. (*Pray* jegyzete.)

nem spem concepisse potiundi regni per Solimani gratiam, nondum proelio ad Mohacium commisso: quae male conficta in gratiam Augustae familiae satis suis hominibus splendentis ne illi invidendae sint alienae laudes, quam absurda, et praepostera sint, paullo post suo loco ostendemus. Ergo magna pompa regii funeris iustis peractis, novus Rex solenni maioribus ceremonia Albae insignia regia accepit, adsistentibus duobus pontificibus, Paullo Strigoniensi, qui ab eo postea defecit, et Stephano Broderico Vaciensi, perspectae fidei homine, cuius opera mox litteris arcanis scribendis est usus, quo munere erat pridem apud Ludovicum Regem functus. Inde Transilvanis, quorum egregiam in se fidem erat expertus, Emericum Cibacum praeclare de se meritum hominem praefecit; pari liberalitate ceteros complexus, quorum nobilitas novi Regis magnificentiam splendidiorem efficeret. Hinc congiario populis, donativo militibus delinitis, suos in officio continere, qui dubiae ac fluxae fidei haberentur, confirmare, alios, qui aperte ad Ferdinandum defecissent, spe ingentium munerum atque opulentioris fortunae allicere in suas partes conabatur. Augebat prolixum per se animum, et temporis ratio, et suorum in se meritum, cum nihil non illi parum videretur, quod grati animi monumentum in eos constitueret, a quibus sibi esset tantus in terris habitus honos. Ea vero erat animi magnitudo, ut quamquam in regni summa opulentia, quantumvis profuso ac vasto animo, non deesset materia ad explendam omnium cupiditatem, iis facilius, quam ipse sibi posset facere satis. Nam, ne quid de regia magnificentia remitteret, non ignorabat iislem se rationibus a Ferdinando peti, et cui neque nimus deesset, neque vires, quae aequarent animum.

ad populorum et principum studia sibi concilianda; qua in contentione non vinci, ut etiam omnis contentio de regno abesset, sibi ad hominum commendationem fore magnificum et gloriosum putabat. Non deerant quidem, qui affirmarent plaustra onusta facto ac signato argento ad ceteros homines missa, sive id verum, sive consulto ab adversariis dissipatum esset, ad invidiam Ferdinando Regi conflandam, quorum suffragatione facilior aditus ad regnum pateret. Eodem anno quo Ioannes Rex ab Vngaris est in Ludovici locum suffectus, Ferdinandus, cum Caroli fratris nomine comitiis in Spirensi conventu praefuisset, a Boemis absens Rex creatur, tria eodem tempore assecutus, quae illi memorabilem eum annum reddiderunt. Nam et imperii comitiis praefuit, qui honos, quasi praerogativam quandam afferre petenti Boemiae regnum, quo illum occulta fata destinabant, videbatur, et mascula prole auctus, ex Anna uxore Maximilianum suscepit, qui illi regnorum successor atque imperii fuit, et cum Viennae esset ex Germania reversus, a Boemis se Regem appellatum, effusis populorum studiis et suffragiis principum cognovit. Missa Viennam perampla legatio, cuius erat princeps N. Berka Laipanus, vir primae apud suos dignitatis, honorem illi regium gratulatum, simul qui significarent, ut Pragam, tum ad accipienda regni insignia, tum ad confirmanda de more gentis iura, quod solenni iureiurando fieri oportebat, venire ne gravaretur. Ita a Boemis principibus Pragam deductus, magna pompae celebritate Rex inauguratur, cum, praeter regni primores, Casimirus Comes et Georgius Brandeburgensis spectaculo interfuissent. Inde ludicra armorum certamina edita, et hastarum concursus, ceteraque laetitiae signa, quae

[illegible] in acerbissi
luctu totius Christianae reipublicae maiore cum lau
crediderunt. memores. ab eo tempore anno altero. C
rolum V. fratrem. cum in Hispania nuncios accepi
set Franciscum Regem in Italia magno proelio a su
victum. atque in potestatem vivum redactum. nulla
laetitiae signum edi passum esse. cum ita esset pra
fatus. magna cum moderationis laude. partam vict
riam per multorum hominum millium caedem, luc
magis. quam ludorum et festorum dierum inanib
spectaculis celebrandam. Inde cum Anna Regi
auctus regni honore. per Moravos in Silesiam tot
adornando bello intentus. quod in Ioannem Rege
moliebatur. Vratislaviam contendit.

Quae dum ab illo ad hunc modum administra
tur; Sigismundus Rex exsecratus animo e duoru
regum discidio effervescentia in Christianam remp
blicam bellorum incendia. Ferdinandum bellum para
tem. inscio Ioanne Rege. quod argumentum opti
animi esset, litteris hortabatur. ut de controvers
regni, quemadmodum Christianum Regem deceret,
pacis atque otii amantem, iure disceptare, quam a
mis mallet. Si quid a se proficisci speraret, qua
animi conciliari, et positis simultatibus redigi ad co
cordiam possent, et eorum se, et reipublicae causs
cui ultimum salutis discrimen immineret, ne eum
se concepta spes falleret, operam daturum. Id faci
effici posse, si ita se animo compararet, ut si qu
esset, quod utcumque concordiae officeret, id de s
uterque iure statueret sibi remittendum. Deliger
tur modo locus, qui quam commodissimus videret
conventui habendo, quo missis uterque legatis, qu
iuris adeundo regno haberet, afferret in medium, p

delectos homines, quorum prudentiam fides, fidem prudentia tueretur, de summa eius controversiae disceptaturi. Olomucium urbem, cum propter opportunitates alias, tum quod haud longe abesset ab Austriae atque Vngariae finibus, ad id maxime idoneam haberi, quo et ipse quoque esset suos legatos missurus, ut si qua in re posset esse subsidio de tanta re disceptantibus, suam operam ne desiderarent. Perpetuis belli cladibus afflictam Vngariam per tot annos, quot a Belgrado amissa numerarentur, quantumvis levi motu civilis belli, nisi quid subsidii in suos inveniret, quassatam labantemque adeo prolapsuram. In convulso ac labefactato regno, quasi in semianimi et dilacerato corpore, spectari acerba et letalia vulnera, eversas urbes, incensas arces, solo aequata sacra ac profana loca; ubique tristia carissimarum rerum funera, barbarae crudelitatis et saevitiae immania monumenta, quorum nulla umquam posteritas esset oblitura. Quae tanta mala, satis per se exsecranda, ut nihil etiam additamenti quaereretur civilibus armis, non Vngaris solum, sed Christianis populis universis, per Vngarorum ruinam aditu crudeli hosti ad gentes finitimas patefacto, exitium portenderent. Eorum alterum ex Vngara, eadem Regis fratris filia, habere susceptos liberos, ut aequum esset eum obtinere apud se filii locum, Augustae praesertim Regem maiestatis, et cuius Carolus frater Christiani imperii habenas moderaretur; alterum Barbarae Reginae fratrem, ex qua ille prolem suscepisset, ut non posset non summo complecti amore, secum arcta affinitate coniunctum. Ita vero se, utriusque gratia, omnia cupere, ut una aequitas caussae, si de communibus eorum controversiis sibi esset iudicandum, quas partes numquam sibi esset imponi pas-

surus, inter sibi devinctos pari affinitatis vinculo, posset apud se facere discrimen. Orare, obtestarique, pro perpetua sua in illos voluntate, ut poscenti opem patriae innumerabilibus circumventae malis, levationem aliquam afferrent; neu prostratam externi belli procella per accessionem domestici mali externo hosti succumbere paterentur. Quae tutissima ratio esset, in deliberando debere illos aestimare animis, qui belli eventus, et victores pariter, et victos maneret, ubi de regno iis esset armis decernendum. Errare, si eum victoriae fructum, cuius caussa descenderent ad arma, se crederent relaturos. Praesto fore, qui recentibus copiis subnixus, victori, quod necesse esset accidere, affectis et debilitatis viribus vincendo, in medio positum regni praemium extorqueret. Facesseret tam dirum ac triste omen; non illos pro sua, sed pro Solimani victoria descensuros in aciem, accepturos adversa vulnera, telis, tormentis, et suam, et suorum vitam obiecturos, quorum caussa iis honorificum esset, ubi id usus postularet, et sanguinem in acie, et vitam profundere, eiusdem gentis, patriae, religionis. Ita, quam opportunitatem semper quaesisset Turca hostis, finitimas gentes in servitutem redigendi, eos ipsos optanti, quam speranti magis ultro offerre Christianos reges maximos, et nobilissimos, quorum praecipue partes essent, ubi aliunde illi ostentaretur omnibus viribus occurrendi; certe videri aequum esse, ut quorum esset commune periculum, eorum communia consilia, concordes animi, vires, copiae haberentur periculo arcendo.

His adhortationibus commotus Ferdinandus Rex, se in Sigismundi potestate respondit futurum, magis declinandae invidiae caussa, ut videtur, quam concor-

diae studio, cuius conciliandae exigua spes esset, ne, si recusaret, nimium obfirmato animo adversus amici Regis consilia, in illum adversarius culpam derivaret, pertinacius salutaria consilia reiicientem. Ergo Olomucium ad indictum conventum a duobus regibus, de quorum controverso iure agebatur, et a Sigismundo simul, qui se interpretem tollendi discidii ferebat, legati missi, quibus praesentibus, per iuris peritos homines, cognito quid iuris uterque in regnum haberet, de eo, uti ex sua religione et fide visum esset, pronunciarent. Sed ea ratio irrita Sigismundi spem fefellit, optimi Regis quidem laudem adepti, sed parum fortunati conciliandis dissidentium animis. Etsi vero haud dubie Ioannis caussae favebat, comprimendum tamen interiore animi sensu tacitum in illum studium censebat, iam tum moliens animo, quae postea a Ferdinando contracta est, cum Sigismundo Augusto affinitatem, qui patri in regnum successit. Expediebat quidem, vicinum Regem, et praepotentem, amicitiae et necessitudinis vinculis devinctum habere; certe huiusmodi, ut minime expediret, eo parum aequo uti, id quod futurum credebatur, ubi Sigismundum propendere in adversarii caussam animadverteret. Ne tamen nihil actum videretur, e regibus neutro se ad aequiores conditiones perduci patiente, Ferdinandi legati, Bosnam Ioanni cum regio titulo offerebant, decreta annua pensione XL nummum Vngaricorum millium, et patriis bonis restitutis, quorum vectigalia per se satis idonea ad maiestatem regii nominis sustentandam crederentur. Quae periniqua conditio Ioannis legatis visa, reiectaque tuentibus regni ius veterum more, atque instituto, a quo discedi per regum affinitates atque exterorum connubia rem indignam et non ferendam

censerent: quem enim non videre, ubi in eo Vngari conniverent, fore ut relictum a maioribus liberum ius sibi creandi regem brevi amitterent? Nam et decretum in Posoniensi conventu factum, vivente adhuc Ladislao, cuius supra mentionem fecimus, proferebant, in quo quidem centum et octoginta signis e praecipua nobilitate hominum obsignato, diserte vetitum esset inposterum regiis comitiis exterorum rationem in regni petitione haberi. Quae quamquam ita essent, usque eo tamen Ioannem decessurum de suo iure, ut quam pensionem regibus Vngariae pro Silesiae et Moraviae cessione Ferdinandus solueret, concordiae caussa remittere paratus esset, quam quidem oblatam conditionem eo minus reiiciendam Ferdinando contendebant, quo magis appareret, ubi summo iure experiri vellet, nihil illum posse proferre, quo subnixus posceret regnum. Nam Ioannem statim Regem creatum fretum optimae caussae fiducia ad Ferdinandum legatos misisse, qui, vetere regum more, delatum illi a Boemis regnum gratularentur, et simul se ab Vngaris Regem creatum significarent, qui ab illo hostilem in modum accepti, et male multati dimissi essent. Neque ob idipsum tamen inceptam de concordia actionem intermisisse. Nam, et ad Sigismundum Polonorum Regem affinem, et ad Clementem VII. Pontificem, Franciscum Gallorum, Anglorum Henricum, et Carolum Caesarem adeo fratrem adversarii, ut appareret, ab optima caussa ingentem animi fiduciam proficisci, eodem argumento litteras dedisse, neminem se iudicem recusaturum, cuius haberetur integra fides, quicumque is esset, ad quem eius caussae cognitionem adversarius deferret. Ita tota de pace actio discussa, quam regnandi cupiditas difficillimam reddebat, raro

in magnis ingeniis aequitatis et iustitiae potens, et conventus dissolutus est. Neque ob id tamen Scepusius, quamquam imparatus ac de improviso oppressus, aut contrahere animum, aut desperato belli eventu in regni contentione cedere Ferdinando constituit. Qui ne caussa minus, quam vi, atque armis superior videretur, litteras pridem dederat et ad alios Vngariae populos, et ad septem Saxonum sedes, qui Daciae ulteriorem partem incolunt, criminationibus plenas. Querebatur vero, adversus legitimum principum conventum Comarum indictum in diem VII. kal. Decembris, superbe spreta viduae Reginae, et Stephani Palatini auctoritate, alium ipsum Albam conventum indicere ausum, cuius agendi diem Non. Novembris praefinisset. In eo, frustra reclamante Maria Regina, dissuadente se dehortanteque adeo, obnunciante postremo Stephano Palatino, et ceteris proceribus regni, sacro-sanctam coronam, quam a prima usque adolescentia, per omnes artes ambiisset, fretum suorum studiis seditiosorum hominum usurpasse. Sorori Reginae, quae, ut aequum esset, magna cum cura Regis corpus conquisitum, ac pari pietate inventum efferre magnificentissimo funere constituisset, ne postremum quidem pietatis officium per unius praeposteram ambitionem persoluere licuisse. Atque eum quidem Regem fuisse Ludovicum, cuius insigne in patriam meritum, atque universam Christianam rempublicam adeo, omnis consequens aetas litterarum monumentis esset celebratura. Vsque eo praecipitem dominandi cupiditate actum, ut quem destituisset vivum, (tamquam in eo satis non esset peccatum), sepultura prohibere, quantum in se esset, veritus non sit, quod numquam non victi hostes ab hoste victore impetrassent. Hanc tantam iniu-

riam, cum Regi mortuo, et sorori Reginae, per cuius contentionem haec esset ausus moliri, tum sibi adeo illatam, quamdiu memor suae fidei et constantiae esset, negligere sine magno suo dedecore haud posse. Invasisse debitum sibi regnum tum affinitatis fore Ladislai genero, tum ex antiquo foedere inter Fridericum Caesarem icto et Matthiam Regem, mox inter Ladislaum, iam inde ab eius regni initio, et Maximilianum instaurato. Neque prius tamen repotiturum se arma, quod sibi facillimum sit, quam fore disceptaturum conventa Posonium translato, quem minus Comari peragere, quo semel esset indictus, Regina potuisset. Initium regnandi se non e caedibus, populationibus, incendiis, sed a beneficentia, liberalitate, magnificentia, ut Carolo fratre principe Christiani orbis, ut melioribus, ut se dignum esset, facturum.

Haec fere iisdem verbis, in eandem certe sententiam, ex Ferdinandi litteris huc placuit transferre, quas ille eiusdem argumenti, non ad Vngaros modo, sed ad omnes Europae principes etiam dimittendas eodem tempore curavit; ut vix Ioannes Rex, quamvis a volentibus Vngaris per legitima suffragia regnum adeptus, adversus tantas opes, ingentem in se conflatam invidiam diu videretur posse sustinere. Cum alibi vero, tum Romae inprimis eadem a Ferdinandi legatis, atque ab Austriae familiae studiosis hominibus iactabantur, quorum erat, propter nominis maiestatem, ubique numerus ingens. Erat porro operae pretium spectare, maximos reges, quorum non arma viresque potius, quam animi iactabantur, Solimano Vngaris pestem moliente, quo quidem tempore occidenti Christianae reipublicae per unius regni occasum, esset cunctis viribus subsidio eundum, adversus legitimum

Regem, ultro oblatum a suis regnum adeuntem, quem honorem maximis in reipublicae meritis esset adeptus, tamquam adversus communem hostem Christi, bonorum omnium, consurgere, arma, bellum denunciare, igni atque aqua interdicere, ex hominum coetu deturbare. Augebant invidiam, qua flagrabat sua sponte novus Rex, Germani concionatores, ad temere dissipatam famam, verborum faces atque incendium addendo multitudinis consensu ingenti, quae non caussam, sed dicentium auctoritatem spectabat, qui in Ferdinandum et Carolum fratrem effusi, omnia ad gratiam, nihil pro sua fide et religione loquebantur. Ab eo accitum Solimanum in Vngariam, atque incensum ad bellum, quo sua sponte propenderet, certa victoriae iniecta spe ex Vngarorum tempore, intestinis odiis et seditionibus laborantium, cum esset res gerenda adversus adolescentem Regem, qui quidem, utrum imparatior ab armis, an a consilio esset, aegre iudicari posset. Ita hinc obiectum hosti feroci, hinc desertum a suis, regiis insignibus tamquam infulis ad aram mactandam victimam, velato capite, occubuisse, scilicet, ut per illius interitum Scepusio, a quo desertus et proditus esset, aditus ad regnum patefieret, sceleris praemium, quo nullum post natos homines tetrius, immanius, exsecrabilius excogitatum esset. Hinc omnia ea mala passim commemorabant, quae, eo regno potiente, malevoli quidem, et tristes rerum coniectores, sed non vere, quam invidiose minus, Christianae reipublicae imminere dicebant, eversiones urbium, populationes agrorum, provinciarum incendia, servitutem, caedes, quibus victricia Turcarum arma nobilitarentur, numquam non cruenta e bello referentium. Verbo regnaturum Scepusium, Solimanum re,

cuius victoriae praemium, precario partum regnum Scepusius esset administraturus. Inde non iam excursiones et levia proelia, sed iustas expeditiones in finitimas Vngariae provincias susceptarum, Austriam, Boemiam, Silesiam, universam Germaniam, nullo ire obviam victori audente, quacumque armatus sibi ferro viam aperiret. Ad ea tempora tamquam claustra barbaro hosti Vngariam obiectam, Christianae olim reipublicae munitissimam arcem, qua potitum Turcam, quod quidem prohiberet deus propitius, suis non secus ac violentum amnem auctum hibernis nivibus, in subiectos campos effusum, vim omnem suam, exercitus innumerabiles, gentes immanitate barbaras, quarum aviditatem ne orbis quidem terrarum expleret victoribus expositus, ad praedam in Europam universam effusurum. Haec, quae sua sponte gravia ingentem ubique animorum motum ciebant, fama latius in dies serpens augebat, cum ad ea, quae ferrentur, alia adderent multa, ad quos manaret numquam non in progressu, et celeritate uberior, atque auctior vero. Ita autem omnes censebant Ferdinandi caussam communem omnium, quicumque colerent Christi nomen; Ioannis Regis eandem et Solimani caussam esse, cuius fretus gratia et potentia crederetur regnaturus; ut iustissimum in unum haberetur omnium odium, quorum exitium male appetiti regni pretium, ut credebant, constituisset. Omnium vero maxime officiebat summo iure, et temporis praerogativa innitenti (integro enim ante Ferdinandum anno inierat regnum) Caroli V. Caesaris potentia, in quem unum tum omnes Europae fere populi respiciebant, florentem aetate, magnitudine imperii, tot de hoste partis victoriis, in his, maxime omnium memorabili, quae illi victum Franciscum Gallo

rum Regem, captivumque tradidisset. Nam Clemens Pontifex speciosum religionis nomen, non obscurae cupiditati praetendebat, per Caroli victoris arma, patriam in potestatem suorum redigendi, quae constantiae, et fortitudinis raro exemplo, antiquum ius libertatis tuebatur; desperatis enim Pontifex Francisci Regis auxiliis, per cuius fractas vires, omni spe perficiendi incepta exciderat, unus Carolus ad quem confugeret, supererat, iam a Leonis usque pontificatus tempore assuetus medius inter duos summos reges, ex suo tempore, et suorum, colere amicitiae iura. Inde unus omnium acerrimus in Scepusium, tamquam in Solimani mancipium et communem hostem invehebatur, cum suo iure tanti vindicandi sceleris sibi sumeret principes partes Christi Pontifex, religionis Sacrorum vindex, ut iam non solum verborum fulmina, dirarum obnunciationem, interdictionem a sacris, quae pontificum Romanorum arma magnis regibus semper formidolosa fuerunt, sed belli minas etiam et denunciationem intenderet, ni malis artibus parto regno, et per paucorum factionem, legitimo Regi cederet. Quae omnia ad eundem finem spectabant, emolliendi Caesaris animum, atque in sententiam traducendi, non certo animi iudicio, et quod crederet se meliori caussae favere, sed iniustissimo in eum odio, quem a suis magna concordia regem creatum, non malis artibus, nomen exempta largitionibus suffragatione, non . . . . . potentia sciebat, multis Romae agentibus, praeter regios legatos, qui non erant passuri Pontificem, quae in Vngaria agerentur, ignorare. Ad ea enim tempora Caesar offensus foedere, quo erat Clemens Francisco Regi devinctus, ab illius rationibus aversum animum ostenderat, edito scripto querelarum pleno, quo illius cri-

minationes et maledicta refutabat, commemoratis il
stribus suis officiis et multis, quibus, nondum adept
pontificatum prosecutus erat. Nam et duriore illo s
spe caussa Neapolitani regni erat usus, et fide n
lecta, promissis non stetisse querebatur, pollicitum
eum legibus soluere, per quas non liceret eidem
mul Neapolitano regno et imperio potiri; atque q
id adeo ferret iniquiore animo, id ab eo factum ex
stulabat Francisci Regis caussa, cui gratificari in o
nibus consuevisset. Ita Ioannes Rex, Clementi Pon
fici innocens iactandus, vexandusque obiectus, unu
ut credi volebat, poscenti tanti sui in Ferdinandi
studii praemium, suorum iniustissimum in patriam
gnum, quo se facile potiri posse, nisi per unius C
saris arma haud sperabat. Neque interea tamen
Ioannes Rex deserebat, et scriptis litteris, tum ad
teros reges, tum ad liberas civitates, et aliorum
lumnias, et Clementis Pontificis inprimis haud obs
rae caussae adversarii faventis refellere conabat
Quae in se crimina Pontifex comminisceretur, quan
a vero argumento non manarent, id quod neces
esset ab iniustissimo in se odio proficisci, quod in p
vato homine non ferendum, minime omnium Ponti
cem Maximum deceret, qui se regum parentem, Ch
sti in terris vicarium, arbitrum rerum homanarum o
nium, et moderatorem ferret. Tanto vero illum acri
reprehendendum, quanto minus ulla a se lacessit
iniuria, more atque instituto maiorum legitimo a su
creato rege, innocentem atque innitentem . . . . caus
odisset. Quod nemo non videret cuius esset lib(era men
tum a favore et animi studio, tum a privatis inimiciti
et simultatibus, unam illi esse odii caussam gratioso
praepotenti adversario suffragandi, qui non iure,

aequitate, sed domesticis opibus, et Caroli fratris subnixus, per obstantia naturae et gentium iura, aliena regna invadere armis aggrediatur; ut habeat quibus armis, immemor sacrosancti honoris, quem inter homines gerat, erectam in spem pacis Italiam perturbet, patriam inprimis, cui quidquid homines habeant in terris expetendum, referant acceptum. Indignam rem indicta caussa damnari Regem, circumveniri iniquo iudicio innocentem, spoliari nobilissimo regno, tot nationes, tot gentes, tot populos, quorum immortalia in Christianam rempublicam merita recenseri queant, crudelissime vexari, non a Solimano quidem, Christiani nominis hoste, sed a Christi pontifice, ad quem unum perfugere, afflictis rebus suis, Christianos reges aequissimum sit. Licuisse adversario per Pontificem Maximum, in omnibus illius consiliis ei conniventem, adornare in se disertos homines, qui de loco superiore, per immanem concionandi licentiam, populorum in se odia concitent, iis commemorandis, a quibus ita semper docuerit se abesse illustribus multis anteactae a se vitae documentis, ut illi ipsi a iustitia semper atque aequitate abfuerint, qui ea in se iniustissime confingant. Quae quidem propterea non sit refutaturus, ne videatur magis artificio orationis, a quo ipse longe absit, et quo minime indigeat fretus optima caussa, quam conscientia recte factorum, quae excelso loco reipublicae posita carere teste non possint. Et licere quidem pontifici in se ubi visum sit intentare sacra arma, quae non videantur tamen temere in quemquam distringenda; sed ut idem intelligat hebescere eadem in innocentem intenta. Nam illud saepe accidere, ut emissa tela in eum, qui sit tectus innocentia . . . inde

ubi haerere non potuerunt, in eum ipsum a quo sint emissa retorquerentur.

Atque ita quidem novus Rex adversariorum criminationibus occurrebat, eadem e regni principibus querentibus, a quibus auctoribus comitiorum fuerat rex creatus: iisdem enim a Pontifice diris atque obnunciationibus defixi pariter et Scepusii caussam, et suam credebant. Movebantur vero non solum Regis iniuria, cuius violari maiestatem nullo illius merito, indignam rem ducebant, sed Vngarorum etiam, cum non prius crederent, posse a se regem creatum honore abdicari, quam per confusa et perturbata patriae iura, respublica tanto accepto vulnere praeceps ad interitum rueret. Quo vero liberius quererentur, inustus animis dolor efficiebat, qui ita impunitatem dicendi alebat, ut dolorem fovebat contumax in iniuria Pontificis animus, qui ita credebat se posse tueri suum ius, si tuenda ea caussa, quam semel esset amplexus, nihil de incepto remisisset. Hanc tantam sive constantiam, sive pertinaciam ita Vngari aemulabantur, ut non ipsi libere minus in Pontificem, quam in Ioannem Regem Pontifex probris conviciisque baccharentur, quod facile coniici potest ex iisdem Ioannis litteris, quibus de illius in se iniuriis acerrime vehementissimeque expostulat. Nam, quod olim de superioribus pontificibus, Iulio, Leone, erant questi, id quod in mali aemulatione solet accidere, ut improborum aemulatores eos superent, a quibus male agendi praecepta hauserunt (addunt enim ad aliorum improbitatem et nequitiam suam), querebantur, Vngarorum calamitates quaestui habere, quod tamquam pietatis velum, non occultis tamen consiliis obtenderet, suos ad nova regna atque extraordinaria imperia, per populorum

perpetuas clades, incendia, populationem, evehendi. Hadriano Pontifice, cum Rhodo amissa, quo vulnere paene afflicta Christiana respublica concidisset, Romae Regis legato quiritante, atque implorante dei atque hominum fidem, ut susciper(et mo)do cogitationem Christi pontifice dignam, conciliandi principum (anim)os, adhortandi ad concordiam, ad bellum barbaris hostibus inferendum, nequidquam actum, cum altero propugnaculo a terra Vngaris erepto, alteri exscindendo hostis potentissimus immineret; quo potitus, Christiani orbis exitium pestemque a mari freno iniecto haud dubiam moliretur. Et tum quidem delectum e cardinalium collegio Pompeium Columnam, peritum rei militaris hominem, qui primo quoque tempore legatus in Vngariam praemitteretur, quo alacriore animo obiret legationis munus, aucto Catinensium pontificatu, quod in Sicilia peropulentum sacerdotium haberetur. Neque tamen satis in eo illecebrae visum ad iter accelerandum, neganti se prius pedem Roma efferre, quam centum quinquaginta coronatorum millium summa sibi esset ad rei militaris apparatum dinumerata. Quantum vero in eodem esset pietatis studium, quantum religionis, docuisse ea, quae ab illo essent eodem anno administrata, quo esset accepta ab Vngaris ad Mohacium clades. Romae enim Caesarianarum partium ducem, egentium et desperatorum hominum comparata manu, cum per vim esset in urbem ingressus, Vaticanum veterem Romanorum pontificum sedem depopulatus, Clementem inimicum pontificem, cum sacris thesauris, et omni divinae rei apparatu se in Hadriani molem recipere coegisse, factiosum hominem, superbo atque impotenti ingenio, et in civilibus discordiis aptiorem ducem certaminibus cum

inimicis serendis, quam iusto gerendo adversus Turcas bello. Inde secuta Hadriani Pontificis morte, cuius salutaris pontificatus Christianis populis futurus crederetur, spem omnem perficiendi, quae inchoata Romae praeclare essent, Vngaris simul occidisse. Suffectum enim in demortui locum Clementem, tanto omine laetiore, si id a (specioso) nomine modo sit petendum, quanto, si quis rem spectet, reipublicae tristiore fato. Hinc patriae, hinc urbi olim in terris imperii domicilio, hinc Italiae, hinc Christiano orbi universo pestem perniciemque importatam. Eundem quidem pontificatum, sacrosanctum, divinum, idem munus, sed pontificis disparem animum atque a functione muneris alienam sententiam, hostis pacis, belli, discordiarum inter summos reges dissensionumque auctoris, quibus contra fas, divina atque humana iura omnia, immanem dominandi cupiditatem foveret, cui explendae maximis emptum largitionibus pontificatum destinasset. Ab eodem iactata in Turcas arma, non obscuram fallaciam ad captandos imperitorum animos, Vngaris decreta auxilia, et quidem magnificis verbis, et luculentis, unde studio acerrimo ingentes coactae pecuniae futurae usui ad sacrum bellum, id quod plausibili nomine iactaretur, re vera uno nomine, ut instaurato inter reges foedere, vastata ac depopulata Italia, Florentia nobilissima Italiae urbs, subderet colla unius privati civis durissimo atque indignissimo iugo. Hunc referre fructum Christianam rempublicam delati Clementi pontificatus honoris, si iure pontificio, et patrum sanctionibus standum esset, muneri impari, ut per speciem pellendi Turcam ex Vngaria, nobilissimae Italiae urbes, liberae civitates, detrectantas privatorum imperium, servitutem indignissimam Pontificis

libidini subiectae perferre per summam iniuriam, atque ea quae sunt morte acerbiora, cogerentur. Sed adversus fas atque ius susceptum bellum raro laetum secutum eventum. Non ita multis annis a primis pontificatus auspiciis, infestam vim numinis, quae exigeret sceleris poenas, inductum, falsum, impulsum in fraudem, milite dimisso, qui esset futurus urbi subsidio, sensisse. Augustissimum Romae templum, domus sacrae, penetralia, foede direpta ab avaro milite, laceratam Pontificis suppellectilem, distractum sacrum argentarium, fracta aurea vasa, quibus rem divinam sacerdotes operarentur, non ab aliis fama accepisse, sed quo esset acerbior sensus, praesentem ipsum, auribus, oculis hausisse, cum ex iis anxius praesagiret animus, quae persistenti in amentia portenderent inexorabilia fata. Non suis civibus, non patriae Ioannem Regem insidiatum, ut scelere nefario sibi viam aperiret ad Vngarorum regnum. Creatum a volentibus regem, more atque instituto maiorum, ac per omnium consentientia vota, atque adeo prius promeritum, quam adeptum regium honorem. Quidvis autem citius posse Vngaros ferre, quam illis invitis, quos superiores pontifices magnificentissimis titulis honestassent, Christiani nominis propugnatores, communis salutis et libertatis vindices appellassent, deiecto e possessione regni, cui ultro sui imperium tradidissent, per conculcata maiorum iura regnum exteris tradi. Facile pati Ioannem Regem, sibi in contentione nobilitatis Ferdinandum praeferri, ex augusta familia natum principem, adderet, qui vellet, minime se repugnante, optimum, sanctissimum, regio inprimis honore dignum, sed non id in praesentia agi, quam is dignus regno haberetur, sed quam eorum iudicio, quorum ius esset creandi re-

gem. Posse queri praeteritum se in regni petitione, negare sibi Scepusium praelatum sive iure id, sive iniuria minime posse. Atque eo animo tamen Ioannem Regem esse, ut cum hoc nomine adversario cesserit splendenti maiorum imaginibus, perpetua serie recensenti, ex eadem familia eminentes multos imperii insignibus; iis ornamentis, quae a vera virtute, non fortuna sint, quaeque prima in magno rege habeantur, minime sit concessurus. Non invidere Vngaros Austriae familiae magna parta regna atque imperia; quae tamen Matthiae virtuti cesserit victa, qui praeter parentis virtutem et domesticam suam nihil a maioribus, originis paene inter Getas pudendae ad commendationem hominum afferret; spectari virtutem in iis, qui regna petant, non insignia, statuas, multas imagines, quae saepius fortunae quam virtutis testimonium habeant, et tamquam praelucentes faces, posterorum maculas, ubi degenerant a maiorum virtute, reddant ex loco excelso atque illustri insigniores. In Ioanne Rege cum aequatam maiorum gloriam privata sua, tum perspectas regias virtutes diu magnis imperiis gerendis, iustitiam, magnitudinem animi, sapientiam, merita inprimis in rempublicam maxima atque illustria, quae spem facerent, eum in posterum partam virtute gloriam, constantia illustriorem, auctioremque redditurum. Delectum ab Vngaris regem, qui, ut cetera, ita hoc sapientissime sancitum, et quasi per manus traditum a maioribus accepissent, ut regnum haereditate adiri, pactionibus et foederibus illigari, quod non secus esset interpretandum, ac ius creandi regem sibi adimi, quo nihil esset iniquius, nulla ratione paterentur. Sed abuti Clementem pontificia potestate, ut ad occupandam iniustam dominationem in suos, sic ad pel-

lendos exteros legitimo regno in Caroli Caesaris et Ferdinandi Regis gratiam, ita affectum animo, ut non quam iusta caussa sit, quam aut tueatur, aut oppugnet, sed quam sibi quaestuosa, magis sibi spectandum putet. Iam et illud addebant, ubi positis armis esset de regno iure disceptandum, etiamsi Ferdinandus Rex iuri suo praetenderet foedus cum Maximiliano ictum, eius rei unam atque eandem rationem fore; sive enim tum principibus regni maiorum ius abrogare licuisset, qui liberis suffragiis sibi creare regem, quem mallent, consuevissent; sive minus: contendebant tamen Ferdinandum in controversia de regno caussa cadere, atque adeo, ubi etiam aliis rebus omnibus superior haberetur, quae essent in legitimo rege spectandae. Nam, si minus foedus ferire Matthiae et Ladislao licuisset, quod posteris esset fraudi, et in maiorum dedecus verteret, qui suis adeo salutare institutum sanctum esse voluissent: quam rationem eius foederis videri, quod adversus leges sancitum esset? neque enim solum in feriendo foedere spectari oportere, quam inter eos conveniat qui ineant foedus, sed quam eo qui sunt postea futuri teneantur. Iam, ut de suo iure Vngari decedentes concedant, a duobus regibus, quam legem maiores condidissent, licuisse abrogari; cur minus posteris ab iis abrogatam, meliore consilio licere revocare, refixo foedere, quod adversus mores atque instituta regni percussum negari haud possit? Quid vero iniquius inter homines, quam haereditarium regnum? Quam longe recedere a naturae instituto qui aut probent, aut, cum utrumvis liceat, institutum tueantur? Vnum enim sanctissimum naturae ius, unam perpetuam atque aeternam legem, quae ita moderatorem populorum regemque constituat, ut velit penes eos, qui pa-

reant, esse potestatem deligendi eum, cuius imperio sint obtemperaturi: cuius rei certam rationem esse, quae tota, ab uno iustitiae fonte manat. Nam hominum caussa reges, legum latores, non hominibus regum naturam finxisse. Quod quidem si sit, eos modo reges habendos, qui et legitime imperent, et volentibus imperent, quae ratio tutissima est tuendi communem vitam, et ad posteritatem propagandi. Quam vero saepe accidere in iis regnis, quae hominibus fortuna conciliet, non naturae lex, ut ii imperio potiantur, quibus ex iis qui pareant, multi rectius sint imperaturi? Quam saepe populos temeritati fortunae obiectos, eos reges cogi agnoscere, qui regendi ipsi, constringendique vinculis quam longissime sint a regia arcendi? Ac duplici quidem nomine videri castigandos tam iniusti foederis auctores. Nam et ingratos in maiores haberi, qui optimo consilio, posteris per eam rationem consuluerint, et simul de posteris pessime mereri, quibus per legis abrogationem, unius maxime populis salutaris, potestatem creandi regem per iusta suffragia, iniustissime ademerint. Neque vero audiendos, qui ob eam caussam praeferant haereditaria regna, quod saepe accidat, ut delinita largitionibus multitudo, improbo homini suis suffragiis regnum tradat: non enim nunc agi, conducatne magis regnum adiri haereditario iure, an populorum suffragiis, quae tamen quaestio perfacilis sit; sed utrum maioribus, saluis legibus, adimere ius creandi regem, per ullum ictum inter reges foedus posteris licuerit: cum multo aequius legem iustissimam instaurare posteri, quam rescindere superiores per ullam foederis religionem optima ratione latam potuerint. Aliud vero esse casu regnare improbum, et quod ferendum non sit, imperare invitis;

aliud a volentibus, quantumvis malis artibus et magnitudine largitionum conciliatis regnum accipere; cum, id quod mali solatium habeat, venalis libertatis addictae unius imperio, certum praemium exstet; quod pluris sit multis, quam ius libertatis, quibus domi egestas, quaestuosam servitutem necessariam reddat.

Atque haec quidem Vngari sui iuris assertores acerrimi, de quo mox essent armis disceptaturi. Nam certi iam nuncii in Vngariam ferebantur, Ferdinandum compositis Boemiae rebus, atque exsoluto omni alia cura animo, intentum bello apparando, delectum militum habere, copias cogere, tormenta, commeatus, et cetera, quae necessaria ad belli usum essent, comparare. Querebatur vero debitum sibi regnum omni divino atque humano iure a Scepusio praeripi; qui suo tempori insidiatus, dum Boemiae res districtum tenerent, in alieni regni possessionem invasisset. Tanta vero erat de Ferdinandi sanctitate opinio apud gentes populosque omnes, et merito id quidem, ut rectum esse, quod sentiret, una certa esset ratio, ita Ferdinandum sensisse; quam laudem ne ii quidem umquam negarunt, qui Ioannis partium studiosissimi, Ferdinando in suscepta contentione de iure Vngarici regni minime aequi fuerunt. Copiis omnibus, quae optime instructae ferebantur, Casimirus Marchio Brandenburgensis cum summa potestate militaris imperii praeesse iussus, cum Regem iuvenem, quamvis negantem se passurum in regia includi, cuius res esset, a bello abesse placuisset. Quibus cognitis rebus Ioannes, advocato suorum consilio, eos de iis quae audierat docet: Minime se umquam dubitasse, quin Ferdinandus diffisus affinitatis iure, quo subnixus, ex foedere regnum peteret, descenderet ad arma, iniu-

stam caussam adversus Vngarorum consensum, magna constantia gentis iura tuentium, bello vindicaturus. Eius inceptis mature occurrendum, ut integrum adhuc a factionibus regnum, cuius collapsae vires externo bello, reficiendae instaurandaeque videretur, tutum concordia praestaret; sin hoc minus per Ferdinandum liceret, quem armorum fiducia, non legum aut iuris aequitas in spem regni erigeret, vim vi se propulsaturum confirmat; haud dubia ape fore, ut deus immortalis, unus rerum humanarum iustissimus vindex, pro eius caussa staret, qui suorum iudicio habitus regno dignus, prius promereri tantum honorem bene de patria merendo, quam assequi cuiusquam suffragatione et gratia studuisset. Et tanto quidem interris honore se alacri animo posse carere, quem magnificentissimus titulus honestaret liberatae patriae e gravissimo et perniciosissimo bello, quod rerum a se gestarum praemium uberrimum duceret; posse carere aequo animo, quamquam a suis oblato non petenti, non ambienti malis artibus, non extorquenti ab iis per vim atque arma, qui quod iudicium suum in creando rege esset, liberis suffragiis declarassent: sed pati regnum exteris per turpem dissimulationem praedae esse, nec debere, quoniam iniustum esset; nec velle, quoniam velle nisi quae honesta essent, non posset. His dictis, secunda omnium admurmuratione Christophorus Frangipanes, cuius auctoritatem grandis iam natu, rerum maximarum usus, et peritia rei militaris maxime augebat, ad hunc modum rogatus sententiam disseruisse fertur. Quando nihil sibi certius esset, quam unius dei immortalis providentia admirabili ad regna atque imperia vocari qui rebus hominum praeessent: non dubitare se, quin Ioannes Scepusius prius

designatus Rex Vngaris fuerit, in aeternae eius mentis consilio, quam a suis regni corona et sceptro summi imperii insignibus honestatus. Vt hoc sibi persuaderet, eius facere sapientiam, virtutem, magnitudinem animi, quae notae regiae indolis in quibus conspicerentur, tollerent omnem dubitationem, quin in privata etiam fortuna, natura conformati ad regnum, augustissimo in terris honore essent digni habendi; a quo quidem longe abessent, qui nati impares, et fortunae favorabili aura ad regnum provecti, ad quantumvis levem procellam, quam saeva belli tempestas excitaret, tantum non abiectis regni gubernaculis, demitterent, ac contraherent animos. Quae cum ita se haberent, paucis se, quae sua esset sententia declaraturum, militarem hominem, quem disertum non orationis ullum artificium, sed caussa faceret, quam sibi recte tuendam suscepisset, quaeque nulla eloquentia maiore indigeret. Censere primo quoque tempore, ut recte a rege sapientissimo dictum esset, nascentem in principio incendii flammam omni praecisa mora opprimendam, ne serpendo latius, neglecta sumeret vires; suadere inprimis, quando quo animo Ferdinandus esset, nemo dubitaret (non enim illum, prisco more gerentium bellum, per Feciales indicturum prius, quam gesturum), cum parte copiarum, quas haberet, quae minime essent contemnendae, mitteret qui Tatam obsiderent, sibi delectorum militum quatuor millia tribueret, qua manu populabundus, id quod impigre se facturum spondebat, in Austriae fines impetum faceret, atque omnibus belli cladibus cuncta vastando atque urendo, Ferdinandum infesta Vngaris inferentem signa ad tuenda sua avocaret, quo illum natura, ratioque impelleret, quae defendendum prius illatum ab

hoste bellum, quam inferendum praevertendi iam, et rem gerenti, optimo consilio doceret. Id si ageret, tum illud commodum consecuturum, ut qui prior belli initium faceret, is studia hominum, belli praerogativa occuparet, cum quidem prius mota arma haud dubiae fidei argumentum prae se ferrent, vulgo id hominibus suspicantibus, non temere ab iis arma inferri, quorum vires non animos aequarent. Sperare quidem se, Ferdinandum, ubi intelligeret sibi cum Rege fortissimo rem esse, et non ita facile de suo iure decedente, ultro converso animo descensurum ad mitiora consilia, et legatos de pace cum plenis mandatis missurum.

Haec audita varie eorum animos, qui in consilio aderant, affecere; Regem quidem non moverunt, cum suo ingenio abhorrentem a civilibus armis, tum verentem, id quod plane erat timendum, ne per adeo tristia auspicia visus inire regnum, hominum a se studia alienaret, quae omni studio erant retinenda, cum potente adversario gerenti bellum, et qui affinitatis arctissimo vinculo esset cum Vngarorum regia coniunctus. Sive autem ipse vinceret, sive penes Ferdinandum victoria esset, aeque laetum ac tristem belli exitum animo exsecrabatur; nam, et victus regni possessione excidebat, et victorem manebat aeterna labes infamiae, invidia certe, tum apud exteros, tum apud suos non ferenda, qui per summam iniuriam praeteritum Ferdinandum in regni comitiis credebant; ea enim ratio bellorum civilium, ut victoria funesta victis, minime sit iis honesta quibus est parta, sit semper patriae exitio, quae ita in victis plectitur, quorum desiderio angitur, ut victoribus addicta libertatis iacturam faciat, si data optio sit, passura aequiore

animo exterorum, quam cum insigni sua clade suorum imperium. Ita Frangipane collaudato : Et se vero agnoscere illius in se benevolum animum, et eximiam erga patriam pietatem, respondit, cuius multa iam atque illustria dedisset documenta ; sed non posse a se impetrare, ut regnaret per eorum caedem et sanguinem, pro quorum salute mortem oppetere sibi omni vita carius, speciosius ac magnificentius titulis atque honoribus omnibus duceret. Regnorum omnium potentem deum, quem Vngaris regem dedisset, invicta sua manu adversus inimicorum impetum omnem, quamquam arma, copias innumerabiles, exterorum regum auxilia iactantium, tutum praestaturum. Tantum quidem nefas haud posse animo concipere, ut eos, quibuscum haberet communia patriae iura, eadem religionis sacra, quibus acceptum regnum referret, cuius potiundi caussa summi saepe homines, divini atque humani iuris immemores, terrarum orbem perpetuis bellorum cladibus involuissent, cogeret igni, ferro, agrorum populationibus, eversionibus urbium in caussam descendere, et pro suo regno, quod esse suis salutare aequum esset, in vitae et fortunarum discrimen venire ; nullum certe argumentum certius futurum, se parum honore regio dignum, quam si a tam foedo initio regiam ingredi, atque auspicari mandatum sibi munus videretur ; tum enim homines crediturос se a deo ad regnum provectum pacis ac concordiae auctore, ubi honestis rationibus partum atque suorum magno consensu, honestis rationibus pergeret tueri.

Haec Regis oratio speciosa quidem tum suis visa, sed quae cito obsolevit, cogente Ferdinando invitum, omissis in praesentia lenioribus consiliis, quae esse eius ingenii potius, quam temporis videbantur,

non iure de regno, in quo parum subsidii erat, sed armis decertare. Ita consilium dimissum, frustra querente Frangipane, feroci homine ac praefervido ingenio, unam certam occasionem e manibus elabi bene gerendae rei, quam cum vellet, et ratio temporis postularet, haud in eo malus vates, esset nequidquam quaesiturus: unam enim certam rationem relinquituendi suum ius, ubi eo stari adversario non placeret, non exspectare, sed praevenire inferentem arma, ut bellum illaturus prius in sinu haberet gerentem rem, quam explicare belli consilia crederetur, qui esset bello lacessendus. Atque haec quidem ille, Regem aliquando sui consilii poenituisse, et cum nullus usus esset, ea mox quae sunt secuta docuerunt. Qui quidem intentus confirmandis suorum animis, ultro in suam caussam propensos arctius sibi devincire omni genere officii et munificentiae, eos qui Reginae partes sequebantur, quae eaedem erant Ferdinandi, quarum erat Stephanus Palatinus moderator, per litteras crebrosque nuncios, quod iam diximus, spem melioris fortunae atque honorem ostentando, ad se allicere studebat . . .

(Nagy hézag, mely után Szamosközi pótlása kezdödik, a 137. lapon lévö csillagig).

. . . . Petro Keglevithio, Zriniis, Zlumis, aliisque e nobilitate praecipuis, tum e Rhetis, Carinthia, Styria, minime contemnendis auxiliis, ire propere ad hostem pergit, ut quamdiu spes esset debellari posse nondum maioribus auctum viribus, consereret manum. Cuius rei nuncio Frangepanes accepto, nihil cunctatus, ad Crisium cum omnibus copiis contendit, atque loco idoneo posuit castra, eo animo, ut ubi Ferdinandi duces pugnandi potestatem facerent, certamen non de

trectaret. Inde aliquantum progressus, ad Dravum, non procul Lubrego oppido castris positis, consedit. Quo in loco cum esset, certior ab exploratoribus factus, hostem adventare paratum belli fortunam proelio experiri, laetus a suo consilium hostium non abhorrere, corpora suos curare, et se in posterum diem comparare animis ad pugnandum iubet. Inde fiduciae et spei plenus, prima luce e castris copias eductas ita instruit, ut inter duas equitum alas, quasi inter duo cornua, peditum agmen collocaret, extra aciem cum impedimentis alio agmine considere iusso, in quo cum imbelli puerorum nobilium turba iusserat collocari, quos aut vulnera, aut morbus, casusve alius, ubi esset cum hoste confligendum, minus pugnae idoneos redderet. In eorum numero fuit Ioannes Szermegh adhuc puer, ut ipse affirmat, tum primum ad bellum cum Michaele Tamadocio profectus, cuius filia a parentibus erat puero desponsa, ut his scribendis verisimile sit ei suae fidei consulere licuisse. Ac ne insueti bellicis rebus, in medio pugnae discrimine ad novam rerum faciem trepidarent, certum iis ducem, prudentem hominem atque industrium, tum curatores alios cum regio vexillo attribuit, quorum auctoritate atque imperio in officio continerentur. Quibus rebus ita constitutis, milites, ut credebat, mox in aciem educturus paucis adhortatur, ut patriae memores, cuius iura sanctissima sibi armis tuenda suscepissent, a regibus exteris oppugnata, eam virtutem armati in acie praestarent, cuius praemia amplissima victoribus destinata essent, fama, nomen, gloria, perennis laus; quae expetenda viris strenuis, adhuc in mortali vita spe certa immortalitatis alerent animos. In eorum dextris, multorum populorum et gentium salutem po-

sitam, quae vindicatae a superbo Germanorum impe rio, numquam essent suorum liberatorum immemore futurae. Quam impotens eorum dominatio, quam cru delis, quam gravis, et non ferenda Vngaris, eorum parentes expertos, ne eius rei foris essent document illustriora quaerenda. Nolle se pluribus cum suis age re, ne eorum gloriam dicendo minueret, id quod acc dere necesse esset, si illi magis ducis oratione, quam insita alacritate animis, sua sponte inflammatis studi gloriae, rem in hostem gerere viderentur. Ita confir matis militum animis, cum et ordines explevisset, va riis belli casibus attenuatos, et multa emendasse quae militum licentia corrupisset, apud pueros reve sus contenta atque elata voce ut ab omnibus exaudi posset: Macte virtute, inquit, Vngarorum genero propago, et si ita viget animis, ut eminet oris line mentis, germana illa patrum virtus, quam gentes na tionesque omnes fama efferunt in coelum, edite he primum vestri tyrocinii documentum, hoc primum da vestrae indolis et virtutis specimen, ut, ubi concine tibus signis circumsonare aciem clamore militum, fr mitu equorum, armorum, tormentorumque strepitu e audiatis, quae inertibus pavorem, viris fortibus ar mos augent, et vos clamorem tollatis, indicem certu in hoc vestro aetatis flore vigentis animi, roboris; aquilae pulli intenta in solem oculorum acie sui gen ris faciunt fidem, sic vos fidem vestrae originis f cturi intrepide ea exaudiendo spectandoque, quoru nunc spectatores, mox imitatores estis futuri, ut a pareat, a parentibus vestris, militaribus hominibus masculae virtutis, non degeneres vos esse. Discit quando datur facultas, domestico exemplo, quo nulli acrior stimulus atque aemulatio est, discite, Mart

alumni, aemuli domesticae virtutis, hostem ferire, locum tueri, servare ordines, ut ubi accedat aetas et requirat usus, ante milites, quam obstricti militiae sacramento, bene gerenda re, alios vestrae aetati succrescentes ad aemulandam vestram virtutem et magnitudinem animi per multa fortia facta excitetis. Quibus dictis, qua suspicabatur Batthianium adventare, ita instructa acie, quasi esset ex itinere dimicaturus, suos iter facere, atque arma animosque expedire ad proeliandum iubet. Neque longe ab eo loco progressis, ab exploratoribus, quos dux speculatum praemiserat, nunciatur, hostem, cognito regiorum consilio, cum suis copiis diffisus, vereretur ne iter acceleranti, invito esset cum expeditis, et longe superioribus pugnandum, subita fuga se proelii discrimini subduxisse. Inde Ormosdum profectum positum castellum in Lucae Zokoli ditione, ponte Dravum copias traduxisse. Qua re Frangipanes audita, exercitu ad Zamlacham adducto, Batthianii oppidum, castra posuit, magna occasione ostentata bene gerendae rei. Non procul inde aberat oppidum Varasdum, valida inprimis munitum arce praeter situs opportunitatem, praesidio non contemnendo imposito, cui Paullus Keczkes praeerat, homo industrius, et cumprimis Palatino fidus. Ita autem oppidum erat factionibus divisum, ut urbs Ioannis, arx Ferdinandi partium esset. Quae res efficiebat, ut oppidanis praefecti fides, praefecto oppidanorum esset suspecta. Ita simulatque magistratui de Frangipanis adventu nunciatum est, magna oppidanorum voluntate postridie eius diei, quo die Zamlacham venerat, legatos misit, qui, clavibus portarum oblatis, dederent urbem. Quibus, ut par erat, multis verbis collaudatis, paucis adhortatus, ut ad eam fidem, qua in

Ioannem Regem essent, constantiam adderent, atqu
omnia perfecto bello, sibi de Regis liberalitate, qu
eorum requireret virtus, sponderent, eodem die in
motis castris Varasdum contendit, magna concep
spe, aut aperta vi, aut obsidione, arce palatini pra
sidio deiecto, potiturum. Qua de re cum in consilio r
tulisset, alii arcem circumsedendam, longam, ut ci
debant, obsidionem non toleraturam; transmittendu
Dravum amnem alii censebant, ducem e proximis c
mitatibus accersentibus nonnullis, qui in Ioannis F
gis fide manebant, a Germanis maxime aversis. A
debantur autem preces, ne se studiosos optimi Reg
cuius non afflictam fortunam per suorum defectione
non fractas et debilitatas vires, non solitudinem
orbitatem, sed caussam respicerent, desertos ac des
tutos sua spe hostibus praedae relinqueret, quibus
Turcas quidem immaniores umquam essent Vng
experti. Horum preces cum dignae visae essent, qu
minime a duce negligerentur, praesentem opem au
liumque implorantium, una certa obstabat spes, i
in incepto perstarent, obsidione arce potiundi, q
quidem cum omnium fere sententiae propendere
medium sequi consilium placuit, ut dux litteras
eos comitatus daret, quibus, expositis caussis, qua
minus iis in praesentia ire subsidio liceret, spem ce
ris auxilii faceret. Orare, ut aequo animo parv
moram ferrent, quam necessariam efficeret in exig
temporis momento posita spes bene gerendae rei,
si eam e manibus effluere paterentur, nequidquam
mel oblatam essent quaesituri. Capta arce, id qu
brevi futurum speraret, daturum se operam, ut mo
pretium sua spe atque exspectatione uberius rei
rent. Perseverantiam modo retinerent in suscepto c

silio, certa spe freti, optimam caussam tuentibus praesens et propitium numen affuturum; cuius vim nemo diu umquam effugisset, qui, etiamsi secus videretur, non aeque ut in admittendo, sic in perficiendo scelere fuisset felix. Cum hoc responso dimissis legatis, in occultam fati vim fortuna ducem fortissimum impellente, cuncta quae expugnandae arci idonea esse viderentur, cura acerrima comparare instituit, ita belli munera inter suos partitus, ut alios fossas ducere, agere cuniculos, alios in arcem, aggerem alios, et corbes oppletas humo, ad tormentorum munimenta comportare iubet, dispositis militum fortissimis, qui, ne quid inde detrimenti acciperetur, qua opus esset, in suis quisque stationibus vigilias agerent. Quae dum impigre administrantur: semel atque iterum ab iis, qui erant in praesidio, repetitis maiorum tormentorum ictibus, emisso globo e manuario tormento, cuiusmodi milites in proelio utuntur, dux incautus iis vitandis, quae nequidquam declinat humani consilii vis, a superis imminentia, interficitur: cuius rei nuncio praefecti militum accepto, uterque Ioannes, Bamfius, et Thaius ad ducem contendunt, de illius atque omnium salute solliciti. Quem cum insidentem equo offendissent, fronte et vultu extremi discriminis casum dissimulantem, ecquid accidisset, quod minus vellent, percunctantur: quibus cum respondisset, non posse triste quidquam accidere viro forti, equo descendit, atque a nemine passus se sublevari, cum certatim sub alis ulnis subiectis, multi, ut euntem deducerent, adniterentur, in tabernaculum ingreditur letali vulnere affectus, hominis constantiam in vitae extremo actu omnibus, qui adstabant, admirantibus. Inde cum medici, curato vulnere, nullam spem salutis superesse affirma-

rent. globo ita inter utrumque femur adacto. ut dil cerata intestina vitae necessarium usum negarent, iu sos principes advocari, quorum erant tum multi in c stris. viri auctoritatem secuti. ad hunc modum alloc tus fertur: Vitae exiguum spatium quod superest. n patitur. viri fortissimi. pluribus vobiscum agere, pi dentibus hominibus praesertim. qui ipsi vestra spon quid facto opus sit. non ignoratis. pro iustissii caussa bellum gerentes. Quod est a me inchoatu opus. vobis relinquo perficiendum. Si proficientibus obsidione dabitur arce potiri. id quod mihi vestra v tus spondet. tum Dravus vobis continuo transmitte dus est. et vestrae cum Vngarorum copiae coniunge dae. Id religio. ius. fasque postulat. ut quorum suffi giis Ioannes est Rex creatus; regno pulsus per sui mam iniuriam. eorum defendatur armis. Equidem n nime dubito. quin ubi Rex de vestra in se volunta certior fiat. etiam si patria extorris paucorum sceler spem omnem recuperandi regni videatur abiecisse meliora de suis rebus incipiat sperare. Summam g rendarum rerum uni Thaio permitto. non quin pare in vobis omnibus fidem virtutemque animadverta hoc honore dignam. sed quod cum plus uno. qui in peret. esse non possit. is videatur idoneus magis duc muneri administrando. in quo cum virtute et fide i maior usus belli coniunctus. a primis suis annis Turcarum finibus proeliando cum his et pugnan omni belli genere versato. ut verisimile sit. crebr accipiendis et inferendis cladibus exercitatam virt tem. plurimum momenti ad rem bene gerendam all turam. — Cum volentem plura dicere animus liquisse qui adstabant omnes polliciti. se quae imperasset f cturos. discesserunt. ex iis ita multis animo affect

ut quo fortuna secunda aspiraret, non quo ius et officii religio suaderet, essent consilia conversuri. Ita, ne exspectato quidem illius vitae exitu, omnes qua libuit castris relictis, dilapsi abierunt. Delecti equites ad mille numero, quos dux custodiae caussa apud se habebat, ab ea labe integri in fide manserunt. Ab his cum adhuc viveret, in castellum Martivaniecz deductus, magno omnium moerore decessit, inter alias Ioannis Regis aerumnas gravissimam sua morte importaturus. Inde in curru impositum cadaver milites Kapronczam deducentes, Ferdinandi duces de eius morte nunciis acceptis, facta manu insequuntur, saevituri in mortuum, cuius aspectum viventis non tulissent. In his Ludovicus Pekri, cuius arces atque oppida, plus aequo odio indulgens, everterat, concepto dolore animi ex domesticarum rerum iactura, nullum in saeviendo agnoscente modum, omni conviciorum genere dicit mortuum perstrinxisse. Neque is erat finem facturus, nisi Karlovicius, mortui propinquus, vir magnae auctoritatis, multis verbis suae humanitatis memor castigatum, non iam lingua, sed manu in mortuum grassantem, quod postremae dementiae est, a tanto flagitio deterruisset: simultatibus atque inimicitiis exercendis esse certos praescriptos fines, ut idem esset odii et iracundiae atque inimici occasus, quicum suscepta vivente essent. Muliebre bellum, vel puerorum ludicrum potius, tamquam cum larvis, cum mortuo luctari. Licuisse quamdiu viveret, si quae controversiae intercederent, eas, ut viros deceret, ferro definire: cum mortuo rixari, quid aliud esse quam cum stultitia coniunctam pravitatem animi ostentare? Ita cadaver prohibente nemine, quo convenerat, deductum. Inde uxore funus prosequente, magnifico apparatu et longa militum pompa Modrusum importatum, atque in

maiorum sepulchro conditum est, viri in omni posterorum memoria admirabilis. Quantus quidem fuerit, quae eius sunt mortem consecuta deciderunt; simulatque enim interfecti fama finitimas provincias pervasit, omnes, quasi signo dato, in Ferdinandi partes concesserunt. Inde a Francisco Batthiano provinciae Bano (hoc nomine praefecti provinciarum appellantur) comitia Crisium Slavis et Croatis indicta; quibus cum de praesentibus rebus ageretur, quae secundae et florentes Ferdinandi, nullae iam Ioannis erant, nemine pro illius caussa adversus praepotentem adversarium hiscere audente, omnes ad Germanos eodem consensu transierunt, uno excepto Ioanne Bamfio, digno homine, cuius memoria, propter insignem fortitudinem atque animi constantiam, aeterna in omni posteritate vigeat. Nullae illum illecebrae, pollicitationes nullae, cum peramplae a Ferdinando Rege ostentarentur, non vastitas atque incendium bonorum, non amicorum, non propinquorum preces, non uxoris lacrymae lectissimae matronae, quominus in incepto persisteret, movere potuerunt. Advoluta ad pedes, per ea quae carissima in vita haberet obsecrando atque obtestando, contra obfirmatum animum, in eam sententiam flectere conabatur, quae salutaris quam speciosa magis, ut honesta etiam haberetur, temporum ratio efficeret. Quibus precibus fatigatus animus cum minime fatisceret. ita respondisse fertur, ut et constantiae suae non oblivisceretur, et humanitatis inprimis rationem haberet. Carissima, inquit uxor, aliorum bonorum iacturam ferre aequo animo possum (fortunae enim sunt verius quam mea), fidei iacturam, quae tota a me est, etiamsi. quae sunt homini in vita postrema, sint subeunda. ferre haud possum; simulatque in homine desidera-

tur fides, quo uno vinculo hominum societas copulatur, non is homo, sed hominis umbra verius, cui desit, quo dignam tam nobili animante vitam traducat, cui frustra natura videatur largita loquendi facultatem, si procul ab hominum coetu in solitudine et desertis locis, belluarum more agat. Quamdiu audivero vivere Ioannem Regem, quaecunque illum contineat mundi pars, quem mea suffragatione creatum, impositum in regia sella sum more patrio veneratus, ei semel obstrictam fidem integram atque illibatam (ruat in me unum incumbens universus terrarum orbis) intrepidus servabo, ut si amissis patriis fortunis per adeo honestam caussam, sit victus diurno opere quaerendus, dei immortalis beneficio in satis luculenta re olim posito, Ioannis Regis equum curare non sim recusaturus. Neque ille vero minore constantiae laude id praestitit, quam subnixus recti animi conscientia sibi suscepit praestandum. In arce Veroche totum illud tempus, quod inter pulsum Regem, et restitutum regno intercessit, cum suis mansit, nullo unquam dato signo immutatae voluntatis, vir rari exempli, atque inter illustria fidei documenta memorabilis.

Quae dum in remotiore parte regni geruntur, Ioannes, ut diximus, Buda profectus, cum nihil sibi reliqui ad summam celeritatem fecisset, Danubium traductis quas secum adduxerat copiis, ad Tokaium consedit, quod oppidum inprimis loci natura munitum ad ulteriorem Tibisci ripam est situm. Neque interea desistebat suos hortari, ut quam alacritatem animi se rege creando praestitissent, eandem tuendo suo beneficio adversus inanes Germanorum minas et terrores, quae eorum essent tela atque arma, praestarent. Pertinere vero ad eorum constantiam inprimis, quod iudi-

cium de sua fide et virtute fecissent, videri non tempori, non gratiae, sed poscenti patriae dedisse, cui moderandae eum praeesse voluissent, quem parem tuendo regio muneri arbitrati essent. Neque vero solum se de retinendo regno suo, sed de asserendo etiam eorum iure agere, quorum id ipsum regnum, quibus visum esset delatum, beneficium esset, ut si eum desererent, quem ultro sibi regem ascivissent, non praemiorum ulla spe, non largitionibus, non aliis malis artibus labefactata fide, non possent recusare, quin levitatis atque inconstantiae gravem notam subirent: nihil enim accidisse, quare per subitam mutationem consilii, nullam mutationem rerum, quae a recta officii ratione maneret, se praeclari incepti poenitere ostenderent; perfidiae quidem et proditionis apud posteros rei, ubi viderentur Ioannem Regem ob eam causam excelso loco collocasse, ut inde graviore casu, suis aeque atque exteris futurum ludibrio, praecipitem deturbarent. Militem, tormenta, arma, ac belli omnem apparatum, adhuc penes eos esse, quorum ius deferendi sibi regni insignia fuisset; animum, quem totum ipse a se haberet, daturum operam, ne quando a se in tuendo suorum beneficio, quorum in se divinum meritum esset, desiderarent. Quod felix faustumque esset tum sibi Regi, tum patriae inprimis omnium parenti, irent felicibus auspiciis, et delectum in oppidis, in agris haberent, nemini parcentes, qui modo per aetatem pares ad arma ferenda haberentur; tum caetera, quae bello gerendo necessaria essent, pari vigilantia atque industria compararent, patriae iura, regii nominis maiestatem, nobilissimae gentis decus, cui exteri reges per longum annorum spatium,

aeternam maculam imposuissent, sinistris reipublicae auspiciis inito regno, vindicaturi.

Interea Ferdinandus Buda potitus, nullo a Ioanne Rege praesidio firmata, palatinum cum universis copiis persequi, nullo relicto ad respirandum spacio, cedentem iubet, dum inferior viribus spem faceret opprimi posse, territo insistendum in vestigiis, et nihil de celeritate remittendum arbitratus. Ita palatinus, atque alii Ferdinandi duces adhibita celeritate, quantum expediti milites assequi equitatum maxime incitato gradu possent, quorum eximio studio utebantur, dies noctesque continuato itinere, ad Tibiscum perveniunt ita instructis copiis, ut si qua opportunitas gerendae rei ostentaretur, confligere non dubitarent. Inde tumultuario opere ponte perfecto, cum lintribus iunctis, atque ad utramque ripam catenis revinctis, crates, insuper aggesta humo texissent, traiectum militem Tokaium, quo se Ioannes cum iis quas habebat copiis receperat, duxerunt, atque contra eum posuerunt castra, cum imparato a rebus omnibus, id quod plane sibi persuaserant, congressuri. Id autem si accideret, non desperabant, se unico defunctos proelio debellaturos. Interea sollicitum Ioannem de sua simul et de suorum salute, duces adeunt, atque ut bono sit animo, neu de sua et de suorum virtute desperet subita oppressus belli procella hortantur, quem optima caussa gentium ius deus immortalis iustis suorum votis et studiis favens, idem iniustae dominationis vindex ultorque acerrimus tueretur; cur vero, etiamsi esset de summa rerum proelio decertandum, dubitari de eventu debere? Numero quidem se esse inferiores; virtute militum, caussa, numinis praesentia, quo propitio essent adversus foederis et iuris gentium violatores

pugnaturi, superiores esse. Vnum modo orare, ut cuius consilii auctor ipse Ludovico Regi fuisset, cum adversus hostem potentissimum esset copias perexi guas ducturus, de medio ipse recederet, humanorum casuum memor, et sese reciperet in tuta loca, si qui durius accideret, extempore consilium quod esset tu tissimum capturus. „Ferocioribus consiliis et audaci bus inceptis, etiamsi in speciem honestis et fortitudi nis laudem prae se ferentibus, tutiora praeferri, et for tunae urgentis impetum declinatione potius, quam te merario occursu vitari oportere, peritos rerum humana rum homines docere." Nolle se iis male ominari, quo rum iusta arma adversus vim atque iniuriam pro Re ge innocentissimo gererentur; sed si secus tamen stu tueret deus, cuius aeterna providentia moderaretu hominum consilia, et malae caussae ius succumbere aequitas, fas cederet armis, subtrahendam hanc volup tatem impotenti victori, ut uno proelio Germanus s crederet defunctum bello, cuius finem, vivente Ioann Rege, ac dei immortalis numine regente terras, nullu speraret. Hoc deum immortalem permittere, cuius a cana consilia, humana mens non assequeretur, ut a tempus impii secundis rebus fruerentur, quo acerbi luctus ex fortunae commutatione et scelerum co scientia exederet animos.

His Ioannes Rex motus, cum ducibus pro eoru in se fide collaudatis, se in eorum potestate futuru respondisset, de omnium sententia summam gerend rei Francisco Bodoni permisit, rei militaris perito h mini, et per omnes militiae gradus, magna cum fort tudinis laude, ad ducis munus provecto. Magnitudi quidem animi in eo fidem aequasse, pugnae event comprobavit, et quae sunt mox pugnam consecut

quibus victus proelii fortuna invictum fortitudinis laude se ipse vincendo ostendit. Ergo brevi oratione confirmatis militum animis, copias instruxit, cum pugnae laetum eventum ominaretur, pugnaturis pro patriae libertate, cui ad exitium Germanus hostis infestus immineret, pro coniugibus et liberis, pro dei immortalis sanctissimis delubris, in quibus castis precibus, proiectae ad aras piae matronae, virgines filiae, innocentes pueri praesentia propitiaque Vngaris numina fatigarent. Inde cum exiguae copiae essent, et ex novis delectibus coactae, quidquid inerat roboris, quod totum fere Vngarorum veteranis constabat, in media acie, quam ipse obtinebat, in utroque cornu Transilvanos constituit, ita animo paratus, ut proelio ipse prior hostem non lacesseret; cum lacessente, quamquam multo viribus inferior, conserere manum haud dubitaret. Qua re cognita, Ferdinandi duces et ipsi ita copias instruunt, ut aciem mediam cum praevalida Vngarorum militum manu, qui fere omnes veterani erant, Valentino Terekio permitterent, et quidem, ut dux duci, et militi miles tum virium firmitate, tum pugnandi usu, inprimis animorum ferocia pares vires afferret, qua, ut exterae nullae aliae gentes magis excellunt. Levis, ac gravis armaturae equites, quos partim e Stiria, partim ex Noricis Ferdinandus accerserat, ad utrumque cornu constitui placuit, eo consilio, ut, porrectis utrimque alis, id quod propter exiguas adversariorum copias, haud difficile factu censebat, ab utroque latere circumvenirent; simul Paulo Bakithio negotium datum, magni animi homini, ut cum delectorum equitum manu, quos Vngari Vsarones vocant, subsisteret adversus sinistrum cornu in insidiis, ut simulatque pugnae datum signum esset, ex insidiis coorti, in nihil minus exspectantes impetu facto, perterritos

dissipatosque in fugam coniicerent, magnum certe
rae pretium facturi, quocumque victi fugam inte
rent, quod virtute et numero confisi omnino sibi
rum spondebant. Cum duces suos paucis cohortati
num pugnae dedissent, minoribus tormentis,
carris in castra advexerant, ferrei globi ad s
pondo utrimque emittuntur, ut magno eorum ter
qui parum militiae assuevissent, quorum ingens n
rus in utraque acie erat, ita nullo fere insigni
mento, in quos emittebantur, ut in tempore facil
clinari posset, ante ictum, flammae vi erumpent
horribili tonitru feriente aures, quod quidem rar
titur incautum falli. Hinc magno ardore anim
utrimque procursum, atque aliquamdiu ancipiti
lio pugnatum est, cum regii duces, ingens vic
praemium in medio positum, uni, cuius caussa p
rent, regnum maximum atque opulentissimum,
bus nomen, gloriam, famam, lautam et peropul
praedam, atque uberius stipendium in minime di
spem ostentarent. Ioannis equites a dextro co
alam equitum levis armaturae invecti, qui era
laevo Ferdinandi, magnam ediderant stragem,
cticio milite et ex subito delectu temere consc
Transilvani equitis robur haud facile ferente; et
dinandi ducibus immissa gravis armatura, qua
equitatu Norico constabat, in sinistrum regiorum
nu, cum aegre invehentium se impetum Scepusia
riti, ac perturbati sustinerent, primum sensim r
pedem, mox, pertinacia victa terga vertere, i
eorum edita caede, coegerunt. Cum ita in co
equestri proelio pugnatum esset, qui erant in
acie Vngari conseruerant manum, adeo incen
vincendum animis, ut vere appareret, aliis eos

rere, pro quorum victoria dimicarent, sibi gloriam regno potiorem, atque immortalitatem parare. Alebat hinc odium vires, hinc studium laudis, ut genere armorum, rei militaris usu, animorum ferocia pares, mori in vestigio, quam loco cedere, et vertere terga mallent. Sed regiorum pertinaciam, opportune equestri proelio, gravis armaturae equitatus perfunctus, fregit, qui levo cornu pulso, atque extra aciem acto infestus in latus pugnantium incurrit, adeo acri impetu, ut pugnandi ac loco consistendi victis nulla facultas, perexigua capessentibus fugam relinqueretur. Ita caesi multi, vivi alii capti, in his Bodo dux, cum inter confertos impigre puguans, frustra proelium restituere conatus esset. Inde direptis castris, et tormentis abductis, militaria signa cum regio vexillo victores ad Ferdinandum retulerunt. Alii ita rem gestam adversus Ioannem Regem prodiderunt, quemadmodum a nobis commemoratum est: a quibus dissentientes Vngari diversa tradunt, qui exactae iam aetatis homines adhuc civilium bellorum cladibus superstites, eorum meminisse potuerunt. Commissum primo equestre proelium, paribus fere utrimque viribus, disparibus animis, cum dux Bodo, quingentos vix secum milites de improviso oppressus regio equitatu in pugnam adduxisset. Aliquamdiu tamen Ioannis equites, satis impigre, ut in subita re, inter se corhortatos, acrius Germanorum signa inferentium impetum repressisse; mox cum de pugnae ardore remittentes, urgente fessos vehementius Ferdinandi equitatu, dux nequidquam perculsos instare, atque ultro inferre gradum iuberet, non oratione solum sed exemplo eos adhortando; haud dubie iam hostes victores, fiducia e regiorum trepidatione sumpta, ducibus clamantibus, ubi ur-

gerent iam victos, et adessent animis, victos
manibus esse; concitatis equis in cedentes iam,
pulsos, terga vertere coegisse. Multis ex his
fectis, plures vivos in potestatem redactos, in q
numero Bodonem fuisse, omnium consensu, eo
militis fortissimi, et ducis optimi laudem prome
Rei ad hunc modum gestae Bodonis praeclaru
nus adiiciunt, quod cum fidei et constantiae i
habeat documentum cum fortitudinis laude e
ctum, haud videtur silentio praetereundum. Ci
hostibus captus liberali custodia asservaretur,
adeo, ut praeter abeundi facultatem nihil illi ex
na victus consuetudine deesset, aliquando in co
tione, cum alios, qui se largius invitassent, vino
lescentes, aut plane ebrios, aut alto obrutos
animadverteret, ne eum ipsum quidem satis sui
potem, cum plus aequo, ut fit, vino indulsisset,
fidei ducibus, et sui immemorem, per occasionem
agendi, equo conscenso, qui primus occurrit, ca
fugae facultate, abiisse. Ita vero tum Vngari b
gerebant, ut ultra aciem, odia non erumperent, i
ter se certantes omnibus humanitatis officiis, u
maiori sibi laudi ducerent ferro in acie vincere,
elatos ferocia animos, post restinctum pugnae
rem, moderatione atque aequitate moderari. Ind
donem, cum nox adiuvaret consilium, ad fugam t
dam opportuna, unum aut alterum milliare, per
tos et devios calles, ut sequentes se falleret, com
iter faciendo, errabundum, ac somni et vini ple
ad rusticum quendam divertisse. Illic per noctis
tem discussa ebrietate, cum experrectus, et sibi p
redditus, ab errore mentem collegisset: animo fac
exsecratum, cum, advers i fidem, falsis c

dibus, sibi turpem fugam in omni vita futuram conscisset, rustico apud quem diverterat duce, viae praeire iusso, militibus, quos experrectos sectari fugientem se, comperta fuga, minime dubitaret, citato equo ire obviam perrexisse. In eos cum incidisset: multis precibus fugae infamiam deprecatum, cuius rei culpam in temulentiam reiecisset, nihil dixisse sibi antiquius fuisse, quam ut iis redditus, quorum, iure belli, factum mancipium, per capitis deminutionem esset, suam fidem liberaret, quam pati a se desiderari, et vita frui minime posset. Ita reductum in castra, magna parta constantiae laude, cum omnia passus esset, quae ultima libero homini habentur, in fide mansisse, futurum insigni exemplo, neque libertatem, neque alia si quae sunt modo in hominum vita magis libertate expetenda, existimationis iactura redimenda esse. Subit hoc loco animum non sine ingenti admiratione (saepius, quam vellem hoc mihi usurpandum est) scriptorum nostri temporis, sive lubrica fides, sive, quod quis magis verisimile existimet, parum accurata ratio suae fidei hominibus probandae; cum praesertim nullam sperent ingenii laudem, quam non habeant cum fidei et religionis laude coniunctam. Neque vero ego solum in gravioribus rebus, in quibus permagni interest hominum non falli, sed in levioribus etiam exactam scriptoris fidem requiro; ita enim est futurum, ut credam, eum suscepto muneri satisfecisse, si in minimis gravitatis suae non oblitus, perficit industria et sedulitate, ut de maximis haud sit mihi dubitandum. Ac varias quidem veritas facies induit, sive illam studium, sive odium, sive gratia, mali metus, spes praemii, quasi fuco oblitam fingit, sed, ut numquam diu suam speciem decusque occultet; ubi cetera absint,

acerrima ipsa semper sui vindex. Ita vero uni inservire consilium est, ut non insectandi studio, a quo animi morbo longe absum, sed veritatis vindicandae, ubi illam infuscatam scriptorum mendaciis deprehendam, ultro partes mihi censoris et vindicis sumam. Vt vero alios omittam, maxime video Iovium, cum in aliis multis, tum in hoc ipso bello describendo, quod Ferdinandus Rex cum Ioanne gessit, foede labi. Quae causa scribenti fuerit, minus fidei suae et religioni consulendi, alii viderint: quod ipse pertinere ad receptum a me munus existimavi, facile passus mihi persuaderi multa imprudenti excidisse, quae temere credita, temere credenda aliis prodiderit, res persequi pergam, quas ipse ut pervestiganti inquirentique summo studio a peritis licuit gestas cognoscere, ita tradam, ut nusquam volens aut prudens videar a veritatis studio, et scribendi religione aberrasse. Nam Iovius quidem de iis, qui ad Ferdinandum transierunt, ea scripta reliquit, quae mirum sit pro veris tradidisse, cum falsa esse multi nostra aetate, eorum temporum aequales affirmare queant, et affirment adeo: sed cum hoc mirum, tum multo illud maiore admiratione dignum, cum iisdem temporibus vixerit, quibus ea gererentur, et quidem Romae vixerit, ubi a regum legatis, et pontificis oratoribus, doceri de iis poterat, de quibus illi erat scribendum, e vano hausta, ne dicam conficta ad gratiam, litteris mandasse. Mitto quam inclementer appellet viros fortissimos, et natos ex amplissimis familiis, quod est vitium in rerum scriptore gravissimum, a quo testis religiosi partes, non accusatoris requiruntur. Inter ceteros, qui a principio defecerunt, Valentinum Terekium nominat, quem supra ducuimus, servili tumultu rem egregie pro Ioanne Rege adversus Iovanzarium ges-

sisse: cui si viventi esset caussa pro se dicenda, multa afferret in medium, quibus probaret tam gravi contumeliae nota minime se dignum fuisse. Non enim ille odio Ioannis Regis ad Ferdinandum defecit, id quod agi ab eo prius non potuit, quam suo se ipse gladio iugularet, sed temporum rationem secutus; quorum nisi haberet rationem, erat futurum, ut liberos relinqueret in egestate: quam caussam, perpaucis exceptis, video aliis fuisse, ut transitionis consilium sibi necessarium putarent. Ferdinandi vires, Austriae familiae maiestas, Caroli V. Caesaris nomen, fama, cum multis victoriis et triumphis clari, tum multorum regnorum potentis, exterorum regum et populorum studia eo fovendo, qui validioribus viribus adversus Vngarorum consensum inniteretur, ab illius rationibus dissentientium, ut Ioannes a suis destitueretur, perfecerunt; dignus cuius fortunam omnes miserarentur, paullo ante maximi Regis, mox per insignem fortunae iniuriam redacti ad egestatem. Sed multo ille magis accessione iniuriae infelix, obiectus inimicorum calumniis, ita se gratificari Ferdinando Regi existimantium, cui plane erat persuasum, multis nominibus sibi debitum regnum repetere armis; certe nemo est familiae Austriae adeo parum aequus, cuius non sit hoc de Ferdinando iudicium, numquam illum adversus Scepusium fuisse arma sumpturum, nisi illi fixum animo esset, pro optima caussa adversus iniuriam gerere bellum. Nam et Bakithium Iovius tradit in eo proelio, quo Bodo victus captusque est, pugnasse pro Ferdinando; qui Ioannis fugae comes, cui egregiam operam pugnando navarat, desperato ad Tibiscum transitu, quem prior ille, non sine salutis discrimine, ponte transierat, Zegedinum perfugerat; unde Ferdinandi et

Palatini literis nunciisque sollicitatus, iisdem causis quas supra commemoravimus, in Ferdinandi partes transiit.

Interea Ioannes re male ad Tokaium gesta, cum militibus, quos hostium armis praeceps fuga fecerat reliquos, cum cura collectis, atque amicorum coactis auxiliis, ad Zina consedit. Quo quidem missus a Ferdinando Cacianerus dux cum parte copiarum, qui fugientem persequeretur, commisso proelio, fusum et profligatum in fugam vertit, e regiis, nonnullis spe praemiorum delinitis, ut ad Ferdinandum transirent id quod facile factu erat iam accisis et prope deploratis Ioannis rebus.

Quae dum in Vngaria ad hunc modum geruntur, missus a Ferdinando Rege internuncius ad Solimanum cum literis deprehensus Ioanni traditur, quas quidem literas Tridentinus Cardinalis, praecipuae apud Ferdinandum auctoritatis, signo manuque sua obsignaverat. Summa litterarum quae temporis magis quam maiestatis tanti regis viderentur, verentis ne adepto regnum parum esset diuturnum Solimano invito futurum: Vt, accepta annui tributi nomine ingenti pecuniae vi pateretur se legitimum regem ab Vngaris creatum, amico illo et foederato Rege, rebus suis favente, in Vngaria regnare: non enim sibi persuaderi posse, imperatorem iustissimum desperati hominis caussam, et qui malis artibus regnum invasisset, heredi legitimo praereptum adversus naturae et gentium ius suscepturum. Quibus lectis literis Ioannes, quamquam regno pulsus, proditusque a suis, unum sibi relictum perfugium ad Solimanum intelligebat, ad eum diem neminem miserat; de suorum consilio Transilvanum palatinum prudentem hominem, et magni

usus, ad illum legavit, qui simul et de suo et de Ferdinandi iure illum doceret, multis de caussis, ut credebat, sibi quam adversario aequiorem; inprimis iussum afflictae patriae pacem precari, iis conditionibus, quae Vngaris quam aequissimae et quam honestissimae viderentur. Quod quidem ille ita assecutus est, ut nullo cum regni incommodo, magna sua cum laude, iam Solimano agitanti animo Vngaricum bellum, creditus sit e manibus arma extorsisse. Cuius quidem suae in patriam pietatis, et universam Christianam rempublicam adeo, eam sibi gratiam relatam ait, ut, quod adversario agere, et regii nominis, et suorum immemori, quos turpi foedere illigatos Turcae vectigales addiceret, Clemens VII. diris se devovere veritus non esset, optime de patria meritum, ne leviter quidem adversario appellato, quem idem sciret a Turca summis precibus contendisse: cuius rei caussa tamen minime esset obscura, ne Carolum Caesarem a suis rationibus alienaret, quicum foedus atque amicitiam iniisset, cum, inconsulto Francisco Rege, et aliis foederatis, ei discedere a superioris foederis conditionibus non licuisset. Nihil quidem certius erat, quam Solimanum, post acceptos nuncios de occupata Buda a Ferdinando Rege, iustis comparatis copiis, Ferdinando bellum illaturum; quam urbem armis captam suae ditionis atque imperii fecisset, haud impune retineri ab externo rege, et maximis copiis septo minime passurum. A qua sententia exitiosa futura Vngaris Solimanum revocatum Ioannis Regis precibus, et alii multi, et palatinus Transilvanus, Ioannis legatus affirmabat, qui ea de re apud Solimanum egerat. Nam, ne quis existimaret ab inimico rege excogitatam, interceptas Ferdinandi ad Solimanum literas multi

postea legerunt, id Ioanne procurante, cuius permagni intererat, cum alios, tum reges exteros de Ferdinandi interioribus consiliis non falli, quorum aures perpetuis inimicorum criminationibus fatigabantur, uni, cuius potentia et nominis maiestas late patebat, quo nihil in humanis ingeniis proclivius est, assentantium. Frustra ille vero gentium ius, et instituta patriae iactabat; iam apud multos corroborata fama, quam verisimilem praesens Ioannis fortuna efficiebat, imploratae ab Turca opis, quod innitenti optima caussa erat maxime invidiosum. Ita vero eum accusatores multi infestis animis oppugnabant, ut ne studiosissimi quidem illius homines defendere magnis adversarii opibus deterriti auderent. Ergo Ioannes, deploratis in praesentia rebus, cedere regno simul et patria constituit, apud affinem Regem, cuius habebat in se exploratum animum, tutum ut sperabat receptum quaesiturus. Prima illi statio ingresso in Poloniae fines apud Ioannem Tarnovium, virum ut dignitate principem, et maiorum nobilitate, ita omni genere magnificentiae Rege exule excipiendo, cuius nomen posteritati summa cum laude prodatur. Non adversarii potentiam veritus, non eiecti fortunam aspernatus, ita advenientem honorifice accepit, ut florentibus illius rebus, et cum patriis fortunis potientem incolumi regno, habere honorificentius haud potuerit. Consolatus multis verbis venerabundus, cum de suis rebus in posterum meliora sperare iussisset, arcem illi, quam ipse incolebat. suis excedere iussis, atque oppidum simul tradidit, cum alia supellectili, tum argento ad domesticum usum, et cetero regio apparatu misso. Haec per totum illud tempus, quo regno exsulavit, Ioanni regia fuit, et quidem, ut in hunc diem usque Ioannis Regis domus

vocetur, insigne Tarnoviae domus in omni posteritate hospitalitatis et magnificentiae monumentum. Fertur Sigismundus affinem Regem complexus, ex altissimo fortunae gradu deiectum, nullo omisso humanitatis officio, quod summi amoris significationem haberet, accepisse, cum sua sponte mitissimi homo ingenii, tum in unius calamitate regum communem sortem miseratus, tetram atque horribilem scenam humanarum rerum ostentantis, per insigne fortunae ludibrium extremis vitae subsidiis destituti. Vnum modo Sigismundum movebat, quominus, ut vellet, praesenti auxilio adesset, Ferdinandi minime dubia offensio, ubi palam eum sibi fovendum, armis auxiliisque iuvandum suscepisset. Quae cura cum inprimis anxium Sigismundi animum haberet, unus e principibus Polonis Hieronymus Laskius palatinus Siradiensis, callidus vir et spectatae prudentiae atque usus, haerentem nutantemque expedivit: Eius enim opera Sigismundus, cum aliis rebus administrandis usus erat, tum feriendo cum Turca foedere, quod in centum annos inierat, maxime salutari reipublicae consilio, ut postea eventus docuit. Hic sive sua sponte Sigismundo connivente, sive clam summissus Ioannem hortatur, ut quando ad recuperandum regnum prodito a suis cetera deessent, eo perfugeret, quo ius fasque suaderet, et ab eo opem imploraret, quo vindice deus immortalis non semel usus est poenis a sceleratis expetendis, et aliorum, et maxime regum ultor, qui potestate imperii ad perdendum evertendumque Christianum orbem abuterentur. Eum qui supplex opem posceret perditis suis rebus, ab eo qui susciperet sibi iustitiae defendendae partes, tuendi ius adversus iniuriam, erigendi oppressos, afflictos sublevandi, nihil videri agere indignum Chri-

stiano homine; quem quidem deceret, ubi de
et animum esse voluisset, illic credere divi
inesse scelerum ultricem ad hominum malef
dicanda. Si quid spei superesset aliquando
amisisset recuperandi, salutem, regnum, non
mesticas fortunas, id totum positum in Solima
rege illo quidem potentissimo, et maximo o
qui tum regia insignia in terris gererent, se
maiorem quam fortunam gerentem animum. C
totam suam se auctore illi permitteret, precar
eo accepturus regnum, cuius ope esset recupe
Vbi quid iuris in Vngarorum regno haberet,
suorum, quanta cum exterorum iniuria esset
ostendisset, ne moram quidem exiguam inte
passurum, quin acceptum in fidem adversus vi
iniuriam vindicatum armis reponeret in regia
His a Laskio dictis, cum pro eo, atque aequu
illi Rex ingentes gratias egisset, sumpturum
deliberandum spatium respondit, ut postea cr
est, Sigismundum consulendi gratia, a cuius c
discedere videri nolebat. Id ita, an secus accide
certum; multi id quod verisimile videbatur, pr
sumptum affirmant, eius consilii auctorem Ioann
gi Laskium quidem, sed, consulto prius Rege f
quem multis de caussis minime passurum appa
ubi utrum vellet liceret, amicitia secum et affi
coniunctum Regem desertum ac proditum iri: pra
tim cum non esset dubitandum, quin Ferdinandi
magni regni accessione auctae, essent formidol
vicinis regibus futurae, id quod minime conducer
lonis credebat, quibus iam inde a primo Iagello
Rege Ladislao graves simultates atque aeterna
cum gente Austria intercedebant. Ergo Ioannes

accersito ad se Laskio, Quandoquidem, inquit, eo res nostrae reciderunt, ut quem decebat Vngaros externa vi oppressum sublevare, eum eversum et proditum velint, non fidei, non religionis suae, non cognationis, eiusdem gentis et patriae homines, non amicitiae memores: enimvero, inquit, eo perfugiam, unde certa pestis atque exitium sceleratis imminet, iura patriae, sacras aedes, coniuges, liberos externis armis defensurus. Vbi ius colitur, in ultima etiam barbaria et remotissimis gentibus petendum, cum nihil certius homini sit, quam deum immortalem, ubi divina atque humana iura colant, iustitiae praesidem, et rerum omnium moderatorem coli. Non genus, non natio, non mites, non inculti et barbari mores, sed caussa efficit, ut iusta bella, iusta arma conseantur, quibus numquam non favet praesens deus, expetiturus ab iis poenas, qui, ut necessaria arma habeantur, patriis legibus atque institutis, quibus stant legitima imperia, vim inferendo perficiunt. Placet sequi consilium, quod fides par(iter) et prudentia tutum, inprimis nostrorum temporum ratio necessarium reddit (hic illud Virgilianum usurpasse aiunt: „Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo") magna spe freto, deum immortalem inimicos suos, qui iidem sunt hostes bonorum omnium, id quod in sacris literis spondet, suorum inimicorum armis, insigni documento divinae animadversionis in improbos et sceleratos homines, adversariorum iniurias ulturum. Diu te, Laski, versatum in Solimani regia, nulla earum artium fugit, quibus te oporteat uti ad emolliendum barbari regis animum, et in nostram caussam flectendum. Est in te fides, egregia voluntas, acre ingenium, eloquentiae vis, prudentia summa, ut tibi minime praescribendum sit, quibus rationibus sit

tibi mea caussa agenda. „Nullus est aspectus rerum, quantumvis miserabilis atque acerbus, qui maiorem vim excelsis animis inferat, quam deturbati e summo rerum fastigio ad infimum gradum, nihil lugubre, nihil triste, nihil indignum in terris magis, quam vi oppressa innocentia; scelus, improbitas, fraus eo elata, unde est innocentia deiecta.“ Illud quidem fere accidere quotidie videmus, uti insignis virtus evecta supra humanae felicitatis modum, cum humana alia omnia contemnat, tum superba hominum ingenia inprimis oderit, quos fortunae temeritas, nulla ars digna summo in terris honore excelso loco inter homines collocavit; contra eandem videmus supplicibus ex alto loco dextram porrigere, et quos subitus fortunae impetus ad terram stravit, quibus sublevandis certa spes gloriae ostenditur, cuius nemo umquam, cuius sit paullo elatior animus, etiamsi summum sit in terris imperium adeptus, sibi visus est habere satis. Solimano quod satis est, aperienda tristis atque obscura nostrarum rerum facies; ut inducat animum oppressum recipere in fidem, erigere iacentem, erectum tueri, quod sibi gloriosum futurum ad hominum commendationem putat; hoc inquam est futurum satis. Praemia nulla habent potiora magni viri, quam quae a conscientia recte factorum manant; sed si numquam accidit, ut eorum praemiorum virtus sit expers, quae potest humanarum rerum ratio spondere, id de me velim, Laski, tibi pollicearis, quod a gratissimo animo, et suae constantiae, alienae virtutis memore sunt exspectanda, patriae meisque tua virtute restituto. Summa haec mandatorum, ut qui nobis auctor fuisti eius ineundi consilii, quod maxime conducere nostris rationibus existimasti, idem explicandi esse pergas, quod ipsum quidem nostra spe atque ex-

spectatione prolixius te praestaturum ne dubitemus, tua fides, ex sapientia aeque tuis atque exteris testata facit.

His auditis Laskius, cum illum bene de suis rebus sperare iussisset, ac votis parem eventum exspectare, non verbis se, sed officio, studio, sedulitate enixurum respondit, ut sui nominis et dignitatis perstudioso homini res suas intelligeret se permisisse. Ita nihil cunctatus, cum in eo positam spem bene gerendae rei existimaret, ubi prius rem ageret, quam potuisse agi crederetur, neu prior Ferdinandus Solimani animum legatis praemissis occuparet, mutatis ad celeritatem equis Constantinopolim contendit. Erant tum duo inter eos, de quorum consilio imperium Solimanus administrabat, auctoritate maxime et gratia florentes, Aloisius Grittius, et Ebraimus, e Visiriis quos appellant unus, qui honos secundum imperatoris maiestatem habetur summus. E quibus uti priorem Grittium adiret, religio movit, quam quidem illi per Solimani indulgentiam palam semper licuit profiteri, Christianis sacris initiato. Susceperat illum e Turca matre olim Andreas Grittius, vir magni animi, et suis aeque atque exteris spectatae virtutis et sapientiae, quique quo tempore a Ioanne Rege Laskius est Constantinopolim missus, Venetae reipublicae dux magna cum laude principatum administrabat. Is a primis annis mercaturae deditus, cum industriae fructus uberrimos retulisset (neque vero Venetis apud suos, quod mercaturam exerceant, quidquam de nobilitate decedit), per omnes honorum gradus, qui extero homini haberi possent, inter paucos summum gratiae locum apud Solimanum obtinebat. Quibus artibus se insinuare, eo aditum molienti licuerit, neque facile est ab aliis omis-

sum commemorare, neque si liceret, ipse velim: i
enim mihi certius, quam nullis artibus, quae sint
principe dignae (unam rem militarem intelligo), pa
cuiquam apud tantam barbariem gratiae locum.

Ergo Grittio Laskius, cuius rei caussa Cons
tinopolim venisset, exponit. Ioannem Scepusium,
Vngaris, post caesum Ludovicum, legitimo ge
more habitis comitiis, principum suffragatione, c
sentientibus populorum studiis, creatum regem, a F
dinando Boemorum Rege armis regno pulsum. (
quidem, desperatis suis atque exterorum regum a
liis, quos a se adversarii gratia et potentia aliena
ad Solimanum confugere sit ausus, neque hoc ta
sine certo dei immortalis consilio, ut crederet, qu
unum regum regem in summo imperii vertice posi
constituisset, ut esset, a quo supplices reges opem
suis rebus afflictis implorarent. In ea urbe habere
limanum imperii sedem, cuius qui fundamenta ie
sent, vatum responsa retulissent, proprium eorum r
nus fore, penes quos fasces eius imperii essent, „P
cere subiectis, et debellare superbos.“ In Ioanne R
eiecto, afflictae fortunae, et cum eo ipso violatae fi
religionis, officii, in Ferdinando superbi animi, et
fasque omne contemnentis exstare documentum,
quo deceret propendere summi imperatoris animu
obscurum esse haud posset. Non esse opus diserto l
mine, qui supplicis caussam ageret; rem per se ips
loqui, quiritare, dei immortalis, hominum fidem imp
rare advolutum Regem ad pedes, quod in homin
vita miserrimum et calamitosissimum spectacul
esset, nisi advolutus ad pedes Solimani iaceret, c
supplici spem salutis et vitae faceret, a quo uno vit
et salutis beneficium agnoscere summis regibus hor

stissimum esset. Eiecto nihil reliqui e regno peropulento inimici iniuriam fecisse, unum, quo non pervenissent fortunae tela, animum suae fidei et constantiae obsidem, tum, quod secum esset ad funus usque elaturus, legitimum ius Vngarici regni Solimano offerre, eo loco apud illum contentum futurum, quo tam prolixus animus et benevolus videretur esse promeritus.

His a Laskio dictis, plura Grittius persequi haud passus, secum ad Ebraimum adduxit, atque ordine quae de Ioannis Regis calamitate audierat, recenset, cum quidem illud addidisset, ad ceteras caussas, quae movere imperatorem deberent, pertinere plurimum ad Ottomanici imperii securitatem, summo beneficio imperatori devinctum Regem, rerum in Vngaria potiri; cuius vires, ubi minus gratum animum in bene de se meritum ostenderet, quod tamen non esset credendum, non haberentur idoneae ad Thracii belli molem sustinendam, quod vix magnus consensus totius Christiani orbis esset propulsaturus. Accedere clementiae et magni animi commendationem, maxime aptam rem ad populorum studia comparanda, cum quidem percrebresceret iniuste oppressis regibus apud clementissimum imperatorem certum perfugium patere; regnum et principatuum satietatem saepe in magnis animis, verae et solidae gloriae nullam inveniri; ut dare quam accipere regna gloriosius crederetur, posito praesertim in maximorum regnorum possessione, et regum regi. Nam etiam si felicitas esset censenda, multa regna parta habere; eam intra certos homini praescriptos fines contineri, et cum homine mortali, si id fieri posset, mortalem interire; laudem et gloriam aeternam atque immortalem, vita functos viros fortes

comitari. Aequissimas esse conditiones quas ferret paratum tributi nomine ultori ac vindici sui iuris, si lutis, dignitatis, regni restitutori, quantum visum esset quotannis pendere; ut fides exstaret, agnoscer se summum apud Solimanum regni ius, atque eosdem hostes, eosdem amicos habere.

Cum his dictis aliisque multis, quae Regis miserabilis ac tristis fortuna postulabat, Grittius peroras set; subsecutus illius orationem Laskius in eandem sententiam multa addit, eo efficaciore Grittii oration ad commovendum barbari animum, quo minus acri sensu alter auditam modo, visam alter supplicis Regis personam repraesentabat. Cetera quae ad eum diem Solimanus gessisset, summi omnium regis, imperatoris fortissimi, maximi, felicissimi fuisse; vincere enim potentissimos hostes armis, populis multis, gentibusque imperare, ad remotissimas mundi oras proferre fines imperii, non posse nisi qui virtute et robore animi, ut magnitudine imperii inter homines excelleret; sed ut idem non posset recusare communem tum hominum, tum aliorum animantium sortem, quorum una esset ratio, ut quae orta essent, certis vitae spatiis definita aliquando pervenirent ad occasum Quod gloriae decus tum illi benigna fata pararent esse eiusmodi, ut, extra mortalitatis sortem, in coelo adhuc viventem collocaret, nulla hominum oblivione interiturum. Regum fortunam, quo honore nullus esset in terris maior, non homines sed deum moderari, cuius imperio reges parerent, et quos in terris divina virtus efficeret similes deo; supplicem Regem, habitu fortunae miserabili, sordidum, obsoleta veste, non decere opem implorare a mortali homine, sed ab eo, in quo dei immortale numen, res hominum tuentis elu-

ceret. Eius esse occurrere afflictae regum fortunae, in spem erigere, iacentes sublevare, vindicare ius oppressum armis, improbos et nefarios ab hominum vita exterminare; quae solida gloria et perennis eos maneret, qui orbis terrae imperio potientes, se dignos gererent, qui dei immortalis irae ultrici vicarii succederent, sceleribus hominum vindicandis. Rogare enixe, ut miseri atque afflicti Regis caussam apud imperatorem iustissimum sibi susciperet agendam, certa spe, quocunque fortunae loco constitui Ioannem Regem placeret, eum memorem tanti officii uni id illi acceptum relaturum; cum quidem nihil posset non honestissimum accidere a summi imperatoris in se benignitate atque indulgentia profectum.

Erat Ebraimi cum placidum ac mite ingenium, tum in Christianorum caussam cumprimis propensus animus, sive illum subiret recordatio veteris religionis, sacrorumque quibus puer initiatus esset, sive vinceret barbarae disciplinae immanitatem, quam apud Turcam imbiberat, animo insita lenitas, quae quidem non semper felici successu dissimulata, illi postremis temporibus exitio fuit. Ita benigne et prolixe pollicitus, Laskium in conspectum Solimani adduxit, cum illum de omnibus quae acta essent accurate docuisset. Hinc Laskius, expositis quae in mandatis a Rege supplice haberet, cum illum de more veneratus esset, petita venia, discessit, relicto Ebraimo, qui accuratius apud Solimanum ageret absentis caussam. Cuius ut laetior succederet eventus, adiuverunt duo missi a Ferdinando legati, quorum alter Vngarus Ianus Oberdancius nomine, alter genere Germanus erat, cuius non traditur nomen. Summa illa legationis: Missos se a Ferdinando Rege repetitum quascumque urbes, op-

pida, arces, a Ludovici Regis tempore Turca passent, in his Belgradum nominatim. Eas si tuere induceret animum, quod omnino illum fa sperares, tum sancta sibi cum eo amicitiae et v tis iura, ut regem deceret fidei suae et muneri memorem, futura. Visa legati oratio, pro Solim tuna atque ingenio superba, sua sponte ins contumeliae, et gentium ius non officii religion suorum temporum ratione metientis, ut mirum posset legatis ferre impune licuisse. Non usqu tamen potuit habere animum in potestate, ut non peret iracundia incensus, ex tanta sua, inimici fortunam aspernantis. Nam quod signum commo mi est visum, decussatis cruribus et sub sedem ctis, qui mos Turcarum accumbentium atque tium est, cum defixos oculos in legatos haberet gradum, inquit, Belgradum? caput quassans. D vestra legatione haud ego apud meos in consilio ram, neque tanti vos faciam, ut inter vestra post et nostrum responsum, quasi de dubia re et anc deliberationis, interponi ullam patiar moram. vestro renunciate, aequo animo sit, nos brevi, co ctis copiis, portarum claves earum urbium quas p collo appensas in Vngariam allaturos: locum candi fore iisdem Mohacensibus campis, apud p ros semper nostrae virtutis et felicitatis, vestra lamitatis insigne futurum monumentum. Quae qui quando adhuc minus videri apta potest ad fer vestros animos et spiritus contundendos, eo des dat cum suis armatus Rex vester, et communi M rem permittat; victoria parta, et Solimani busto, p secto capite, urbium clavibus potiturus. Nam si tristi omine deterritus, loco infausto Vngaris, su

regni aleam recusat, atque ob id tamen se credit, occupati regni per violata Vngarorum iura, quae eadem gentium omnium est, poenas evasurum, hoc unum sciat, et Budae illum nos, et, ubi minus apud Vngaros se tutum credat, Viennae a patriis sedibus ad poenam retracturos.

Hoc accepto responso, legati dimissi, omnium animos, Ferdinandi inprimis, terrore impleverunt; unam enim spem positam in Germanorum auxiliis, et Caroli V. potentia bella sustulerant, quae in Italia ad internecionem cum Gallis, ut numquam antea validioribus viribus intentis recuperando in Italia Neapolitano regno, gerebantur; quae opportuna occasio agitanti animo Vngaricum bellum non omittenda videbatur, horrente haud dubie Solimano Caroli Caesaris fortunam, ubi, compositis Italiae rebus, in Thraciam, quo numquam se intentum habere animum dissimulaverat, converteret victricia arma. Neque minus acri studio, quam bellum denunciaverat, iussis provinciarum praefectis delectum habere, diem dicit, quo die cum copiis armati sibi ad Sirmium praesto sint, quem in locum ipse cum peditum delectis, quos Ianizeros vocant, et quatuor Visiris interiorum amicorum principibus sit subsecuturus. Inde cum Laskium advocari iussisset, ita illi respondisse ferunt: Adductum se, ut par esset, Regis indigna fortuna, et iustis suorum precibus, quod sua sponte esset facturus, ut ultro deditum Regem acciperet in fidem, operam daturum, ut suscepti consilii ad se perfugiendi Regem non poeniteret; non enim illius se caussa commoveri modo, quae satis tamen per se esset gravis, ut sibi statueret, Germanis arma inferenda; sed omnium simul, quibus in iuris aequitate et sacrarum legum sanctionibus, ad-

versus vim parum praesidii esset. Ne desponderet animum, quousque unicus gladius rem gerenti superesset, quo in hostem uteretur (iisdem verbis usum accipio), se illi terra marique affuturum, non prius quam repositus in regio solio reliquam aetatis partem inter suos securus ageret, arma positurum. Occurreret sibi ad Mohacium, quo esset extemplo copias ducturus, omni cura soluto animo, ut communi consilio de omni ratione gerendi belli coram statueret: se illius opinionem, si rectam de se suscepisset, et se dignam, multis partibus superaturum. Quae dum ad hunc modum geruntur, Ferdinandus acceptis quae Constantinopoli acta essent, suis rebus veritus, relicto Budae Stephano Palatino, qui regiae urbi praeesset, se Viennam recepit, aut armis, si daretur facultas, aut consilio barbari regis minas, quamcumque in partem regni irrumperet, elusurus. Et quo tempore quidem legati Viennam redierunt, Ferdinandus Spirae conventum agebat, a fratre Carolo indictum, qui negaret sibi distento Gallico bello interesse licere. Caussa indicendi conventus belli fama tum Vngaris, tum Germanis a Turca imminentis. Quo quidem tempore Ioannes Rex suspicatus id quod erat, magnam sibi invidiam ab adversario conflatum iri, et sua et fratris potentia praefidente; ad imperii principes literas dederat, quae quoniam plurimum lucis afferre ad cognoscendam totam Ioannis caussam sunt visae, iisdem fere quibus sunt perscriptae verbis, his attexere placuit. Etsi enim ita expressae in Germanorum monumentis leguntur, ut ne minimum quidem varient ab argumento: ne praepostere tamen, quae propria nostri muneris sunt, dissimulare, et ad Germanos scriptores legentes reiicere videamur, subiiciendas nobis, id postulante

nostra fide, ex scripto statuimus, quod integrum, ut alibi diximus, apud nos exstat:

Post illam calamitosam cladem, et memorabilem, in qua cum magna nobilitatis parte Ludovicus Rex occubuit, et reipublicae eandem et nostrae familiae funestam, quae Georgio fratre orbata, viro fortissimo, et privatum simul luxit et publicum fatum; comitiis rite de more peractis, cunctis gentis suffragiis sumus*) ad regnum evecti, tribus duntaxat exceptis, quos tum egestas rei familiaris, tum odium et privati commodi spes a vera via et patriae studio in Ferdinandi factionem, Boemiae Regis, transversos egit. Hinc, cum acceptis regni insignibus, una nos angeret cura erigendi iacentem patriam, et quae amissa essent recuperandi, non sine firma spe, nos aliquando florentissimum regnum posteris sartum tectum ab omnibus domesticis et externis cladibus relicturos, nuncii ad nos certi afferuntur, Ferdinandum omni contempta religione divini atque humani iuris, in regnum nostrum, coacta militum manu, invasisse, mox urbibus nonnullis, quae nostrae ditionis erant, occupatis, per adversae factionis homines, seditiosos et turbulentos, non patriae caritate ulla, quae se volens et prudens nostrae fidei permisisset, sed nostri odio, et rerum novandarum studio, Posonii regem creatum. Quae studiorum et voluntatum commutatio, praeter spem, magna cum nostra admiratione subsecuta, pro nostra in patriam pietate, ingenti nos moerore affecit; versabatur enim ante oculos in partes diversas patria divisa, quae eius cupiditate atque ambitione esset peritura,

*) Eddig tart Szamosközi keze; a többi, a VII. könyv végéig, a Bécsi Codexből vétetett. T. F.

cuius virtute externo malo affectam sublevari esset. Ac tametsi non deesset nobis certa ratio tis in nos impetum retardandi (nostrae eni erant validiores vires), alienum tamen a Ch regis munere duximus, eius gentis reliquias tamquam in praesidio posita barbarorum ar multa secula a Christianorum iugulis avertis suorum exscidium adornare. Qua de adversar ria tanta, nostra aequitate per nostros legatos sumus, tum apud Clementem Pontificem Ma tum apud Christianos reges alios omnes, F cum Gallorum, Anglorum Henricum, Sigism Polonorum, quem semper, ut par erat, coluim rentis loco. Atque is quidem, ut decebat Chris reipublicae perstudiosum regem, sua sponte, nobis inconsultis, apud Ferdinandum per legat de concordia concilianda, magnopere hortatus, cepto desisteret, neu, per civilia arma aditum potentissimo patefaceret et ad Vngariam, et ad stianas reliquas provincias invadendas, qui illius praesentibus, neque multo illis validioribu strui posset. Postulare vero rationem communi cii, ut iisdem animis, copiis, armis, quibus eade hoste pestis immineret, communi periculo ob irent. Quibus auditis Ferdinandus in praesentia a sus, se Regi optimo gratias agere respondit, non saturus, quin suos legatos, quocunque ille edix et ad quem diem, mitteret; atque hoc quidem cum orator in se recepisset, et nos legatos nostros, et Sigismundum eodem missurum. Neque nos vero fidem fefellimus, atque adeo quamquam quae essent, quae Ferdinandus iactaret, et quanti mo essent habenda, nos minime fugeret; id nobis

agendum arbitrati, ut aequi atque iniqui omnes intelligerent, per nos, quominus de concordia transigeretur, non stetisse. Namque et eodem tempore alios ad vos legatos misimus, ne quis dubitare de constantia nostra posset, qui vobis expositis Ferdinandi iniuriis, nos esse paratos iure apud vos de regno disceptare, quicquid de eo, pro vestra aequitate et sapientia, a vobis constitutum esset, id ratum firmumque habituros. Inde alios recta ad Caesarem in Hispaniam cum iisdem mandatis iussimus proficisci, quod nostrum officium ne nobis, ut vellemus, procederet, Ferdinandi iniuria fecit, qui legatos nostros, quorum semper fuit sanctum apud omnes gentes et populos nomen, in ditionis eius fines ingressos prohibuit ulterius ire. Quae illius iniuria tamen minime nos reddidit segniores, instituta de concordia actione peragenda. Nam ut visum Sigismundo fuit, ad constitutum diem Olomucii legati nostri affuerunt, ita a nobis instructi, ut nullas conditiones, quae tolerabiles viderentur, essent recusaturi, modo spes esset tantum excitatum incendium in Christiana republica exstinctum iri. Quod nostrum animi studium Ferdinandi legati elusere, adeo iniquis conditionibus propositis, ut facile appareret, verbo videri voluisse concordiae studere, re occasionem dirimendi colloquii per iniustissimas obiectas conditiones quaesiisse, quod eorum proprium est, qui a caussa minus parati, quae una ratio iniuriae est reliqua, confugiunt ad arma. Ita nostri, re infecta, retroredire coacti sunt. Neque vero ille nos modo aperta vi, sed insidiis est aggressus, plerisque a principibus regni hinc precibus et pollicitationibus multis, hinc minis et mali metu, ad defectionem sollicitatis, inprimis quos suspicaretur nobis magis fideles esse, multis nobis,

atque insignibus nostris beneficiis devinctos. Ita multi magnitudine largitionum victi, et spe melioris fortunae, nostrorum beneficiorum immemores, et iurisiurandi, cuius religione nobis erant obstricti, a nobis defecerunt, minime diu tantum in nos admissum scelus perfidiamque impune laturi. Quibus de rebus quominus vos per legatos nostros certiores faceremus, adversarius fuit impedimento; cuius iniuria factum est, ut quod gentibus populisque omnibus semper licuerit, nobis minus fuerit tutum, per legatos nostros vos de illius in nos iniuriis docere. Itaque satius visum est de his vobiscum per litteras agere, inprimis de illius contumacia, qui ita nos bello lacessit, ut nos, id quod maxime fuit nobis optandum, frui nostrae aequitatis et constantiae fructu minime patiatur; nihil enim est, a quo longius absimus, quam a fundendo innocentium sanguine, nostri iuris tuendi caussa: cuius fiducia qui iudicem postulet, vos appellet principes et moderatores Christiani imperii, a vobis, non ab armis praesidium petat: is facile ostendit, qui diffisi iure ad arma confugiant, tanto propius iniuriae esse, quanto ab aequitate longius recedant. Quid autem minus verisimile, quam, qui Christiani sanguinis adeo sitiens est, aptum aliquando moderando Christiano imperio fore? Hoc ille nostri odio, cuius se futurum successorem sperat, scilicet sarciendi caussa insignes clades a patre meo, atque Emerico patruo viris fortissimis et clarissimis tum Friderico Caesari, tum eius Maximiliano filio illatas, cum infaustis auspiciis bellum adversus Vngaros suscepissent. Namque ornatum alterum imperii insignibus, et sacro Vngarorum diademate potientem, patruus eiecit ex Vngariae finibus, regni corona recuperata, cum regni

summus praefectus esset; utrumque Stephanus pater regni Palatinus, atque exercituum imperator suo ductu, Matthiae Regis auspiciis interiore Austria expulit, Vngarorum regno, Vienna Austriae gentis sede, et universa eius ditione adiuncta. Quorum nos gloriae aemuli Maximilianum Vngaricum bellum animo molientem, se continere intra regni fines coegimus, vix adolescentiae annos egressi; ut facile coniici possit, si iustis viribus, atque armis potius, quam insidiis et fallaciis esset gerenda res, haud vires nobis, atque animum ad nostras persequendas iniurias, nostrum ius tuendum defuturas. Sed et hanc ipsam adversarii iniuriam tantam aequo animo tulimus, certe, quam ut est, esse gravissimam censeatis omnium, quae in hac vita homini immineant, ubi veniat vobis in mentem cogitare, quanta indignitas sit, non magnis regibus tantum et augustae maiestatis principibus, sed mediocris etiam fortunae hominibus, ex eo honoris gradu, quo sint virtute atque industria evecti, ad imum prolabi. Rarum quidem inter homines exemplum, sed eo indignum magis, quo minus saepe accidit regno extorrem, vitae extrema subsidia in sordibus et squalore positum desiderare; minime certe credimus quemquam tantae constantiae esse, qui tot tantisque iniuriis lacessitus, non eo sibi confugiendum statuat, unde spes praesentis auxilii ostentetur; neque enim ulla animi aegritudo maior, ad vim animi ad ultionem excitandam, quam quae ex iniuria manat. Quod quamquam ita sit, et iusto dolore animi incensi eo descendere cogamur, unde spes sit affuturas vires ad nostrum ius recuperandum, vi nobis et armis per iniuriam praereptum. Hoc tamen nostris his literis vobis testatum volumus, nos a primis regni nostri initiis, ut nunc

quoque, ita habere comparatum animum, ut nullas n
conditiones simus subituri tollendi discidii causs
quas vos aequas esse, pro vestra sapientia censeat
has enim nostras praecipuas partes, hoc est Christia
regis duximus, ut cuiusvis iudicio potius iudicanda
nostram caussam permitteremus, qui idoneus mo
haberetur, quam patriam vexandam civilibus armi
quae nobis esse charissima rerum omnium debet.
ne quis nobis vitio vertat, si quando diffisi domesti
viribus, quo nos adversarii vi atque impetu vindic
mus, aliquid ineamus novi consilii, et unde detrime
tum aliquod reipublicae eveniat: vos monitos volum
in hoc orbis theatro Christianae reipublicae princip
positos, eius rei culpam in eum reiiciendam, qui s
non contentus, alienum regnum, tum armis subnix
tum perfidia et proditione sceleratorum hominum, si
conciliare aggrediatur; nemine non ita statuente, c
ultro iudices atque arbitros poscat, ut paullo ante
ximus, per quos de *(civilibus?)* controversiis cognos
tur, eum caussa superiorem esse. Neque vos ignora
arbitramur, atque adeo quamquam ab eo severe e
ctum sit, ne cui liceat, praeterea, quae illi secur
eveniant, extra regni fines efferre, obsessis publi
viis, qua iter ultro citroque euntibus patet, quae si
Ferdinandi in Vngaros merita, qui se vult assertor
Christianae libertatis videri: Ludovico enim Regi
roris viro in extremum rerum discrimen caput ol
cienti, non militem, non bellica tormenta, non ulli
subsidii genus, quamvis ultimis fatigatus precibus, n
sit, qui adversus copias Turcarum innumerabil
exigua peditum atque equitum manu fretus, es
pugnaturus. Nam, quod vix in Christiani nomi
hoste ferendum est, comparata tum a vobis auxil

quae Vngaris subsidio essent, adversus Turcam gerentibus bellum, Christianus rex, reipublicae subtracta, laboranti in extremo casu, ad vastandam populandamque Italiam a fratre rogatus misit, inhians, per iuvenis Regis interitum, a se destituti tam necessario suo tempore, Vngariae regno. Quo quidem in patriae discrimine nos pietatis nostrae memores Georgium fratrem, et delectorum militum tria millia, cum omni bellico apparatu, misimus, qui pro patriae salute pugnantes, cum fratre occubuerunt, Mohacensi proelio. Neque in eo constitit nostra in patriam pietas; nihil enim certius est, quam nos profectionem ad bellum in Vngariam adornantes, cum valida militum manu, fuisse Regis imperio in Transilvania retentos. Atque haec quidem ipsi nostrae fidei et constantiae dedimus documenta, quorum sunt plurimi testes, ubi sint qui illam audeant in dubium revocare; illa Ferdinandus, cuius ut alia omittantur, illud praeteriri silentio nec debet, nec potest. Obstrinxerat se Vngaris sanctissimo iureiurando, id quod ex illius literis apparet, non se prius initurum regnum, quam Belgradum, oppida arcesque alias, quaecumque essent a Turca intercepta, recuperasset. Cuius iurisiurandi religio, literis illius signisque confirmati, quam illi fuerit diuturna, omnes noverunt: non solum enim non praestitit quae pollicitus erat, sed sub expeditionis tempus urendo populandoque omnia, prope Budam Turcas impune progressos audivit, septem quidem passuum millia tantum Alba Regia Turcas abfuisse constat, ubi tum ipse castra habebat, unde magno cum illius dedecore, hostes barbari omnibus ferro flammaque absumptis, nemine persequente, qui abeuntes remoraretur, onusti praeda discesserunt. Nam arcem Iaiczam, quam a

nobis averterat, praesidii praefectis muneribus et p licitationibus multis in sententiam traductis, in t Christiano orbe munitissimam arcem, eandem Bosi regni caput, cum aliis finitimis arcibus in illius oct captam Turcae suae ditionis fecerunt, quo nihil f dius, aut turpius poterat Christianae reipublicae ac dere. Haec nobilis illa arx, quam Matthias Rex fort simus, magnis Turcae illatis cladibus, non sine inge suorum caede redegit in potestatem; cum mox e dem Emericus patruus noster, regni Palatinus, g vem atque asperam perpessus obsidionem, magna c gloria tutatus est. Tanta quidem semper est visa, eius tuendae caussa, reges qui deinceps Matthiae s cesserunt, quotannis aureorum nummum centum m lia impenderint, numquam sumptus magnitudine det riti, ubi patriae salus securitasque ab ea parte Vng ris constaret. Nam et ipsi superiore aestate, cum r minime fugeret, quot quantaque pericula non Vng riae solum, sed vicinae Germaniae impenderent arce amissa, e patriis bonis arcem praefectis Iaiczi sibus pignoris nomine dedimus, scilicet ne post t tum effusum Christianorum sanguinem, post ingen factas a republica impensas, post tot accepta det menta, in hostium potestatem rediret, a quibus patr memoria, Regis fortissimi auspiciis, esset ingenti c fortitudinis laude erepta. Et quidem nisi commu salutis hostis, regnum nostrum aggressus armis, eg gios nostros conatus retardasset, extrema quoque p tius eramus parati subire, quam ut unum relict Christianis populis adversus Turcarum incursion munimentum a regno Vngariae divelli paterem Haec Ferdinandi auspicia fuerunt, alienum invaden regnum, haec merita in Christianam rempublica

haec pietas, qua afflicta patria tot annorum perpetuis cladibus, in spem salutis sublevata erigeretur, ut strenuo Rege, soluto curis animo, dies geniales agente, tantum vulnus per arcis munitissimae amissionem intra regni viscera acciperet. Quae quamquam ita sint, non dubitamus quin magna penuria rerum omnium, quas poscit belli usus, sit a vobis opem imploraturus, specioso quidem et splendido inprimis nomine, movendi in Turcas arma, re suppeditandi contra nos auxilia, et Carolo fratri gerenti cum Christianis populis funestum bellum, et exterorum, et suorum armis perituris, quae multo maiore cum laude atque usu in Turcas iustos hostes, liceret explicare; ea enim illius spes est, quod suis viribus fretus desperet se assequi posse, vestris fultum auxiliis se impetraturum, ut nobis impedimento sit, quominus per iniuriam nobis ereptum regnum armis recuperemus, id quod divino numine benignam auram rebus nostris aspirante, propediem speramus fore. Quae cum ita se habeant, ne per vos illius optatis is respondeat eventus, quem sibi per vos spondet, sacri Romani imperii moderatores, enixe rogamus, magna spe freti, ita vos in totam hanc caussam advigilaturos, ut nihil ex ea detrimenti accipere rempublicam patiamini. — Atque his quidem literis consentaneas alias ad Carolum Caesarem dedit; in quibus ne plus aequo dolori indulgeret, certa ratio effecit existimantis, quae cum Ferdinandi contumelia scripta legeret, fratrem iniquo animo laturum. Interea reversus e Thracia Laskius, Regi sollicito de consilii eventu, quae acta cum Solimano essent ordine exponit, simul hortatur, ut, spe lactioris fortunae animo confirmato, Solimano in Vngariam adventanti, quantis maximis possit comparatis copiis, occurrat.

Esse adhuc Transilvanos in fide, atque ex his, quorum semper in se voluntatem sit egregiam expertus, summae auctoritatis homines, et locupletes, quos illi reliquos e magno rerum suarum naufragio fortuna fecerit. Non esse dubitandum, quin monitti de his, quae Constantinopoli acta sint, et consilio, et copiis regnum repetenti sint affuturi. Accepto Ioannes tam laeto nuncio, per sibi fidos homines, atque industrios, amicos hortatur, ut pro sua constantia et fide, quam iam pridem habebat perspectam, sese animo compararent ad ea agenda, quae praesens occasio requirat, spe firma animis concepta, quibuscum habuerit communem adversam fortunam, secundis suis rebus, laetam quoque se communem habiturum. Erant e nobilitate qui Ioanni Regi praecipue studebant, Stephanus Bathoreus Somlyius, Emericus Czibaçhus, Gothardus Kys, aliique, qui ad eum diem veriti Ferdinandi potentiam, communia consilia, ut animorum studia in Ioannem habuerant. Hos paucis docet de iis quae Laskius a Solimano attulerat, cum simul spem auxiliorum faceret, quae se e Polonia missurum primo quoque tempore pollicebatur. Esse autem suum consilium, ut cum suis amicorum copiis coniunctis, per Lippam, qua urbe se facile potiturum sperabat, aditum in Vngariam tentaret. Quibus illi rebus cognitis inter se cohortati, pro se quisque certatim suos armant, nemine, quo id consilio agerent, suspicante. Nam quae rem adiuvabat, certior in dies fama percrebescebat, Solimanum magnis contractis copiis in Vngariam adventare, quem Ferdinandus, cuius tum erat nomen in omnium ore, propter pulsum regno Ioannem Regem viribus omnibus excepturus credebatur; ut minime mirum videretur, principes suos armare, quibus se cum Ferdinan-

do coniungerent proficiscente ad bellum. Quae dum ab his intenta cura administrantur, Ioannes advocato suorum consilio, in quibus nobiles exules permulti erant eius fortunam secuti, ostendit se constituisse Simonem Attinaium (unum ex eorum ordine, quos Vngari literatos appellant) virum fortem, atque impigrum in Vngariam praemittere cum equitum ala et peditibus quingentis; quibus conducendis cum pecunia opus sit, rogat, ut pro praesenti quisque fortuna animum inducat sibi esse subsidio, atque omnino speret de se meritis adeo suo necessario tempore, parem se gratiam relaturum: fortunam potuisse sibi praeripere regnum; regno maiorem animum numquam sibi per ullos adversos casus praerepturam. Tanta animorum alacritate ferunt Regis verba fuisse excepta, ut et principes studio inter se conferenda pecunia certarent, et eorum regii ministri aemulatores, quorum nonnulli tum frequentes apud Regem erant: in his, propter insigne pietatis in Regem studium, non videtur silentio morio praetereundus, Balentinus nomine, ex hominum genere, quos multos versari in maximorum regum aulis, atque esse in deliciis, videmus; sive enim incensus studio laudis, quod in homine stolido ingenio est dignum admiratione, sive amore ex diuturna consuetudine suscepto, Regi decem aureos Vngaricos obtulit ex perexiguo censu luculentum donum, atque: „Vtere, inquit, Rex, laetioribus tuis rebus mihi Budae cum foenore redditurus"; quo omine a fatuo et quasi praesenti numine correpto, magnopere Regem exhilaratum aiunt. Inde Simone literato, cum ea militum manu, quam designaverat, praeire iusso, amicos per celeres nuncios monet, quos cursores vocant: iam Simonem iter ingressum, cum Polonorum copiis Cassoviam ac-

celerare, ubi Ferdinandus copiarum partem habebat, eo consilio, ut nactus idoneam pugnandi occasionem, cum iis conserat manum. Inde multis verbis hortatur, ut quas in praesentia copias habeant coactas, Gothardi Kyn ductu (erat huius et virtus, et fides inprimis Ioanni spectata) obviam Simoni praemittant, qua manu auctus tutius cum hoste confligere audeat. Vnum maxime urget, ut rem totam in celeritate positam, non sinant mora et procrastinatione corrumpi. Ita illi nihil de summa industria et sedulitate remittentes, militum praevalidam manum, duce Gothardo, Simoni obviam mittunt, qui dies noctesque continuato itinere, celerius omnium spe cum illius suas copias coniungit. Quorum adventu cognito Ferdinandi duces Stephanus Revaius, et Thomas Laskanus, suos paucos hortati, ut quam fidem nuper Ferdinando praestitissent, pristinae virtutis maiorum memores, sibi censeant in acie praestandam, ire obviam hosti pergunt; qui minime pugnam detrectantes, impetum excipiunt inferentium signa, ita obfirmatis animis, ut in acie cadere quam militare dedecus admittere malint. Commisso proelio, cum aliquamdiu anceps, par utrimque virtus fecisset, Ioannis milites adnixi constantia, acriter locum, in quo institissent, tuentes, hostes gradus inferentes propellunt, et postremo loco motos in fugam vertunt. Pugna haud procul Cassovia pugnata, qui belli exitus futurus esset, laeto eventu declaravit, non re minus quam omine. Victus Revaius, et qui proelio superfuerunt, in vicinas urbes, pagosque dilapsi profugerunt. Cuius victoriae nunciis Ioannes Rex acceptis, spei et fiduciae plenus, e Polonia movet, mox Simonis, et Gothardi copiis suis adiunctis Lippam victorem militem adducit, cum, ut aequum erat, duces pro suo merito collau-

datos, digna summa virtute praemia a se perfecto bello sperare iussisset. Quarum rerum fama simulatque ad Vngaros pervasit, iam omni cunctatione et mora damnata, magno concursu ad Ioannem undique amici, quorum non erat exiguus numerus, conveniunt, simul victoriam gratulatum, et felicem in patriam reditum, simul ut praesto rem gerenti essent. In his e principibus Ioannes Bamfius, Petrus, Marcus, Ioannes Tahius, Simon Episcopus Zagrabiensis, quorum studia diu inclusa animis, per Solimani adventum in apertum excitata, eruperant: nemo quidem dubitabat, quin Ioannes a Solimano acceptus in fidem, propediem recuperato regno, in Vngarorum regia esset ius populis dicturus. Etsi vero magnae erat futurum invidiae, vindicatum Turcarum armis, quibus hostibus infestissimis Christiana respublica uteretur: quicquid in eo offensionis esset, caussa emolliebat; quae quidem quam iusta esset modo, non a quibus defenderetur, crederent spectari oportere; posse enim fieri, ut a Christiano rege, cum dedecore defenderetur iniuria, et cum laude Turca, atque ex ultima barbarie adeo Scytha immanis, aequitatem, ius, fas, tueretur, id quod quotidie usu veniret. Ergo Ioannes successu acrior, cum quidem speraret, ubi viriliter fortuna pergeret uti, magni animi se uberem fructum relaturum, suos intentiore cura, tum urbanorum, tum agrestium delectum habere, copias cogere, spe reditus exules armare, quicumque idonei ad arma ferenda haberentur, nulla aetatis excusatione accersere ad signa, quamprimum iubet. Ita incredibili adhibita diligentia et celeritate, non contemnendum comparatum exercitum Ioannis duces ad urbem munitam, quam Montis Graecensis incolae appellant, adducunt, non

dubia spe. Germanis cunctantibus obsessis ferre, quamquam a Ferdinando septingentorum norum praesidio firmatam, aut vi, aut dedition potestatem redacturos. Quorum consilio cogni scopus Labacensis, unus e Ferdinandi ducibus, pto secum Germanorum equitatu, cui praeerat Germanus Proar nomine, ire subsidio obsessis multis tum Slavis, tum Croatis e prima nobilit Ferdinando favebant, sua sponte voluntariis si quentibus. Ferebantur in Germanorum castri peditum, qua equitum ad X millia, ut si fieret p di potestas, haud viderentur certamen detr Quod quidem Ioannis duces veriti, cum optimo lio a subeundo pugnae discrimine, quo non occ opportunitas iuvaret, abhorrerent: eorum non etato adventu, cum universis copiis se in Sla regni interiora recipiunt, atque ad arcem quan Erzebet vocant, positam in Ladislai More d militem ducunt, atque eam arcta obsidione cingu Germani M. Graecensis urbe obsidione liberat cem e regione sitam Zagrabiensis Episcopi, e ductis copiis oppugnare aggrediuntur. Quod cu nus eorum spe procederet, mox obsidere instit fame ut credebant in potestatem redacturi. Q minime territi, qui erant in arcis praesidio, su cura quaecunque aut ad tollendam longam ob nem, aut ad subitam vim propulsandam usui es expediunt, quicquid hostes aut vi, aut insidiis t rent, eorum occurrere consiliis parati. Germani n libus tormentis destituti, clam ad muros cuni actis, ut per eos aditum in arcem tentarent, ad o sos fallendos, varii artificii globis, qui ex reperc inclusum ignem emitter[illegible] omni alio genere

rum frustra deiicere e muris Ioannis milites conantur. Nam et crebris eruptionibus pugnabant, et eodem tempore, qua coniicerent cuniculos agi, marris, ligonibusque humo intercisa, excipiebant; neque vero umquam accidit, ut non plures e Germanis Hispanisque desiderarentur, aut vivi capti venirent in potestatem. Quae quamquam obsessi impigre atque industrie administrarent, Ioannes Waghotovithius, grandis natu vir, et rei militaris peritus, qui praefectus praesidio pracerat, cum Germanos pertinaci consilio continuare obsidionem, obsessos in dies, quae famis tolerandae essent, magis deficere animadverteret, sacerdotem intempesta nocte fune per murum demissum, impigrum hominem, iubet, falsis hostium custodiis ad Episcopum Zagrabiensem literas afferre, adhuc arcem Zent Erzebet circumsidentem, et quanto in discrimine sui versentur a Germanis obsessi, docere. Eo ventum esse, ut fames, pertinax usque ad exitium malum, sit timenda, iam perpetuis vigiliis et laboribus, quibus impares non sufficiant, viribus confectis. Nisi statuat omissis aliis consiliis omnibus, periclitantibus suis extemplo opem ferre, aut tuentibus militare decus, ut deceret Vngaros, fame perеundum, aut praeferentibus turpem vitam honestae morti, quod consilium indignum Vngarorum virtute esset, hosti portas arcis patefaciendas. Rogare vehementer, ut bene de se meritum militem ne desereret laborantem in salutis extremo casu, non pateretur Germanorum praedam fieri, quorum odium ne vita quidem se posse explere sperarent, nisi per ultimos cruciatus et ludibria omnia et mortis longam moram dilacerata. Ita nuncius summa usus felicitate, conventum in castris Episcopum, quae habebat in mandatis exponit, simul ne cunctetur

obsessis opem ferre, quibus spes omnis salutis
auxilii celeritate posita, hortatur. Quibus rebus
tis, Zagrabiensis, iussum nihil sibi reliqui ad ce
tem facere, ad obsessos laeto cum nuncio re
Exiguam temporis moram ferant aequo animo,
diem se valido Turcarum auxilio copias auct
illos adducturum. Ita obsessi spe propinquae s
confirmatis animis, quae secundis rebus, dari la
signa consueverunt, militari more omnia edid
inter gratulantium acclamationes, quas dissonus
rum clangor et tympanorum sonitus augebat, c
tormentorum ictibus, horribilem fragorem aëris
bium repercussu cientibus, non sine hostium te
ne, id quod erat, propinqui auxilii significatione
berent. Adiuvit, ob tam laetum nuncium in spem
tis erectos errore falsus Germanorum explorat
postea cognitum est: conspicatus enim in summo
pli fastigio erectum vexillum, quod iam nimia
state subalbicabat, atque arbitratus Turcarum
qui obsessis subsidio venissent, pro vero suis re
quod verisimile videbatur, laeta militum acclama
suspicioni fidem faciente. Ita Germani temere cr
re, ut temere erat allata, soluta obsidione abierun
ea enim, quae visa erant, quod semel territis ac
ut ex iis, quae iure timenda sunt, non timenda
reant, explorator de suo addiderat iam Turcarum
venientium agmen conspici, qui ultro irent castr
pugnatum. Quae dum ad hunc modum a Ioannis
bus geruntur, adulta iam aestate Solimanus, cum
sis tempus appeteret, anni pars ad bellum geren
maxime opportuna, ingenti contracto exercitu in
mium pervenerat, atque inde, Savum copiis tradu
nemine qui obsisteret contra ferente arma, pari fe

tate Dravum militem transmiserat. Is tum erat status in Vngaria, qui in magnis regnis atque imperiis esse consuevit, quorum sunt in contraria studia distractae vires; ut si externa vis accedat, non secus atque in corporibus accidit, quorum intestinis morbis prostratae vires, victa succumbant. Et qui Ferdinandi, et qui Ioannis rebus favebant, pariter consilii incertos angebat sensus interioris mali, quo quidem fiebat, ut quidvis aliud potius, quam quod erat agendum, statuerent, quam fortunam saepe victae gentis barbarus hostis esse vellet, exspectantes.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER OCTAVVS.

LIBER OCTAVVS.

Interea Ioannes, cognito Solimani adventu, Mohacium cum iis quas habebat copiis proficiscitur, illic, ut convenerat, eius adventum praestolaturus. Quarum rerum Budenses accepta fama, minime dubii, quin barbarus ad regiam urbem, quae eadem esset regni caput, exercitum adduceret, non ausi advenientem expectare, secum exportatis, quae in fuga trepidantibus licuit praedae hostium subtrahere, Viennam profugiunt, relicto Budae Germanorum praesidio, et qui arci praeesset, Thoma Nadasdio, viro tum pacis tum belli tempore, magnis administrandis gerendisque rebus, consilio et magnitudine animi claro. Iam Solimanum Mohacium advenientem egressus obviam Ioannes Rex exceperat, barbarorum in morem, quod ab invito et tergiversante vis temporis extorquebat, supplex veneratus. Erant quidem in Ioanne multa, quae, ut alibi diximus, regiae indolis significationem haberent, quam a natura insitam patria disciplina et studium optimarum artium auxerat: sed nihil magis movit barbari animum suopte ingenio mitem et ad misericordiam proclivem, quam supplicis habitus in privata etiam fortuna miserandus. Subibat, qui praesens hominis status, qui paullo ante fuisset, pridem regnum maximum atque opulentissimum magno plausu secun-

dis suorum studiis adepti. mox eiecti patria, et extorris, contra ius, fas, maiorum instituta, ut [illegible] bat, spoliati legitimo honore. atque ad egestatem [illegible] cti, non regni solum honore, sed amissis etiam p fortunis, quae maximae atque amplissimae fuis quae ipsae, etiam eo tacente, cuius caussa agel satis tuendo suo iure adversus potentis adversai iuriam diserti. sua sponte humanitatis Solimanun morem prosequi omni genere officii supplicem [illegible] bat. Cuius brevis oratio, et pro supplicis Regi tuna, et pro nominis sui maiestate: Dei benignita loci Ioannis Regis esse deductas res, ut posito in xima spe recuperandi regni, sint Deo immortali tiae agendae, cuius parens imperio Solimanus agnoscat suum munus, et porro profiteatur, affl atque oppressos per improborum hominum iniur erigendi; deturbandi e celso loco, quos aut vis ap aut perfidia et fraus ex imo evexerit ad summum. Deus vires dedisset, animum quoque dedisse vir parem tum hominum malefactis vindicandis, tun tuendis ab iniuria, quos bellum et iniusta arma a confugere, atque opem poscere afflictis suis rebus egissent. Bono animo esset, atque omnia de se sp ret, quae et sua et maiorum consuetudo require de omnibus bene merendi, qui spem certam perfi in sua clementia positam haberent. Numquam diu [illegible] probis, hoc prohibente divino numine, in viros pro [illegible] institiae amantes insultare impune licuisse. Q [illegible] sibi a Deo immortali impositas intelligeret, [illegible] scelera vindicandi armis, ne ab se homines [illegible] oppressi fortunae iniuria, quoad vita su [illegible] operam daturum. Haec Solimani, aeque [illegible] oratio, et qual[illegible]plicem deceret

agentem potius gratias pro quaesita ope, quam pro quaerenda laborantem; nihil enim opus erat pluribus de suo iure agere, cuius recuperandi gratia, videbat ingentes ducentem copias esse in armis. Inde imperatum regiis ministris, ut certum illi cum suis locum in castris assignarent, ubi honeste et pro regii nominis maiestate, tutus a multitudinis licentia ageret, datis custodibus, qui suos parum aequos Regi colenti externa sacra, ab iniuria et maleficio prohiberent. Haec ita gesta a peritis accepimus, a quibus nonnihil Iovius variat, qui occurrisse Ioannem ad Belgradum Solimano tradit: Nam de Budensium fuga plane diversa; cum diffisi moenibus, minime se in urbe tutos futuros arbitrarentur, partim Strigonium, partim Albam Regalem, atque in alias vicinas urbes receptum quaesivisse, quibus quidem in urbibus haud multo quam Budae tutiores videbantur adversus Turcarum vim futuri. Inde Solimanus continuato itinere cum quidem quacumque iret pacatum agmen duceret, Budam pervenit habitatoribus vacuam, quorum maxima pars Viennam, ut diximus, desperata patriae salute, confugerat. Nam alii qui manserant, sub hostis adventum in arcem ad Nadasdium concesserant, eandem fortunam subituri, qua in sententia haud diu perstitere; visus enim, id quod facile de superiore loco licebat, ingens bellicarum rerum apparatus, tum magna tormentorum vis, ac missilium omnis generis, quorum infinitam vim Turcae attulerant ad bellum, sua sponte perculsis, atque ex superioris belli infelici eventu eundem sibi rerum exitum spondentibus, animos fregerant. Ita pudorem vincente metu, unius salutis memores, inter se de arce dedenda consilia agitare coeperunt, ubi voluntaria deditio esset, se acceptum iri in fidem aequioribus

conditionibus sperantes. Qua re Nadasdius animadversa, sive adductus coniectura, sive monitus a suis, ad quos fama tanti flagitii manarat, frustra a foedo incepto deterrere, ac continere in officio conatus. Indignam enimvero rem queri Germanorum gente, indignam prisca maiorum virtute, quorum gloria longe lateque ad exteras gentes ac nationes omnes illustri fama pervagata esset, nondum hostium virium periculo facto, nullo dum edito militaris virtutis documento, unde fides fieret esse veram Germanorum subolem, qui cum nutricum lacte militares animos et virile robur suxissent, quorum primi lusus aetatis arma, tela, tormenta fuissent, qui digni essent habiti, quorum virtuti defendenda Budae arx, regni Vngarici caput, permitteretur; indignam rem esse Germanorum nomine tanto, territos vanis rumoribus, atque inani specie rerum, non secus ac pavidas anus, atque imbelles pueros suam umbram timere. Magno gloriam emi, maximis perferendis laboribus, gravissimis periculis adeundis, profundendo sanguine, morte contemnenda, unde viri fortes aditum sibi patefacerent in coelum; neque tamen minus caro vitam emi segnibus atque inertibus, quibus professis rem militarem sit vera laude potior salus; emi nominis iactura, famae, bonorum, existimationis, emi omnium iustissimo odio, ut qui ita infames vivant, sint multo infra eorum conditionem, qui simul editi in lucem, et vita exstincti, interiissent. Facesseret vero e suorum pectore inauditus ad eum diem Germanis pavor, ac se duce auderent contemnere, quae timenda ignavis, ultro expeterent verae laudis et gloriae cupidi; quam quidem multis fortibus factis atque illustribus, adversus hostem in acie pugnando, pro moenibus patria defendenda, fide impera-

tori et duci praestanda, non in umbra et otio ac delicata vita se sperarent consecuturos. Quae stimulos aliis addidissent ad excitandam animi praesentiam, arma, tela, tormenta contemnenda, mortem ultro appetendam: ad flagitium et militare dedecus admittendum, exitii metu territis animis obversante, valuerunt. Concursu facto, captum ducem nequidquam tantam suorum nequitiam et scelus exsecrantem, quo libentius cum hoste de arce dedenda transigant, in custodiam coniiciunt. Inde iam nemine prohibente, incolumitatem pacti, atque ut liceat armatis, et militari more sub signis ire, non officii, non fidei, non militaris sacramenti memores, se simul arcemque dedunt. Tantum flagitium ut Germani milites admitterent, odium ut creditum est, genti innatum in Vngaros inexorabile effecit, quo imminuta ducis auctoritas, minus apud contumaces et detrectantes superbe Vngari imperium locum invenit; magno res futura documento, in duce deligendo, qui multis sit praefuturus, spectandum, quam recte inter eum et imperio obtemperantes conveniat; auctoritas enim, sine qua dissoluta corruit rei militaris disciplina, ut initur uno maxime militum in ducem studio, ita odio labat. Nadasdius inde proditus ac desertus a suis, ad Solimanum captus in castra adducitur, qui eum ad Ioannem Regem, facta potestate de illo, ut visum esset iudicandi, perduci iussit. Qui quidem humanae sortis vicissitudinem miseratus, virum fortem proditum a suis, et minime ea calamitate dignum, cum eum pertinax fati vis potius, et communis error, quam certum animi indicium declinare ab officio coegisset, veniam petentem conservavit, et quidem adversantibus suis, qui in unius animadversione statuendum in multos exemplum proditae fidei,

ut credebant, et corruptae militaris disciplinae censebant, qui, deserto eo, quem legitimo iure creatum regem agnovisset, veneratus esset, ad eum transfugisset, qui quod regnum iure se adepturum non speraret, usurpasset armis, in magnum discrimen non solum Vngarorum regno, sed universa Christiana republica adducta. Sed horum ratio parum idonea ad eos in fide continendos, qui non poenae metu sed studio gloriae ducuntur, minime Regem movit suopte ingenio mitem, atque ad clementiam pronum, tum prudenti et maturo consilio in pristina consuetudine manentem. Hoc vero tum maxime illius rationes postulabant, ut adversarium potentissimum aemulatus, cuius placidum ac mite ingenium homines laudibus in coelum ferebant, clementiae suae exempla potius ad reconciliandos eorum animos, qui iam alienati essent, constitueret, quam saevitiae ad eos alienandos, de quorum fide et constantia haud posset dubitare. Namque et illud verendum erat, ne qui Ferdinando studerent, magis temporis caussa, quam Ioannis odio, qui erant permulti, illius clementia diffisi, pertinacius in suscepta animorum contumelia manerent. Addit Iovius ad haec omnia, quo levius Germanorum militum flagitium possit videri, non prius illos vim Nadasdio fecisse, quam fumantes cuniculos, quos Turcae in arcem agebant, et tetro odore halantes, inspexissent, veritos ne si moram deditioni facerent, ab imo solo subruta arx, in cunctantium et moram trahentium capita verteretur. Quorum perfidiam Solimanus detestatus, immisso in abeuntes Ianizerorum agmine, interficiendos omnes da unum curavit, indignos arbitratus, quibus datam fidem servaret, sceleratis hominibus et detestandae memoriae, quibus sancta fides in ducem et praefe-

ctum suum non fuisset. Neque me tamen fallit, magni vindicem sceleris Solimanum graviter hoc loco a Iovio reprehendi, iniuria illum quidem, ut alios multos, quos caussa raro, saepius privatum odium, aut gratificandi studium, quibus minus debet, apud eum reos facit. Nam fidem servandam etiam hosti datam nemo negabit, qui sciat hoc uno quasi vinculo consociatam vitam hominum contineri, et belli certa iura esse, quae fide et constantia pari ad ultimum usque vitae discrimen sibi homines servanda censeant; sed non illud continuo concedet, iis, qui insideant publicas vias, quos iustissimo odio communes hostes, gentes nationesque omnes, igni, ferro, terra marique persequuntur, si modo cuiquam tutum commercium cum his esse queat, fidei religionem, cuius palam se hostes profitentur, esse servandam: aeque enim quis recte queat Camillum reprehendere, qui proditorem verberibus caesum ad hostes remisit, per obsides principum liberos, Faliscos dedentem, et Fabricium, qui spondentem suam operam ad Pyrrhum veneno tollendum, ad eum ipsum quem prodebat vinctum remisit; quibus non debuit bene merendi studium exitio esse, facilem victoriam de hostibus pollicentibus; fide enim eorum subnixi, et spe praemii pro egregie iis navata opera, ita se iis tradiderant in potestatem, ut non viderentur, si Iovio credendum est, ad poenam et supplicium remittendi. Sed hoc credo viros fortissimos statuisse, et quibus pluris sui victoria, quam de hostibus esset; qui suis obstrictam fidem tam foede violassent, haud dignos habendos, quibus perfidiae praemium apud hostes exstaret, humanitatis iura atque officii colentes. His rebus gestis Solimanus, quae una illi caussa expeditionis fuerat, Ioannem in regia sede collocavit, accepta

ab eo fide, quod regnum virtute sua atque armis partum suae ditionis atque imperii fecisset, ita sibi redditum administraturum, ut eo inconsulto, cuius beneficium esset, de eo cum nemine pacisceretur. Inter alias foederis conditiones hanc placuit addi, ut si quando accideret, ut Rex bello fessus de compositione ageret, id quod erat dubitandum, et postea accidit, integrum sibi ius relinqueretur ad regnum repetendum armis, cuius possessione, per violatum foederis ius beneficiarius rex excidisset. Inde ducenti Viennam, non minus alacri promisso praestando, quam fuerat speciosus virium ostentator, Paullus Strigoniensis Archiepiscopus, quem paullo ante a Ioanne Rege defecisse commemoravimus, cum Strigonium appropinquaret, assuetus in ducenda ratione officii sequi tutiora consilia occurrit, praemissis e suis, qui docerent, ubi liceret supplici in castra venire praesenti, dedere se, atque urbem simul cum suis omnibus paratum. Magnificum spectaculum barbaro visum, et unde laetum belli omen agnosceret ad spem regni capessendam, dignitatis principem locum tuentem in Vngariae regno secundum regis maiestatem, ad se supplicem in castra venire; ita prolixe et liberaliter pollicitus, cum ubi vellet se adeundi potestatem fecisset, in castra et mox ad se adduci iubet. Inde Paullus venerabundus imperatoris manus deosculatus, supplex errati veniam precatur, paucis excusato errore, quod a Rege suo defecisset, a quo esset pontificatus honore honestatus, qui summus honos apud Vngaros haberetur. Dum haec agerent, universo exercitu, ingenti acclamatione, qui gentis mos est, Alla, Alla, quae vox est dei immortalis vim maiestatemque efferentium, ingeminante. Rem quidem dignam arbitrati, quare inter se gratularentur, quem Vngari sacrorum principem in ponti-

ficum collegio et sanctiore Regis consilio primum dignitatis locum obtinentem (venerarentur), quasi per minime obscuras rerum ambages, dei arcanum consilium per adeo supplicem deditionem aperire, Turcarum imperio Vngariae regnum submittentis. His peractis Solimanus supplicem consolatus, Ioanni tradidit, utrumque de se meritum facile patienti secum in gratiam redire, ubique exercitu infesto, populabundus ire Viennam pergit. Ferunt Strigoniensem ad Ioannem Regem adductum, cum perfusus pudore et metu mali, horreret sui flagitii conscius, et a lacrymis aegre temperaret, ita imminens periculum et vitae et fortunarum, ut ipse credebat, deprecatum: Fateor, inquit, Rex, ingens in te scelus a me esse admissum, sed eo maiore apud te venia dignum, quo magis te spero intelligere metus id, non liberi iudicii fuisse; deum immortalem obtestatus, ne Virginem quidem Matrem aeque luxisse filium humanae salutis auctorem in crucem actum, ac me prosecutum te euntem in exsilium, regno ac patriis bonis spoliatum. Hic volentem pluribus institutam orationem persequi, interpellantem Regem ita excepisse aiunt: Atqui Virgo, inquit, ad crucem usque filium prosecuta est, tu, quod ultimum amicitiae munus Regi deberes, qui insigne monumentum sui amoris in te constituisset, ut eum ad supplicii usque locum deduceres, non potuisti a te impetrare, quo gravius flagitium esset, vix nuncio accepto euntis adversarii ad arma, ne horam quidem intercedere passus, quin ad illum transfugeres. Sed facit tamen tua aetas, mea consuetudo, per illustria humanitatis exempla inimicorum scelus augendi, nostram facilitatem et clementiam aequis et iniquis testificandi, ut, et te in gratiam nobiscum redire, et eodem honoris loco esse apud nos, in quo te initio regni nostri collocavimus, non in-

viti patiamur. Haud operae precium duximus singula deinceps, quae a rerum scriptoribus traduntur, de hac Solimani reliqua expeditione literis mandare; ita multa ad gratiam conficta, praeterita alia aut odio, aut studio animadvertimus, hinc Austriae familiae potentia, in quam unam maximorum regnorum potentem, tum erant fere omnium studia conversa; illinc multorum in Solimanum odio, ne qui scriberet suae fidei memor, libero iudicio, his explicandis uteretur, officiente. Captum ex itinere Altemburgum, Flexum veteribus, ut nonnulli arbitrantur, militibus cunctis, qui in urbis praesidio erant, interfectis. Inde ab imperatore missi milites duce Acangio, Quinquecclesias celebre oppidum, ac longe lateque circumiectos agros populatum; qui late belli terrore fuso, non aetati, non sexui parcentes, Lincium usque Germaniae emporium omnia caedibus, populationibus, incendiis vastarunt, Vienna, in quam unam erat omnem belli molem Solimanus conversurus, integra in medio relicta. Interea Ferdinandus, qui haec multo ante quam accidissent. ut Oberdanskius docuerat, futura praevidisset, quascunque subito colligere copias potuit, quae adversus barbarorum impetum subsidio essent, Viennam misit. cum frustra, tum a Germanis, tum ab Vngaris opem implorantem omnia defecissent, quae laboranti in magnis rerum angustiis, sine ingenti Christianae reipublicae discrimine non poterant desiderari. Ingressi Viennam peditum equitumque ad XX millia, quibus praeerant magni nominis duces, et rei militaris gloria clari, Philippus Palatinus, Nicolaus Salmensis, Gulielmus Rogendorfius, Leonardus Velsius, Ardecus, quorum deinceps sumus suo loco mentionem facturi. In omnibus quidem bellis, quae superioribus annis gesta in Italia fuerant, ita erant omnes versati, ut

nulla essent belli munera, quibus obeundis, non insignia sibi monumenta gloriae constituissent, sive in acie cum hoste confligendo, sive pugnando ex insidiis, urbes obsidendo, defendendo, cetera administrando, quorum commendatione ad summos militiae honores pervenissent. Vnus quidem Salmensis comes, cui, praeter alia militiae decora, gloria capti Francisci Gallorum Regis debetur, memorabili proelio a Caroli V. Caesaris ducibus ad Ticinum victi, quam quidem laudem nonnulli nostrae aetatis scriptores, quibus quaestuosa fides, et foeda assentatio pluris fuit, quam gravitatis et constantiae laus, fortissimo viro ereptam aliis adiudicarunt. Nam et illius literae, recenti re ad amicos scriptae hoc affirmant, ut minime verisimile sit, ubi esset parum suae fidei memor, cum spe fallendi mentiri potuisse, quod tamen de tanto viro haud est credendum; et vivunt hoc tempore, qui audierint Ferdinandum Caesarem, magna cum fortitudinis laude tantum illi decus tribuentem. Neque vero in eo solum male cum Salmensi nostri temporis scriptores egerunt, sed in propugnatione etiam Viennensis urbis perscribenda, atque adeo multo maiore cum iniuria, insigne illius facinus, et dignum inprimis quod ad posteros transmitteretur, silentio suppressere. Nam cum e ducibus nonnullos exsultantes paullo ante animi ferocia, in his Cacianerum, qui, aliquot post annis, rem male ad Ezechum gessit, ex editioribus locis, immensis Solimani copiis perspectis, subitus horror, trepidatioque perfudisset, auctoresque essent, ut, subiectis ignibus incendendam urbem, cives cum iis, quae cariora haberent, adverso flumine in tutiora loca transvehendos curarent, et a tam foeda sententia sua auctoritate deterruit, et apta tempori oratione in officio confirmavit. Tantumne, inquit, dedecus potuistis

animo concipere, ut impositi in eius urbis praesidio, quae obiecta arx, et propugnaculum barbaris gentibus, conservata universo Christiano orbi saluti, prodita, sit exitio futura, aliquid propositum animo habeatis, quod sperata gloria, ex defensa et conservata honorificentius vobis, gloriosius, magnificentius sit? Nam si qui sunt quos fama terreat hostilis classis, quae ingentem tormentorum apparatum vehat, in his muralium inusitatae magnitudinis urbibus arcibusque exscindendis: eos iubeo esse soluto curis animo. Stat enim nostra classis egregie instructa, qua Danubius Posonium praeterlabitur adverso flumine (classem, impetum) hostium invehentem exceptura, tanto quidem illa superior futura eventu, quanto iniquius certamen proeliantibus adverso, quam secundo flumine creditur, praerapido praesertim et omnium in Europa maximo violentissimoque. Terrerene potest invictos olim vestros animos nimia vitae cupiditas, mortis metus? At vere iam pridem dictum, decus, gloriam, immortalitatem morte venalem peti? vile enim horum precium vita, quae quidem ut beatissima etiam sit, et voluptatibus ac deliciis omnibus diffluat, estne cum ea morte conferenda, quae in omni posterorum memoria veram et solidam gloriam, laudem, celebritatem spondeat ea ipsa beatissima vita defunctis? Fingite vero, quod commemorare horret animus, vobis superstitibus, desertam a vobis, incensam, solo aequatam urbem hanc nobilissimam; cuiusmodi est vestra vita futura tanto scelere et flagitio contaminatis? Quae vero non beatior mors, ubi ea etiam sit per cruciatus omnes defungendum, ea vita, quae tantum flagitium scelusque admittentes manet? Natura quidem comparatum est, nihil ut sit homini in terris vita amabilius, sed ea

vita, quae sit eorum malorum expers, quorum redimendorum caussa homines, non aliis solum, sed sibi etiam ipsi invisi, voluntariam obeunt mortem? Atque alii quidem alia mala horrent, morbos, vulnera, egestatem, quae vitam hominum vexant; insignes homines maiorum nobilitate et domestica gloria, omnium malorum extremum ducunt infamiam, dedecus, ignominiam; ut credant, vitam, amisso nomine, existimatione, fama, sibi non beneficii loco relictam, sed ea lege, ut quo in plures proferant annos, longiore atque acriore supplicio plectantur; immortalitati, si ea lege comparanda sit, ut eam infamis vita comes sequatur, vitae interitum praeoptaturi. Primum fortitudinis decus, non timere mortem; inertiae et nequitiae extremum dedecus, eandem, cum sit nato homini necessario obeunda, obscuram domi, utinam non turpem et infamem, quod saepe accidit, quam in campo atque in acie obire cum gloria malle. Equidem hoc mecum habeo animo constitutum, nullum mihi mortali hac vita defuncto, in huius urbis aede augustissima posse erigi monumentum ad posteritatem illustrius, quam quod ego cadens pro patriae salute et Ferdinandi Regis victoria, id quod me iuvat sperare, in murorum propugnatione mihi constituam. Nulla inquam mihi statua decreta, aenea, marmorea, aurea, nullus tumulus e Pario lapide, nullus e Numidico marmore, Porphyretico, quem docta artificis manus exstruat inter septem mundi miracula conspiciendum, cum eo conferendus, quem mihi in muris gloriosam mortem pro patria obeundo, meis manibus per hostium caedem et sanguinem parentaturus, aeternitati consecrabo; minime dubius quin grata posteritas, nostrae pietatis memor, eundem ipsum nostrum tumulum, qui honos haberi solet honesta morte pro

patria functis, laetis vocibus, sertis, floribus, festa fronde celebratura (sit). Forte parum vobis videar dignus, cuius exemplo sitis futuri meliores; certe ita ab ineunte aetate me domi militiaeque gessi semper melioribus parendo, ut si dicam a grandi iam natu homine, et maximis gerendis in rebus versato, habere adolescentes, cuius aemulatione meliores fiant, non videar id mihi sumere arroganter; quod tamen numquam faciam, ut quisquam iure mihi possit vitio vertere. Nisi inter confertos hostes pugnando iam annis gravis, pro muris stando, honesta vulnera adverso pectore excipiendo, vobis sim exemplo ad rem bene gerendam: non requiram, ut dicenti sententiam dignam vobis, dignam vestra in patriam pietate, Christianae reipublicae salutarem, assentiamini. Defendendam vobis urbem censeo, quam immanis hostis, aut per vim excissam. si id per nostram socordiam licebit, aut per voluntariam deditionem acceptam in fidem, sperat (neque ille quidem inani fiducia inflatus) universi Christiani imperii, nobilissimorum atque opulentissimorum regnorum, civitatum principumque populorum occasum secuturum. Quam illius spem, quamdiu vestri eritis memores, tum quae gloria victores, quae victos mala sint secutura, vestra virtus et magnitudo animi eludet. Sint vero illius copiae tantae, quantas ipse videri velit, qui his longe lateque stratos campos, montesque habet; minima tanti exercitus pars, quae non potest esse maior, quam quantum murorum ambitus amplectitur, est in oppugnatione urbis futura, quam munitam XX millium lectissimorum militum praesidio, et optimorum civium consensu, qui pro patria mori sibi gloriosum ducant, frustra est oppugnaturus, intellecturus certe, ubi etiam sit in acie pugnandum, verae virtuti

atque animi magnitudini imbellem multitudinem cedere. Vnum vero placet primum omnium agi, ne qua sit reliqua effugii spes turpem fugam honestae morti praeferentibus, quo ingenio qui sunt, saepe eos qui sua sponte sunt alacres atque impigri in pugnando futuri, suo exemplo a bene gerendo avertunt, qua Danubius transitur, pontes interscindi. Etsi enim virtus in iis nulla esse potest, qui ita se praeclare gerant, ut se praeclare gerant inviti: at quaestus et compendii loco habendum, esse improbis et socordibus non licere iis, qui sua sponte sint improbi et inertes futuri, id quod, pontibus exscissis, est usu venturum. His Salmensis atque aliis in eandem sententiam dictis, conversis ad decus et virtutem omnibus, ita sententiam moderari placuit, ut quatenus de urbe defendenda ad extremum usque spiritum verba fecisset, omnes magno consensu assentirentur; de civibus in urbe retinendis ita statuerent (quo in rerum omnium discrimine, et ubi arcte obsessos omnia deficerent, saepe descensum esset), exhauriendam urbem multitudinis parte, emissis, qui inutiles ad arma ferenda, et ad toleranda obsidionis incommoda ex privatis fortunis, impares haberentur. Quod quidem decretum sua sponte foedum atque immane, praesens rerum status, ut necessarium videretur, et propterea neque iniustum, et maxime laudandum, effecit, ita natura rerum ferente, ut languentia corpora gravioribus morbis, non solum lenioribus remediis aliis, sed ustione etiam saepe et sectione curentur. Deformata quidem urbs atque orbata parte sui (interiit enim sive immani hosti praedae exposita, sive fame atque inedia enecta emissa plebs), sed quo incommodo levari tempore, per suorum virtutem ab interitu conservata, et simul

Christianum orbem liberare potuerit, cuius cervicibu superbus barbarus servitutis iugum acerbissimum i impositurum minabatur. Sic itaque duces Salmens oratione ad fortiter sustinendam obsidionem animat exquisitissimo delectu quae ad urbem praesidio fi mandam erant necessaria futura, conquiri iubent. H rum cura, praeter maiorum tormentorum apparatu quae centum numero ferebantur minora trecenta add ta, quorum singula globum medioeri crassitudine, a crebros repetendos ictus usus explicatioris, emittebar quorum procella scandentium Turcarum in mur agmina disiectum iri sperabant, cum inter muroru pluteos, qua spatium intermittebatur, disposita coll cataque essent. Serius et sua et omnium opinione Sol manus Viennam pervenit, cum etiamsi nihil de celer tate remisisset, corrupta itinera perpetuis imbribus, late restagnans alueo Danubius effusus, ingentes tr hentem copias, et magnam impedimentorum vim, qu necesse erat, moratus esset. Nam neque licebat a verso flumine navigare, quominus impedimenta tu vehi navibus possent, rapido et vorticoso flumine pr hibente tormenta maxime, quae desiderata, spei irr tum Solimanum, atque eius minas conatusque ou nes belli exitu eluserunt. Incidit Solimani adventu Viennam in diem IX. kal. octob. CIↃ. IↃ. XXIJ paullo ante quam Carolus Caesar Bononiae imper insignia accepisset. Turcarum castra in V urbis r giones obversa, quae octo passuum millia quaquave sum occupabant. Nam a peritis ducenta quinquaginta a matorum millia adducta Viennam ferebantur, subduct ratione e loci spatio, quod perpetuis barbarorum agm nibus densatum accurate inprimis dimensum descr ptumque habebant. Mons erat aliquanto editior lenit

ab imo acclivis, qui ab urbe quidem modico spatio distabat, sed ut tamen tutus ab ictu maioris tormenti crederetur. In eius vertice olim sita arx, iam pridem cultoribus deserta eminebat, unde erat in subiectam planitiem despectus. Eum montem loci opportunitatem secutus Ebraimus ita insederat, ut apertum in urbem prospectum haberet, non ita magna valle se paullatim a summo colle demittente. Alterum agmen, cui praeerat Becrambeius, alter e Solimani ducibus, e regione portae, quam vulgo Burgthor, hoc est, castrensem portam (Iovius, detorto nomine, purgatoriam vocat), propter Vldrici aedem locatum erat. Tertium, quod ducebat Micalogles, secundum montis clivum in longissimum spatium productis castris pertendebatur. Contra portam quartum, quam Scotorum ad Danubii ripam usque vulgo appellant a propinquo portae Scotorum templo vetustissimo, in quo praeter Asaporum ingentem multitudinem, hominum genus aeque et ad pugnandum et ad faciendum opus aptum, erat Ianizerorum delecta manus, qui fossa et vallo muniti, fistularum crebris ictibus, quae manualia tormenta (archibusi vulgo milites vocant, in eo militiae genere maxime exercitati) efficiebant, ne temere in muris propugnatores consistere auderent; certe hoc Iovius affirmat sive a studio insito ingenio portenta et prodigia edendi, sive a vero haustum, tantam horum peritiam fuisse, ut in murorum fenestras perangustas destinato ictu, unde obsessi in hostes ferreos globos e minoribus tormentis iaculabantur, immissa tela adigerent, atque in muris pro fenestris stantes milites interficerent, non visu a scopo, non manu aberrante. Illud quidem vere Iovius, quod ipsi quoque ab iis accepimus, qui tum in obsessa urbe fuerunt, tantam

sagittarum vim a Turca emissam, ut crebrae insta
grandinis in eorum capita incidentes, qui ultro citr
que per urbis vias discurrebant, magnam mortalium
vim vulnerarent: adeo mali vim saevisse, ut cives s
continere domi, et carere necessariis rebus, quas
exire ingenti cum vitae discrimine, earum procura
darum caussa, et frequentare forum mallent. Tent
tum eodem tempore a Solimano, an cuniculis capi urb
posset, qui illi conatus irritus cessit, soli natura ob
luctante eorum industriae, qui in opera erant, quom
nus, ut sperabat, procederet opus. Iam aeque frust
laboratum est fundamentis murorum excindendis, qu
bus subrutis, Solimanus sperabat aditum suis in urbe
patefactum iri. Quod illi eo acrius erat agendum, q
magis muralibus tormentis indigebat, quibus prorr
muri viam irrumpentibus in urbem sternerent. Se
praeter alia belli incommoda, maxime Turcas terr
tristis cum Germanis commissae navalis pugnae eve
tus. Praeerat regiae classi, quae in statione apud P
sonium erat, urbem Vienna unius diei iter distante
Volfgangus Oderus, Germanus, vir inprimis mag
animi, atque industrius. Is cum accepisset, hostiu
naves, tum aliis impedimentis, tum tormentis mur
libus et commeatibus onustas adventare, Poson
egressus, secundo flumine in advenientes infestus i
vehitur, qui cum aegre simul belli munia, simul na
tica ministeria obire, atque explicare naves
pugnam possent, adverso flumine, quominus nav
consisterent, cursu quam concitatissimo obsisten
quod accidere necesse fuit, in fugam coniecti, facil
victoriam et laetam hosti relinquunt, multis e su
interfectis, captis multis. E navibus submersae ali
quibus tormenta vehebantur, perforatae aliae, capt

nonnullae, cum opulenta omnis generis praeda. Ita bene gesta re Germani Posonium, laeti victoria, redierunt; omnium quidem consensu adepti primam laudem perfecti ex sententia belli, magnam gratiam a Ferdinando Rege inierunt. Nemini enim dubium erat, quin subvectis ad exercitum muralibus tormentis, ac victa propugnatorum virtute, Solimanus pertinaci certamine esset urbem in potestatem redacturus. Turcarum aliae naves, quae a proelio superfuerunt, pontibus dolabris intercisis, quibus accessus Viennam patebat, totam eam murorum partem, quam Danubius alluit, ita arcte obsessam habebant, ut neque egrediendi cuiquam, neque ingrediendi facultatem, sine certo vitae discrimine relinquerent. Nam ut maxime Germani erumpere, et pauci cum multis conserere manum auderent, ita equites turmis confertis, pedites densatis ordinibus, ut non facile barbari, quantumvis firmo ac stabili gradu obnixi agmen perrumpere, aut proturbare possent: vincebat tamen hostium infinita multitudo, qui sua caede et vulneribus fessos pedem referre et sese recipere in urbem cogebant. Quorum virtutis Solimanus admirator, captum equestri pugna Germanum Volfgangum nomine, qui vexillum ferebat, et ad se adductum, dimisit virtutis et honoris ergo donatum oloserica veste intertexta auro, cum eundem iussisset obsessos ad deditionem adhortari, ubi inducerent animum parere salutaria monenti, spe facta incolumitatis, et multo honestioris fortunae adeo; malle enim se viros fortes et rei militaris peritos conservare, cuiusmodi illos esse animadverteret non sine magna suae gratiae accessione, quam ultima perpessos, aut foedae servituti mancipari, aut mactari ferro, quorum alterum necessario esset victis subeundum.

Sed ille salutis magis suae, quam eius mandatorum memor, cuius illam beneficio redemptam haberet, fa cile passus esset ea animo exolescere, quae se poss praestare aut diffideret, aut, etiam si posset, nolle In eo quidem Solimano visus gratificari, praedicand illius magnificentia et liberalitate, qua se captivu habuisset; quod tamen agebat magis ingenio indu gens, cum totum hoc arbitraretur in domesticam lau dem vertere, quam caussa ei gratificandi, cui se tu tum debere praedicabat. Totum exinde tempus, quo Solimanus in obsidione fuit, cum et illi oppugnan moenia spes omnis praecisa esset, et non audere obsessi eruptione pugnare, quibus multitudine hostiu circumfusis, difficilis receptus per insignia accepti detrimenta ad suos relinqueretur, ita traductum es ut pro muris stantes urbem defenderent, etiamsi v tere forma exstructi, et parum adversus vim oppu nantium muniti essent, nullis interiectis propugnacul et foras prominentibus, unde a latere peti hostis po set, ut una spes defendendi in propugnatorum virtu et constantia posita esset; quod illis diuturnum tame non fuit, ita enim belli ratio admirabili casu distri buta erat, ut neque Turca muralia tormenta, qui h maxime indigebat, et multa obsessi haberent, qua nulli usui essent, contra minoribus hostes abundaren quorum erat eximius usus ad obsessos a murorum propugnatione arcendos, et indigerent illi, quibus cu e propinquo loco omni missilium genere peterentu deessent minora, quae e superiore loco emissis gl bis, a muris subeuntes propulsarent. Ita aequat utrimque ratione belli, cum neutri quid deesset alter ignorarent, una maxime cura sollicitum Solimani an mum angebat saevitia iam appetentis hyemis, anni r

tio minime idonea ad rem gerendam, tantam praesertim hominum multitudinem ad bellum trahenti. Ergo reditum ad rem frustra in principio tentatam, et rursus coepti cuniculi agi, soli naturam patientem operis, pluribus partibus nactis, quae spem faceret opus aggressis, haud irritum laborem futurum, quae res minime Germanos fefellit, certa adductos coniectura, ubi minus procederet aperta vis, fore ut callidus hostis ad dolos et insidias converteret animum. Itaque ubi, per regionis peritos explorato soli ingenio, rem hostem eam tentaturum apparebat, qua ligonibus excissa humus minime reluctatura opus agentibus videbatur, non solum ad pervulgatam rationem recurrebant solo aurem admovendi, unde sonitum ferro effodientium captarent, sed alios ipsi excogitaverant, periculo imminentis exitii, cuius metu pavidi atque inertes homines hebetantur, excitante virorum fortium animos ad periculum omni ratione propulsandum. Nam et paropsides aqua refertas ita humi collocabant, ut quantumvis leviter commota aqua, nulla extrinsecus admota vi, indicio esset, subter cuniculos agi, iis qui in opere erant, dum foderet humum, crebro ferramentorum pulsu, motum terrae cientibus. Iam et militaria tympana, altera parte in solum obversa, ubi eorum intentissima cutis sonitum ederet, id quod accidere necesse erat, humo ex eorum repercussu subsiliente, qui in cuniculis fodiebant, quin infra opus fieret omnem dubitationem tollebat. Neque minus acri cura, qua muri labare, et minari ruinam viderentur, occurrebant, tigna praevalida, quae pro fultura essent, ita muro interiori applicantes, ut si vehementius quassatus murus convelleretur, in exteriorem partem procideret, subita ruina Turcas moenibus succedentes oppressurus. Id quod

non ita multo post usu venit; cuniculis enim ad eam portam actis, quam Carinthiam appellant, cum magna vi erumpens ignis muri partem foeda ruina stravisset, scandentes hostes, qua ruderum tumulus oppidum vadentibus aperiebat, Germani densato agmine, praelongis hastis propellunt, ac postremo pertinacius inferentem gradum facile de loco superiore deturbant, non se hostium virtute, sed loci iniquitate victos clamantes. Neque magis barbaris ex sententia audacia cessit, per proruti muri ruinam aditum ad D. Clarae molientibus. Eo quidem illis iniquius certamen, quo per aperti muri angustiorem aditum ingressus patebat. Itaque cum multis eodem tempore esset irrumpendum, aliis praecurrere aliis..... adnitentibus, expediti Germani, ex omnium delectu militiae usu et animi robore praestantes, impeditos loci angustiis excipiebant, tanta cum caede, ut postremo vincente omnia metu, non praefectorum adhortationibus, non clamoribus, non vulneribus, quae referentibus pedem ab infestis suis inferebantur, invitos instaurare pugnam cogentibus, quominus praecipites ruerent, moverentur, malle suorum ferro interire, quam hostium clamantes. Ita Iovius territos ait, genti insolito genere armorum, praelongis gladiis et vastae magnitudinis, quibus Germani in proeliis utuntur, quod quidem non aeque semper probari potest. In campo enim et patentibus locis aliquid usus habeant, cum utraque manu arrepti, cuius rei caussa prolixo capulo aptantur, nisi per amplum spatium rotent, aegre administrari in hostem possint. In locorum angustiis, et ubi est confertim et densa acie pugnandum, minime habiles, non prius hosti infesti, quam suis incommodi habentur. Tam tristi pugnae eventu minime territus Solimanus, advocatos duces,

adeo tristi atque acerba oratione accepit, ut vitae poeniteret, quam malo fato crederent ad tantum accipiendum dedecus, contumeliae insolentibus productiorem contigisse. Eo, inquit, Turcarum res reciderunt, gentis ad hunc diem armis invictae, ut in capta urbe versantes pati potuerint partam victoriam sibi erripi e manu. Qui vos metus, qui pavor, quae trepidatio, quae formido, a solita virtute avocavit? Quis subitus casus vestra arma hebetavit, hostium acuit, lassavit atque accidit vestras, corroboravit hostium vires? Tanta infamiae macula a nobis inusta Turcarum nomini, cuius splendore perstringi hostium aciem, victa concidere armatorum agmina, coelum ruere, fatiscere terram oportebat, poterit vobis in posterum vita iucunda esse; non optanda, non ultro appetanda mors, quibus laus, gloria, nomen, fama, vitae instar debuit esse? Enimvero desinite vivere, qui adhuc ignoratis, qui sit verae vitae fructus, esse homines, qui viri esse non potestis, imbellis turba ad lanam et colum in mulierum coetum ableganda. Cras est animus experiri, num quid vobis pristinae virtutis reliquum fecerit hesterna clades, an cum studio gloriae Turcae innato sit in vobis spes vitae exstincta, quae (nisi virtute statuitis vobis admissum dedecus obliterandum) quo productior, eo miserabilior et invisa magis vos manet. Ite alacres, et, receptis a pavore animis, corpora curate, cras capta urbe victores redituri in castra, aut honestam mortem, ut Turcas decet priscae maiorum virtutis memores, in murorum ruinis contra armatum hostem stantes obituri. Valuit usque Solimani oratio, ut ultimum virtutis specimen edituri, postridie eius diei, quo die male gesta res est, pugnam reintegrarent, adeo incensis animis ad delendam ignominiam,

ut omnia prius pugnantibus defuisse, quam vi
unam modo obstitisse naturam rerum, quae non p
quae vires hominum superant tentari, quominus v
tirentur, appareret. Instantes atque intrepidos e
pilae e maioribus tormentis, quae idoneis locis a C
nis collocata erant, obfirmatos hostium animos ad
omnia alia belli incommoda, id quod necesse fui
gerunt. Ita frustra ducibus pugnam instaurare
propugnantes obvertera ora iubentibus, reiecti
ris magna cum caede terga verterunt, non pri
victos fatentes. quam cum vita devota suorum
bus hostium sanguinem Turcarum nomini cons
rent. In Viennensis urbis propugnatione Nic
Zrinius Comes, tum magnae spei atque indolis
editis insignibus fortitudinis documentis, quae
iam ab aliis literis mandata, tyrocinium posuit
gnus, cuius tam praeclara militiae auspicia, a
illustris vitae occasus, quam pro patriae salute,
mortalis gloriae pretium, eruptione ad Zigethur
hostem pugnans magnae animae prodigus effudit.
exitus Viennensis obsidionis, quem si quis recte
mo aestimare velit, facile intelligat, quam non mag
molis sit incumbentem etiam maximis viribus in C
stiani nominis exscidium communem hostem a nos
rum iugulis, quo habet intenta tela, avertere. Q
quidem non esset desperandum, ubi regum conver
vires in adeo gloriosam expeditionem conspiranti
ab intestinis bellis, quas aequum esset salutares s
exitio communi hosti esse, tollendae e terrarum o
tam immani pesti intenderentur. Cuius rei omitten
si quis caussam quaerat, eam, quando aliunde non
paret, facile a deo immortali agnoscat, ultore huma
rum scelerum, qui a cunctantibus in pietatis offi

persoluendo expetat poenas. Quas quidem gravissimas luunt, dum per auctas barbarorum vires, eorum dedecus atque infamiam, deus praecipites in mutuam perniciem actos, patitur a recta officii ratione evagari. Ergo Solimanus soluta obsidione, cum integrum mensem nequidquam omnia expertus tentasset, quibus spes esset redigi in potestatem urbem posse, re infecta discessit. Nam alia quae Iovius addidit, non lubet referre, missos a Solimano captivos et veste et pecunia donatos, qui, collaudatis Viennensibus, magna perfunctis virtute defendenda urbe, significarent, non se ullo in illos odio sed unius Ferdinandi Regis, in cuius exitium tantis instructum copiis obsessum Viennam venisset, perpetuum hostem, quoad vires animum consequerentur, terra marique bello persecuturus. Cum haec autem minime similia vero, tum illa plane falsa, quae de Strigoniensi et Perinio affert, nisi interposita Solimani auctoritate, Ioannem Regem non fuisse passurum sibi persuaderi, ut veterum iniuriarum memoria obliterata, secum in gratiam redirent. Nam quemadmodum cum Strigoniensi acta res sit, iam docuimus; cetera suo loco mox commemorabuntur. Praemissis inde Solimanus, qui Danubium inter Pestum et Budam ponte iungerent, cum omnibus copiis Budam reversus, in arcem ingreditur. Inde cum imperasset, ut Ioannes et Vngari principes advocarentur, sacrum diadema, et cetera regni insignia, quibus de more creati reges inaugurari solent, imponi in mensa iubet. Mox, astantibus ex interioribus amicis, quos Visirios vocant, primae hominibus auctoritatis, et aliis nonnullis, ita Ioannem allocutus fertur: Perfuncti, dei immortalis beneficio, iusti Regis munere, quem maxime decet oppressos reges fortunae iniuria atque e loco excelso detur-

batos sublevare, quod reliquum est, praeclare inchoato operi imponimus optatum finem, et te semel acceptum in fidem afflictis tuis rebus amicum fratrem appellatum, quem verborum honorem iis impertimus, quos instae preces, et illustria in nos merita nobis commendarunt; te Vngaris iam eorum suffragiis legitimum creatum Regem constituimus, potestati tuae tradentes regiam urbem, sedem imperii, arcem, urbes, et quaecunque in ditione regni Vngarici habentur, haud dubia spe, quamdiu vixeris, tuae virtutis, benignitatis, memorem nostri beneficii, posterosque tuos grati animi in nos posterosque nostros officia omnia persoluturos. Hic diadema regni insigne, hic sceptrum et cetera regia ornamenta, quae ita tibi tradimus, ut in his aeque insignia nostrae iustitiae, fidei, constantiae monumenta adnoscas, et nostrorum virtutis memoriam colas, quorum sanguine tibi recuperatum regnum, nostri iuris, beneficiique est factum. His dictis, ad Vngaros proceres, qui aderant, conversus: Ad vos quod attinet Vngari principes, inquit, nostra erit brevis oratio. Regem vobis tradimus, non prius nobis, quam vobis probatum, cui, ut eum honorem habeatis, quem postulat regii nominis maiestas. ad ceteras caussas, quae vos impulerunt ut illi regnum statueretis vobis mandandum, nostrum patrocinium accedit; quod quanti vobis faciundum sit, satis multis vobis virtutis nostrae et felicitatis documentis ostendimus, quibus, ne nobis semper ad vim et arma sit confugiendum, sumus contenti futuri. Ac ne de vestra constantia et fide dubitemus, vestra virtus facit, qua fretos tanta exorta tempestatis procella non potuit ab officio et religione vestra dimovere. Ita enim eam in vos, liberosque vestros importuna Germano-

rum ambitione excitavit, ut desertum Regem et proditum e regni vertice in infimum fortunae locum deturbarit. Quae quamquam ita sint, pro meo iure tamen, quod sanctum vobis atque inviolatum coli par est, vobis impero, et per vos aliis, cuiuscumque illi ordinis et fortunae in regno Vngariae censeantur, ut, quod vobis regnoque Vngariae universo felix faustumque sit, eo loco Regem colatis, quo iura divina atque humana omnia, et iurisiurandi fides, qua vos illi obstrinxistis, requirit. Neque vereor tamen, ne vestra constantia et fides, quam egregiam in Regem vestrum, illius adversis rebus ostendistis, nunc cum est vobis, patriae, regno, nostra virtute et felicitate restitutus, magna quidem cum vestra infamia, sed multo cum iactura et pernicie maiore a vobis requiratur. Certe nihil vobis credimus esse certius, quam eam caussam, quam semel nobis recepimus tuendam, quoad vires et vita supersit, nos adversus vim omnem atque impetum defensuros. Hanc Solimani orationem ita Ioannes excepisse fertur, ut nemo non videret, eum magis praesenti suae fortunae, quam ingenio obsecutum. Pro imperatoris divino in se beneficio propterea nolle se gratiis agendis prolixiorem esse, quod quas posset, nollet, cum multo infra illius meritum essent agere; non posset, quas deberet, et vellet. Ea quidem religione ac pietate animi, qua divina numina, secundum deum immortalem homines venerarentur, prosecutum se auctorem salutis, iniuriarum ultorem, unum in terris, cui non vitam solum, sed vitae etiam ornamenta deberet, quae, qui esset adeptus regni honorem, desiderare simul, et vivere haud posset. Pro cuiusque merito regna donare, quibus visum esset eripere, innocentes atque innoxios vi atque armis ab iniuria

tueri, expetere a tyrannis et violentis poenas, dei i
mortalis unius esse, et cuius inter homines ipse t
tum esse munus voluisset; eorum quidem se mo
qui cum alieno aere laborarent, et non essent solu
do, ad creditoris liberalitatem confugerent, et fate
se impares, precibus obtinerent, ut e tabulis induct
nomen pro exacto et soluto esset; ad illius clem
tiam se confugere, et ut pateretur in referenda gra
sibi voluntatem et studium animi pro gratiae relatio
esse, etiam atque etiam orare. Cuius essent tan
opes, ut in bene merendo spem tolleret referendae g
tiae, eum non in aliorum sed in sua conscientia re
factorum praemium positum habere. Hanc propri
esse Solimani laudem, hoc est regum atque impera
rum omnium maximi, optimi, potentissimi (qua lau
raro deus natum hominem impertisset), ut cum ur
mereri de omnibus praeclare posset, nemo esset
haberet in quo de illo bene mereretur, quantum
omnibus fortunae bonis, animi, ingenii afflueret. I
pridem se animo, tum ex animi sententia concep
verbis, se illis vitam, et quaecumque in vita iucun
essent, caput, fortunas devovere*).

His peractis, Solimanus Buda motis castris,
Thraciam exercitum reduxit, ita in praesentia libe
tis metu populorum animis, ut non tantum volupta
ex barbarorum discessu, quantum moeroris e suor
desiderio sentirent, quos belli vis hausisset, part
interfectos ferro, partim in foedam servitutem ab
ctos. Sexaginta quidem captivoram millia, ait Iovi
discedentem Solimanum secuta, tanto quidem

*) A Bécsi Codexben itt végződik a VIII-dik, s utána kezdi
a IX-dik könyv T. F

nium luctu, ut rara fuerit domus in Ferdinandi ditione, quo belli vis pervasisset, tantae calamitatis expers. Praeter aliam iacturam sacrum diadema amissum lugebant, cuius recuperandi caussa, magnae concertationes et discidia, bellaque adeo inter superiores reges, et Fridericum Caesarem gesta essent. Atque quando ad hunc locum ventum est, paucis placet, quemadmodum in manus Solimani pervenerit, commemorare. Erat diadema in Petri Perinii potestate, adhuc ante Ioannem creatum regem, illius, ut alibi diximus, eo asservando collegam, qui honos semper summis hominibus haberi consueverat. Facile vero Ioannes apud eum regno potitus, cum reliquis regiis ornamentis manere passus erat, amicissimum sibi hominem, ut credebat, et de cuius fide minime esset dubitandum, quae illum mox opinio fefellit. Nam simulatque de Ioannis rebus desperari est coeptum, ad Ferdinandum multis illius promissis et muneribus delinitus, cum regni corona, quo defectio esset speciosior, transiit. Inde variante Regis fortuna, cum iam Sirmium Solimanum pervenisse, et Budam cum exercitu numerosissimo contendere Perinius audisset: desperata venia, in currubus regiis, cum liberis, pretiosis quibusque rebus impositis, ad arcem quam Soklos vocant, profectus, inde Sarospatak petiturus, in proximum pagum divertit Kaydacz nomine, ad flumen Sarviz situm, quo in loco pernoctare constituerat. Cuius rei famam cum Ioannes Szereczen accepisset, Ioannis Regis necessarius, assumpta peditum atque equitum manu, pagum invadit, ac Perinium nihil minus exspectantem cum suis omnibus, uxore, liberis, pecunia, argento, et pretiosa supellectili, regiisque ornamentis omnibus captum ad Ioannem Banfium adducendum, et cum

cura asservandum curavit, de cuius constanti in Ios
nem fide supra mentionem fecimus. Is illum captu
ad Sopronczam, positum in sua ditione oppidu
transmisit, unde mox ad Solimanum castra ad Mol
cium habentem, cum regiis insignibus, uxore, et lil
ris est adductus. Ita Solimanus cum corona regio
natu potitus, omnia discessurus Ioanni cum fide tra
derat, Perinium inprimis, cuius aut perdendi aut c
servandi arbitrium penes illum unum esse voluit. C
quidem nondum victa clementia insita animo tot i
mici iniuriis, molliter castigatum, cum liberis et ux
ac domesticis copiis missum fecit. Quo tanto illius l
neficio haud placatus, cum diffisus animi conscient
non sibi vere Ioannis animum redditum, et memorem
tius futurum alienae iniuriae, quam suae fidei pu
ret: ad Solimanum nuncios cum mandatis misit, q
rum summa erat, ut, pro sua in victos clementia, pa
retur a se acceptum in fidem, ab inimico rege, ce
de cuius in se suosque animo intelligeret sibi e
semper dubitandum, liberum agere. Quidquid c
suevissent illius ditionis homines pendere tributi
mine, in singula capita impositum persoluturum. Q
res frustra tum ab illo tentata, et mox repetita,
rum abfuit, quin illi exitio fuerit. Antequam Buda
limanus moveret, Ludovicum Grittium apud eum r
querat, ut cum Cassono Vaivoda, atque equitum
rei militari praeesset, veritus ne Vngaris in fide Io
nis Regis nutantibus, Ferdinandus aliquid mover
quem minime quieturum apparebat, gloria insigni
tentem, a Viennae moenibus reiecti hostis. Probab
quidem videbatur tanta virtute et constantia a G
manis defensam urbem, populorum studia commovis
facile semper quo secunda aspiraret fortunae a

propendentia. His adiunxerat navales copias, atque expedita navigia nonnulla, quae Vngari Nasadas vocant, quibus Numin Vaivodam iusserat praeesse. Hoc praesidio Ioannes adversus subitos casus munitus, quae una cura illi prima erat, ad res componendas, et concilianda sibi adversariorum studia animum convertit, rem, ut docuit eventus, inprimis difficilem factu: natura in magnis ingeniis ubi semel offenderint extorquente, ut ad ea quae perperam admisere, pertinaciam addant, ne si resipiscant, damnati suo testimonio videantur, quasi levius peccatum sit, iterum, quam semel peccasse, et ad ea quae mala sunt, sit pertinacia accessio quaerenda. Nam indictus conventus, cum, in magna ordinum infrequentia parum recte respublica possit administrari, brevi solutus, animos per hanc occasionem nudavit, magno subito partium discidio orto, cum alii, qui Ferdinando studerent, quasi contumeliae caussa Germani, qui Ioannis studiosi essent, Turcae invidioso nomine appellarentur. Ita iam ante divisum regnum, praeter externa arma, quae tantum pestis in populos invexerat, intestino malo afflictum ruere ad interitum coepit. Inde caedes, incendia, urbium direptiones, et agrorum vastitates, quae non ferendae clades a Turca illatae, multo funestiores illatae a suis acerbioresque videbantur. Erant vero, ut varia hominum genera, ita caussae diversae, quae eorum animos a Ioannis caussa averterent. Multos movebat semel susceptum, numquam intermissum in Ferdinandum studium, Regem optimum et placido ac clementi ingenio, quae laus ne ab hostibus quidem illi poterat negari, alios qui initio dissensionis a Ferdinando defecissent, sive constantia sive pertinacia animi, quam constantiam videri vellent, vitio facile affinis virtutis speciem susci-

piente. Hi omnium maxime infesti, maledicendi ansam arripiebant ab excitatis Turcarum armis in patriae exscidium; quam quidem iusto rectore et rerum moderatore indigentem, cuiusmodi eum sibi finxisset non ob eam caussam dicerent non poscenti ultro obtulisse regnum, ut Turca hostis per speciem eius tuendi, id sibi praedae dari postularet, quod esset unius regno restituti iniustissimum praemium, si vere modo restitutus regno, et non Turcae mancipium, quod numquam esset fando auditum, rex tantus verius factus videri posset. Nulla cuiquam regna tanti videri debere, quantumvis magna atque opulenta, ut non his potior esset laus habenda, quae contemnentem regni honorem patriae caussa sequeretur. Quod porro illius regnum esse, cuius non se prius compotem fore sperarit, quam turpi servitio regis barbari mancipatus se illi simul, suos, patriam proderet? Tantum effundere sanguinis, Vngaros tantam perpeti malorum molem, non pro unius honore, sed pro patriae salute. pro regni finibus propagandis, Christiana republica tuenda debuisse, cuius Solimanum arbitrum, si superis placeat, eius beneficiarius Ioannes Rex, et cliens fecerit illi regno per summum scelus atque iniuriam oblato. Interea Ferdinandus Vienna barbaro hoste propulsato, cum successu elato fiducia atque animi crevissent, intentissima cura suos delectum habere, et commeatus comparare, ac praeter alium belli apparatum, omnis generis tela et tormenta expedire iubet. moliens animo Budensis arcis expugnationem, qua potitus sperabat non magno negotio se amissa recuperaturum. Delectus e regiis ducibus Gulielmus Rogendorfius, vir celebris nominis atque ut iam diximus. in Italicis bellis diu magnam in re militari gloriam

adeptus, penes quem summa imperii esset. Quae omnia cum accurate atque industrie essent administrata, pari celeritate usus Rogendorfius infesto agmine in Vngariam ingreditur, atque populabundus praedari, ac ferro atque igni vastare omnia instituit, cunctis aeque infestus quicumque Ioannis partium studiosi in armis essent. Quibus gerendis dum tempus terit, magna opportunitate amissa, adhuc a bellicis rebus imparatum opprimendi Ioannes cum Grittio communicatis consiliis, urbem firmare Turcarum praesidio, quo militum genere, dubia suorum fide, maxime uti constituerat, muros instaurare, exstruere aggeres, opportunis locis tormenta collocare, militi stationes certas distribuere, duces deligere, commeatus aliaque ad urbis defensionem comparare instituit. Erant tum Budae regii duces, cumprimis rei militaris periti homines, Emericus Cibacus, Gregorius Pestensis, Stephanus Verboecius, Simon Attinaius Litteratus, cuius pridem mentionem fecimus, aliique, quorum erat in bellicis rebus regi perspecta virtus, et maxime probata fides: de quorum consilio ad Turcarum praesidium augendum, Pestanos ex delecta iuventute, qui apti ad arma ferenda erant, in urbem accepit, quorum fideli opera, et strenua, toto bello est usus. Eodem tempore, quo haec Budae ita comparabantur, Paullus Strigoniensis Pontifex, quem secutum Solimanum Viennam diximus, per hostis discessum solutus metu, rursus ad Ferdinandum defecit, sive diffiderat Ioannis animo, sive ita se crederet emendare inconstantiae culpam, qua apud Ferdinandum offenderat. Ergo Ferdinandus * mensis Novembris CIↃ. IↃ. XXX.*)

*) Brutusnál a hónap napja hiányzik. — Vrsinus Velius szerint Roggendorf oct. 31. érkezett Buda alá. T. F.

parum idoneo tempore ad rem gerendam, adductis ad Budam copiis urbem circumsedit, aut vi aut deditione in potestatem, ut sperabat, redacturus. Per eosdem dies Ioannes Thomam Nadasdium, quem captum et a Solimano dimissum redisse in gratiam supra commemoravimus, Ioannem Zerecienum, Franciscum Kapolnaium, et Cassonum Vaivodam, cum Turcarum manu expugnatum Zigethum miserat, positam arcem in Valentini Toeroeki ditione. Quorum copiis cum arcte Ioannes obsessus maxime indigeret: litteras scriptas sua manu, quibus privato annulo sigillum impresserat, per eundem Zermegum, e cuius monumentis haec hausimus, ad regios duces Zigethum misit. Agebat tum Zermegus Albae Regiae apud Stanislaum Praepositum urbis, ut vocant, cui erat negotium datum ut per sibi fidum hominem atque expeditum curaret Zigethum perferendas. His verbis scriptae litterae dicuntur: „Buda obsessa, urbs in nostra est potestate. Festinate. vestrae virtutis et fidei memores." Regii duces, Nadasdius et Zerecienus, lectis litteris, cum quanto in periculo res versaretur cognovissent; Albam Regiam cum Turcarum copiis contendunt, nihil sibi reliqui ad summam celeritatem facientes. Kapolnaius, quae caussa non traditur, collegis discedentibus, ad Germanos transiit. Interea Praepositus Albensis, vir, ut apparet, eximiae in Ioannem fidei, Nadasdium et Zerecienum impense hortatur, ut quantum maxime accelerare possint, ire properent Budam, atque urbem ingredi, et ferre opem Regi obsesso cum suis maturent. Ita illi, et sua sponte incensi, et Albensis adhortationibus, inprimis regiis litteris confirmati, Budam ire cum suorum agmine contendunt. De quorum adventu Rogendorfius cum ab exploratoribus certior factus esset, equitatum

Germanorum atque Vngarorum praemissum ingredi conantes idoneo loco excipere, atque ingressu prohibere iubet. Ita vero erat viribus superior, ut de victoria haud crederet dubitandum; qua potius sperabat et urbem et regni aemulum, cum universis regiis ducibus in Ferdinandi potestatem redacturum. Cuius consilio regii per exploratores cognito, diffisi numero, quo hostes superiores erant, optimo consilio in praesentia omisso incepto, Albam redierunt, tertio postquam inde profecti erant die. Mox Nadasdius sub vesperam urbem ingressus, Praepositum docet, quid sui consilii sit, quod quidem ubi ceteris probari intelligat, Budam sibi aditum vi patefacturum spondet. Erat Blasius Kochius, vir inprimis regionis peritus, qui se tuto Nadasdium cum suis Budam deducturum per notos calles, et devia itinera pollicitus erat, qui cum facile ducibus rationem sui consilii probasset; ex his Nadasdius, antequam rem cum Praeposito conferat, ut mos gentis est, vini poculo hausto, non prius esurum se, ac vinum sumpturum spondet, quam voti damnatus, in Regis complexum veniat: si secus faxit, diris capite defixo. Neque in eo passus est suam fidem requiri, non ita multis postea diebus Blasio duce itineris, una cum Zerecieno, et Cassono Budam, falsis Germanorum custodiis, ingreditur. Quo regiorum successu minime territi hostes, acrius urbis oppugnationi insistentes tribus partibus murum tormentis demoliuntur, priore, qua per vicum Logod erat ad moenia accessus; ad Raskaiorum domum altera; tertia, qua domus Orzaghorum erat sita: quibus locis Germani, ad rem gerendam comparatis animis, spei et fiduciae pleni, a tribus simul locis divisis partibus, urbem per murorum ruinas scandentes adoriuntur. Quem irrumpen-

tium impetum facile propugnatorum virtus et consta
tia disiecit, iis magna cum caede loco excedere, a
terga vertere coactis. Quo cognito Rogendorfius, n
incerta spe proventus, militum numerus imminuer
tur, missa in praesentia oppugnatione, urbem premer
obsidione constituit, sive ipse coniectura suspicatu
sive certior factus ab obsessis, quorum nonnullos i
magno numero verisimile est Ferdinandi rebus stu
duisse, non diuturnam obsidionem futuram, annona i
dies crescente, cuius exiguam facultatem in non ma
gna urbe auctus propugnatorum numerus efficieba
Cum vero alia genera commeatuum, tum frumenta ma
xime defecerant, magno valetudinis incommodo incl
sis, ad equinas carnes, et foeda alia quaeque nece
sariarum rerum penuria, descendentibus; affirmant qu
dam, qui tum in obsessa urbe fuerunt, generosc
equos missos factos pabuli inopia, qui enecti fam
passim per urbis vicos oberrantes moriebantur. Nequ
in urbe modo, sed in regia quoque ultimo malorum
omnium laboratum fame. Missus quidem ad Regem
nobili homine equus esculentis varii generis onustu
ad mensae usum, tanto plausu est acceptus, ut singu
lis, qui munus attulerant, Rex decem aureos Vngari
cos, adiecta veste optimae notae, iusserit numerari, i
magnis rerum angustiis ingens habitum munus. Qua
quamquam ita se haberent: non minus tamen Ger
mani in castris laborabant, adverso anni tempore, e
in magna coeli inclementia vix ferendo frigore iis
qui sub tectis in oppidis hiemarent. Accesserunt per
petui imbres, quibus pertinacius tenentibus, praealt
coeno corruptum solum iuxta hominibus et iumenti
incommodum, ingredientium vestigia non admittebat
ut deteriore conditione, quam obsessi, ii qui obside

bant haberentur. Nam, quo uno malo inclusi vexabantur, famem quoque Germani iam sentiebant, cum lubrica ac coenosa via, ubi aut aquatum aut pabulatum ire oporteret, afflictis in vestigio iumentis vehementi nisu eluctanda vis ingentis coeni esset, ita haerente pede tenaci gressu, ut neque ulterius progredi, et in castra regredi aegre limine progressis liceret. Quibus incommodis Germanis conflictatis, quo soluere opinione maturius obsidionem cogerentur, accessit pestilentiae lues, qua promiscue multi mortalium desiderabantur, nemine opem implorantibus ferente, quam negare iis infensum numen credebant. Interea Rex Grittiusque, quos minime fugiebant, quae in hostium castris gererentur, adiuvandam proclinatam rem consilio, non solum armis arbitrati, crebris litteris nunciisque sollicitare Mahemetem Bekum non desistebant, ut iam ultima perpessis ferre opem ne cunctaretur: non esse dubitandum, quin ubi apud hostes percrebresceret, iam sua sponte ingenti mole malorum territos, eum cum suis copiis adventare, multis detrimentis acceptis, essent re infecta discessuri. Eodem tempore Ioannes Banfius quaquaversum missis conquisitoribus, non contemnendam militum manum, partim ex agrestium, partim e nobilium delectu coegerat, qui omnes voluntarii liberam militiam exercebant, obsesso Regi subsidio iturus. Quem cum Ioannes cognovisset, cum Grittio communicato consilio, ubi Banfium propius adventare et Mahemetem audivit, cum suis urbe egressus, Germanorum castra adoriri domesticis fretus viribus constituit, ipse per se par iis expugnandis, ut etiam externa auxilia abessent. Nam et vegetioribus viribus inclusi tectis domorum et adversus hiemis iniuriam vaporariis gentis more foveban-

tur, tum equorum esu famem toleraverant, cum qu
dem corporum robore superiores Germanis, ne inferi
res quidem virtute, numero IIX mill. fere veteran
rum essent. Quarum rerum fama accepta Germa
omissis in praesentia ferocioribus consiliis, quibus e
plicandis nullus exitus expediebatur, discedere co
stituerunt, non se hostium virtute, sed temporum i
iuria, suorum inprimis, a quibus foede se destitut
querebantur, victos praedicantes. Ita obsidionis me
Rex per Germanorum profectionem liberatus, quo
instituerat, ad regni statum tot belli cladibus quass
tum, per conciliatam inter populos concordiam co
stabiliendum animum convertit. Eodem tempore Pau
lus et Blasius Artandii fratres, quos in fide nutant
Rex comprehendendos et asservandos diligenti cust
dia curaverat, inconsulto Rege, a Grittio iussi capi
plecti, magna quidem Vngarorum offensione, qui i
paucorum morte nobilium hominum, reipublicae i
teritum, et commune patriae fatum agnoscebant, pa
Ioannis Regis invidia, suopte quidem ingenio indu
gentis suis et a caede atque a sanguine abhorrenti
sed quem illectum plausibili regni nomine, quo null
tetrior servitus, et dirior regnanti esset, suam et su
rum libertatem addixisse barbaro regi, in omniu
exitium imminenti, de cuius sententia haec agi crede
bantur, appareret. Nemo quidem dubitabat, quin am
bienti Vngarorum studia clementiae opinione, nihi
magis, quam fama crudelitatis esset declinanda. Qua
qui poterat vitari, cum, eo invito et repugnante, quo
servientis non regnantis indicium esset, de suis sup
plicium sumptum homines intelligerent. Verisimil
est eo esse descensum, ne e nobilitate alii, Regis ni
mia facilitate atque indulgentia subnixi, sperarent in

posterum defectionem impune fore, cum iis levis castigatio verborum pro poena fuisset, si regni legibus moribusque esset standum, capitalem promeritis. Aliud vero praeter hoc incommodum accedebat, quo magis spe conciliandorum sibi Vngarorum excideret; qui in Ferdinandum uno nomine essent propensiores, quod vere rex et sui iuris in constituenda poena aut praemio nullius aut gratiam respiceret, aut offensionem vereretur. Nam, ut minus illi Ioannes concederet voluntate atque animi studio; facultate assequendi quod vellet vincebatur, Solimani imperio ita addictus, cuius beneficio regnabat, ut non temere in quemquam auderet pro merito animadvertere, sive male de se, sive praeclare esset meritus: cum omnia soluta Ferdinando essent; nemine quominus, ut esset visum, in suis aut severitatis monumenta, aut clementiae constitueret, prohibente. Omnium vero maxime illius spei obstabat multorum e principibus sive ex honoris aemulatione, sive ex Ferdinandi studio, cui per hanc rationem se gratificari sperabant, susceptum pertinax odium in eum, cuius clementia diffidebant caussa diffisi; sed multo magis unius Perinii superba contumacia, quem in potestate sua positum, nulla significatione placati animi, nulla clementiae ita potuerat delinire, ut animum induceret, eum regem agnoscere, et quidem quod odii inexpiabilis argumentum haberet, sua maxime suffragatione regnum adeptum: Ita vero, cum Solimano egerat de se exsoluendo ab illius imperio, ut nullam conditionem, qua se illi obstringeret, re impetrata, recusaret, cuius rei a nobis supra mentio facta est. Hoc vero ne videretur postulare Ioannis odio, cum eo Ferdinandum iungebat, pollicitus neutri contra alterum auxilio futurum; quod illi tamen, sive per alias

caussas, sive per ingenii mobilitatem, cuius impotens erat, non licuit. Inter ceteros populos, qui acrius a Ferdinandi partibus stabant, Slavi habebantur, a quibus Illyrii Mediterranea pars, quae Vngaris regibus paret, Slavonia creditur appellari. Et principes quidem variis artibus Ferdinando conciliati, plebem facile in officio continebant, cuius... sensim exolescente veterum Vngarorum regum gloria, novi Regis gratiam respicerent, nobilitate, potentia, opibus et multarum gentium imperio florentis. Augebat hominum studia innocentiae et iustitiae laus, quas quidem virtutes vere insitas animo, et perpetuo studio excultas, populi clementi ac miti imperio habiti laudibus in coelum ferebant. Omnium vero maxime erat in hominum ore, quod consentiente fama iam ad gentes omnes pervaserat magna cum gloria defensa Viennensis urbs, et Solimanus tantus hostis foede e regni finibus exturbatus. Quae omnia per se laudanda, multo magis plausibilia reddebant iidem Ioannis inimici; qui, efferatis odio animis, quantum Ferdinando tribuerent, tantum detrahere se de illius laudibus rebantur, invidiae maxime initi cum Turca foederis odium praetexentes. Interea Ioannes, ut superioris fortunae memor, et cuius illa gratia erat perfunctus, de Grittio honestando insigni honoris titulo, quem primum salutis suae auctorem agnoscebat, agere instituit, cum ipse sua sponte tum monente maxime Laskio, cuius illi opera erat conciliatus. Id autem ita erat agendum, ut in habendo illi honore, Regis maiestas ne imminueretur, id quod videbatur futurum, ubi illi oblatum titulum potestas aequaret, quae non poterat exigua ab paullo illustriore titulo honoris proficisci. Ergo cum Regi plane constitutum esset in optime de se meritum hominem grat

animi significationem aliquam dare, neque facilis ratio explicandi consilii ostenderetur, ne inconsultis suis, temere acta res in invidiam verteret, placuit de eo in suorum frequenti consilio referre. Erant qui maxime Grittio faverent Verboecius et Laskius, atque is quidem, cuius in eo praecipue partes videbantur: Eius enim precibus, ut suo loco diximus, Grittius exoratus susceperat Regis caussam apud Solimanum per Ebraimum agendam, qui tum supremum gratiae locum obtinebat, virum minime malum et suo ingenio in nostros propensum, quorum sacra occulte colere, veteris religionis memor quam a primis annis imbiberat, credebatur. Ita cum horum sententia esset, ut cum Gubernatoris titulo a Rege summae rerum praeficeretur, alii ob eandem caussam quam diximus, dissuadebant, cum negarent cuiquam tradi munus posse, sine insigni Regis offensione, cuius dignitatis aequum esset inprimis rátionem haberi. Et vero contumeliosum regio nomini, et non ferendum videbatur, annum iam quinquagesimum natum, vegetis animi et corporis viribus, cum sapientiae maxime commendatione, praeter alias regias virtutes, ad regnum pervenisset, tamquam imparem sustinendo regio muneri statuere cuiusquam arbitrio atque imperio regendum, cum regendus non videretur. Speciosum tutoris et Gubernatoris nomen, aut si quo alio nomine appellari placeret, quod eius iuris cognitionisque esset, cum illud necessarium redderet regis aut aetas, aut imbecillitas, quod accidere haud raro consuevisset. Neque vero in praesentia de eo homine agi, qui titulotenus honestatus induceret animum potestate muneris carere; neque de eo rege adeo, qui aptior insignibus regiis gestandis, quam administrandis rebus, contentus regis nomine, aequo ani-

mo regium munus ab alio administrari, extero prae sertim homine, pateretur. Nam ne Vngaris quidei hoc honestum futurum, ut regem ferant, cui qua puero, aut mente moto, sit custos, cuius prudentia consilio regatur, et tutor apponendus. Quae quan quam, ut erant, permagni facienda viderentur, vic tamen apud Regem ratio, ut tempori, quando hoc prae sentes rerum angustiae extorquerent, statueret se viendum, nondum regni rebus ita constitutis, ut Sol mani maiestas in gratiosissimo apud illum homine, pe negatum honoris titulum esset minuenda: quid enim Carolus Caesar iam constitutis Italiae rebus, qua avidum gloriae animum a gerendo sacro bello ave tissent, a fratre exoratus, cui deesse haud posset, i Vngariam transferret arma? Quam infestus hostis So limanus, quam amicus constans esset, iam pridem pe riculum factum, ne quid sibi temere committendum Vn gari existimarent, qua re lacessitus, non iam pro Ioan nis regno, ut adhuc fecisset, sed pro Turcarum impe rio adversus hostem potentissimum gereret bellum In hanc sententiam tutiorem illam quidem, quam spe ciosam, ut credebant, sed cuiusmodi, ea tempora postu labant, Laskio maxime et Verboecio adnitente discee sum est, magna cum eorum offensione, qui contrariam sententiam tuebantur. Parvi enim referre credeban prudentes homines, et constantes tuendo patriae iure utrum ita Ioannes regnaret, an privatus ageret, exclu sus regno: certe videri mitius malum, privatum inco lumi dignitate, et patriis fortunis, quam regem ser vire. Quod videbatur vix Ioannes effugere posse, ub ad Gritti nutum, superbi hominis cum suo ingenio tum fortunae indulgentia, se circumagi pateretur. It cum regium diploma, principum manu signisque ob

signari oporteret, nonnulli suae constantiae magis, quam rerum praesentium memores, in his Ioannes Statilius Transilvanorum pontifex, Albae Iuliae Praepositus, Thomas Nadasdius et Simon Attinaius, suis signis, maxime ab eo aversi, se obsignaturos negarunt. Quae eorum constantia magnam postea in illos offensionem apud Grittium concitavit. His rebus ad hunc modum constitutis, Ioannes Rex Varadinum, Grittius in Thraciam, Constantinopolim abiit. Non ita multo post (per quem interpretem non traditur) inter duos reges pactae induciae. Quo quidem tempore cum de Strigonio, propter Archiepiscopi postremam defectionem, controversia incidisset, delectis arbitris Poloniae Regis et Ducis Saxoniae legatis, qui de eo, ut visum esset, ex sua fide statuerent, iudicium, urbe apud eos sequestri nomine deposita, permissum est. Eius rei procurandae caussa, a Ioanne Strigonium missi Praepositus Albensis, et Bernardus Baxaius, a Ferdinando Franciscus Revaius, qui tum in Ferdinandi partibus Palatini munus administrabat, et Emericus Nagius. Ibidem iussi cognoscere de iis, quae adversus induciarum foedus admissa arguerentur, facta ab utroque rege potestate, pro sua aequitate et fide in criminis convictos animadvertendi. In magna quidem licentia armorum, quae sequi fere graviora bella solet, cum alii avidi praedae, in diversis regni partibus, tum Ladislaus More, quatuor nobiles Vngariae comitatus, Albensem, Simigiensem (olim Sirmius erat, cum aliorum fructuum, tum vini generosi ferax regio), Tolnensem, et Vesprimiensem, hostiliter obvia quaeque vastando et depopulando, exurebat, omnibus aeque infestus, qui non sibi tantam belli cladem ea pecuniae vi, quam ipse imperasset, redimendam statue-

ret. Et in hunc pariter et in alios, qui neutri regu addicti liberam militiam dicerent se profiteri, permi sum Ioanni de quatuor virûm sententia, ut sumeret a ma. Qua sibi concessa facultate, Laskium cum Vng rorum et Turcarum copiis ad Ladislaum bello pers quendum mittit, iussum in Palota, arce suae ditioni inclusum obsidere, quo eum concessisse imparem pu nando audierat. Verisimile quidem erat, qua sper bat se tutum futurum, in ditionis suae oppidum, a ceptis nunciis de Laskii adventu, sese recepisse. Cu his mandatis Laskius profectus, adductis ad Palota copiis Ladislaum More circumsedit, non prius, qua in potestatem redactum Ioanni traderet obsidione soluturus. Quam illius spem Vngari solertia faci frustrata est. Cum desperaret se diu obsidionem tol rare, noctem idoneam per interlunii tempus ad fuga tegendam nactus, e muris demissus profugit. Neque o id tamen Laskius ab obsidione discessit, evertendar arcem, certum sceleratorum hominum receptum, atqu a solo excidendum, quo exemplo ceteri a latrocinand licentia deterrerentur, arbitratus. Itaque accersitis vicinis montibus, qui in fodinis opus ad metalla faci bant, testudinibus tectos succedere per noctis tempu ad moenia, et subruere murum a fundamentis iube Neque spem ducis consilii exitus fefellit. Brevi validi ictibus ab imo murus quassatus, cum eodem tempor incensas faces, ac virgulta sarmentaque iniecissen qua crebra apposita tigna murum fulciebant, subit coorto incendio procidens murus, aditum ad interior arcis patefecit. Ita capta ac direpta inventa opima lu culenta praeda, quae tum Turcas, tum Vngaros mili tes ditavit, multum signati auri, et argenti, multun facti infectique, inprimis pretiosae suppellectilis in

gens vis, quam in magna et divite domo, multorum perpetuum studium, per longum annorum spatium instruxisset. Duo Ladislai filii, quorum alter mas, femina altera, ad Ioannem adducti, quos, quamdiu vixit, in custodia habuit, innocentes patris culpam sua poena expiaturos. His ita ad Palotam gestis, Ferdinandus Rex Baldassarem Banfium, cum equitum et peditum manu in Transilvaniam mittit, quam illi provinciam tradiderat bello administrandam, ita iussum omnibus artibus sibi provincialium animos conciliare, ut qui pertinacius in fide Ioannis manerent, omnibus belli cladibus territos cogeret ad sanitatem redire. Transilvani, per multos annos a Ioanne Rege et prolixe et liberaliter habiti, ut alibi diximus, quamdiu utrum vellent, liceret, non temere credebantur, nisi coacti, et per vim, in Ferdinandi partes concessuri. Adiuvabant sua sponte in Ioannem proclives, eaedem illae caussae, quas supra ostendimus, inprimis invisa Vngaris Germanorum gens, quam cum vicinam non tulissent, haud videbantur in regno Vngariae imperium obtinentem aequo animo perlaturi. Banfius infesto agmine in Transilvaniam ingressus, omnium prius quam mandatorum memor, damnatis mitioribus consiliis, Zatmár et Nemethium oppidum foede direptum subiectis ignibus incendit, noctis tempore, quominus urgenti malo oppidani occurrerent, prohibente. Magna clades sua sponte a quovis illata quantumvis immiti ac barbaro ingenio, ut foeda tetriorque videretur, is a quo est illata effecit, quem Vngarum, atque inter suos clara familia, neque humanitatis iura, neque patriae caritas, neque sanguinis cognatio a scelere retardavit. Magna vis mortalium incendio absumpta, contrario alii malo interiere, cum impeditae matres, quae infantes pueros

aut in ulnis aut in humeris gestabant, viri varii ger
ris suppellectili onusti, quaeque cuique carissima fla
mis erepta asportare licuisset, minus apti flumini t
nando haberentur, qui omnes in transitu amnis Zam
qui ea oppida interfluit, immersi interierunt. Ag
bat tum Ioannes Varadini, intentus componen
Transilvaniae rebus: quo simulatque nuncii all
sunt de Zatmariensium clade, indignatus tantum a s
infortunium Zathmarienses perpessos, Gothardum K
in re militari perspectae virtutis hominem, cuius su
meminimus, cum equitum peditumque copiis, quas
structas habebat, occurrere Banfio, et opportunam
casionem pugnandi nactum committere proelium inh
Quo cognito Banfius, non ausus cum Gothardo c
gredi, quem multo superiorem viribus, suos pra
onustos, quam optimam ex direptis oppidis aspor
bant, impares futuros, ubi rem proelio committe
non dubitabat; incepto itinere omisso, retro cum s
retulit signa, templo oppidi Zatmar et fossa et va
munito, ac Matthia Horvato, qui praesidio esset c
delectis militum, relicto. Neque cunctatus Gothard
militem ad Zathmár duxit, cum universo bellico ap
ratu a Banfio relictum praesidium expugnaturus. I
munitiones, quas perpetuo opere ad templum us
ducendas curaverat, oppugnare adortus, dum suos
pugnam fortissime dimicans adhortatur, emisso e
iore tormento globo, letale vulnus in crure acce
Quod quamquam milites cognovissent, minime tar
territi ducis casu, nihil de oppugnationis ardore
mittunt, et munitiones maioribus viribus atque ani
de integro aggressi, quo maiore studio ducis ulcisce
flagrabant, pugnam instaurant, tanta cum hosti
caede, ut pauci superstites cum Horvatho, qui pra

dio praeerat, iam vallo potitis regiis sese dedere sint coacti. Ita Gothardus ex sententia gesta re, ut licuit, curato in praesentia vulnere, Varadinum rediit, quo tempore Rex in venatione erat. Haec mense Augusto gesta. Gothardus, cum vim omnem humani auxili mali vis superasset, ex vulnere interiit, cum aliis, tum Regi inprimis magno sui desiderio relicto. Ferunt, quo die decessit, cervum, quem Rex cicurem in deliciis habebat, cum canum latratu atque hinnitu equorum excitatus, septi parietem transilire, et Regi occurrere redeunti e venatione vellet, frustratum saltu in exstantem parieti palum praeacutum sub ventrem se induisse, atque illico effusis intestinis exenteratum, mortuumque concidisse, quae accessio maioris incommodi, quasi occulte Regi portenderet graviorem imminentem cladem, multorum animos perturbavit. Ita Rex plus aequo commotus, hinc miserabili Zathmariensium casu, hinc ducis iactura, in cuius virtute et fide magnam spem positam habebat, obfirmato adversus adhortationes omnes et consilia animo, captivos suspendendos ad unum omnes, Horvatum praesidii praefectum, palo per sedem affixo, genere supplicii teterrimo atque inusitato mitioribus ingeniis afficiendum, Franciscum Parlagi, a Ladislao et Bartholomaeo fratribus multis precibus fatigatus, ne mortis genere ulterius in miseros saeviret, leviore supplicio, cum aegre exorari potuisset, capite plectendum curavit. Adeo severa animadversione, in eos necessaria, quorum animos nimia indulgentia depravasset, Regi praeter suam consuetudinem fuit utendum, ne per sceleris impunitatem fiducia aucta, maiore cum Vngarorum incommodo, sua graviore culpa et crudelitatis infamia peccarent. Grittius iam dum haec in Vngaria gerebantur, Constanti-

nopolim profectus, de praesenti rerum statu Soli
num docuerat, quem quidem meditantem in Pe
bellum, dare operam oportebat, ne absente se Vi
rorum regnum hostium consiliis armisque opportu
captata hinc occasione Germani everterent. Add
vero ad hanc suspicionem minime e vano haustam
mam, a qua prudentium hominum iudicium non ab
rebat, inter Christianos reges constitutam pa
Thracium bellum excepturum, Carolo Caesare p
ter fratris assiduas preces, quae diu apud illum
turae graves non crederentur, sua sponte huius
riae studio incenso; ut nihil certius haberetur, q
solutum aliis curis omnibus, regnum Vngariae pr
quaque oblata occasione armis repetiturum. Peri
vero esse credebatur, Ioannem Regem bello peti,
que eum, cuius beneficarius Ioannes esset, ut Soli
nus non prius crederet, ad Ioannem, quam ad se il
Vngaris arma pertinere. Nemo autem erat, qui ign
ret, ita a Solimano Ioannem acceptum in fidem
regno restitutum, ut e levissima quaque re arr
ansa (quo nihil erat facilius volenti) regno cum
simul deturbaret. Neque verisimile cuiquam vid
tur, Ioannem Regem, quem per adversos multos
sus et varios iactatum infesta fortuna prudentem
tumque reddidisset, ubi repetenti regnum spe
aliunde sibi auxilia affutura, eo fuisse descensur
ut magna cum invidia a communi hoste opem im
raret: non enim ignorabat fere semper iis accidi
qui ad potentiorem confugerent, ut quem agnoscer
malorum vindicem, et salutis auctorem, suae fortu
arbitrum facerent, nimis ingens praemium in uno
pertae opis, cum necesse esset ea fortuna conten
futuros, quae ab eo, cuius se imperio addixissent, es

praescripta. Neque longius erant exempla petenda: Amurathes, qui huius nominis primus, qui apud Turcas imperavit, disceptantibus duobus fratribus de hereditate imperii, per speciem iuvandi alterum, qui ad eum confugerat, adversus alterum qui superior viribus imperium occupaverat, sumptis armis utrumque viribus destitutum suam praedam fecit, nihilo magis ei aequus, quem sibi defendendum susceperat, quam ei, adversus quem pro altero gesserat bellum, Gallipoli occupata, opportune ad Hellesponti fauces sita urbe, unde posteri sibi ad invadendum Graecorum imperium variis artibus gradum fecerunt. Quale vero Ioannis erat futurum regnum, quod cum possideret Solimani beneficio, intelligeret, cum eo ipso regno (quod domini ius in mancipium esset) se a Solimano possideri? Itaque et Iovius probabilem rationem secutus, dissipatos rumores ait, inter Ferdinandum et Ioannem de rerum compositione agi, neutro eorum abhorrente a pacis consiliis, cum alter apertus Solimani hostis, parum amicus fidus alter, uterque per pacis foedus controversiis sublatis, esset paratus in communem hostem signa explicare. Subolcverat vero Ioanni, quo spectaret Solimani minime occultum consilium; sive enim pateretur regni collegam, penes quem vere summa administrandi imperii esset, fore sperabat, ut sua sponte subire iugum, et servire assuesceret, sive impar ferendae iniuriae inani nomine contempto, et regni, simul libertatis vindicem quaereret; ansam inde sibi datam iri sperabat, vi atque armis regnum ab ingrato vindicandi, qui spe salutis deplorata, ad se afflictis suis rebus confugisset. Neque vero erat dubitandum, cum horum alterum esset Ioanni agendum, quin id esset acturus, quod prudentem hominem et

suae dignitatis memorem opporteret. Etsi autem ha
a principio non ignoravit, ut tempus hominum spes
consilia fovet, multo tempore eventura speravit, qu
facilem viam expediendi ad salutem consilii omn
tentanti explicarent. Quid vero aliud sibi voluit Gr
tius apud Ioannem Regem relictus, quam certus So
mani cognitor atque explorator, qui consilia eius o
nia, progressusque observaret, ut quicquid visum es
de eo statuere, qui nomine modo rex, re vera ad al
rius nutum et praescriptionem regnaret, intelliger
ita laturum, ut ne hiscere quidem contra auderet: q
calamitate nihil poterat indignius Regi accider
quem fortuna videretur ad summum honorem evexis
quo oblata contumelia, per speciem regii honor
maiori apud homines ludibrio esset. Atque hoc q
dem eo erat magis Ioanni verendum, quo ex sua
Solimani conscientia certius iudicium faciebat: veri
mile quidem erat, quae timenda obversarentur anin
ad alienum arbitrium regnanti, venisse in mente
suspicari Solimano, ex cuius nutu atque imper
regnabat, barbaro homini praesertim, et qui non sa
pius quid deberet, quam quid posset, cogitaret. Er
Solimanus sua sponte incensus cupiditate sarcienda
acceptae ad Viennam ignominiae, de integro bellu
instaurare, excitis undique viribus omnibus, qua la
pertinebant imperii fines, in praesentia omissa cu
belli Asiatici, constituit. Adiuvabat illius consiliu
opportuna occasio, cum Carolum Caesarem, in cui
armis spes omnis Ferdinandi erant sitae, distine
Germanorum discidiis cognovisset; ut non solum n
posset esse fratri subsidio ad bellum, sed quomin
Turca hostis Germaniam invaderet, contrariis studi
discissam, haud posset esse impedimento. Plurimu

etiam pertinere ad suam existimationem censebat, quidquid secus de Ioanne Rege animo constitutum haberet, a se collocatum in regni sede, adversus hostis praepotentis iniurias defendi. Non minus Solimano gloriosum haberi clementiae fama sibi studia hominum comparare, quam armis maxima regna acquirere, parta adversus hostes tueri. Neminem porro e Christianis regibus credebat futurum, qui destituto fratris auxilio opem ferret, quos quidem variis de caussis, sed uno atque eodem studio teneri appareret, nimium formidolosam Caesaris potentiam multorum securitati evertendi. Accedebant ad haec omnia suorum adhortationes, multis verbis monentium, vetus esse Otomanorum institutum fines imperii proferendi armis, cuius maiores memores, Selimus pater maxime tantum Turcarum imperium fecisset. „Languere otio militum vires, restingui animorum ardorem, hebetari arma, qui vigere inter arma et bellicos labores consuevissent. Contrariis studiis comparari atque amitti magna imperia.“ Acquiri industria, virtute, constantia: perdi inertia, desidia, luxuria; quibus ne diffluat Turca miles, sit opera danda crebro ducendo in expeditionem, bella gerendo, laboribus durando, quibus artibus invictum stat per tot secula Turcarum regnum. His incitatus Solimanus diem dixit, quo die duces praesto cum suis armati essent, copias iussi conscribere, quantas nullus umquam ante se Turcarum imperator, ne ille ipse quidem contra hostem eduxisset. Quae dum apud Solimanum intentiore cura studioque comparantur, per universas Europae provincias constans fama pervadit, minantem Solimanum Christiani orbis excidium in Vngariam adventare, eo animo, ut cum Carolo Caesare florente tum maxime rerum gestarum gloria de

terrarum imperio certaret. Iis subnixum viribus So manum, ut militum numero excipiendo nulla satis id nea belli sedes videretur. Neque a vero fama abh rebat, raro fallax iis praedicandis, quae, ut maxi superent hominum fidem, de Turca ferantur. Audi rat vero territos homines Viennensi expeditione, ci ausum penetrare interiora Austriae, non prius ces turum putarent, quam ea potitus, in proximam Ger niam intenderet arma, serio de bello cogitare; quo g rendo bello ducem atque Imperatorem Carolum a mis destinarent. Id autem si accideret, et suarum rium conscientia intelligebat, nisi viribus parem, aciem haud descensurum. Erat tum Carolus Ratis nae, quo principum conventum indixerat, tum ut dis dentium Germanorum animos conciliaret, tum ut a quando serio de fratre iuvando ad bellum auxiliis a ret: quod eo enixius agendum contenderet, quo mis dubitari posset quin, oppresso Ferdinando, quod om propitia fata averterent, (hostem) intra sinum et patri viscera essent Germani accepturi. Neque alia erat pr cipum sententia, cum quidem satis intelligerent, qu ex alto excitati somno, quam caussam Vngaris pr priam credi vellent, communem cum populis aliis, q colerent Christi nomen, tum Germanis inprimis, V garos habere. Non Viennam nuper obsessam, non c pugnatam a Turca immensis viribus nobilissim Austriae urbem, augustissimam regum atque impe torum sedem, sed obsessos Germaniae limites, oppu natum armis munitissimam Germaniae arcem, Ch stianae reipublicae propugnaculum validissimu Quod quidem dei immortalis beneficio propugnatori Germanorum virtute ita steterit invictum advers oppugnantium copias innumerabiles, ut nisi Germa

patria virtute retinenda constantiam adderent, non iam exterarum gentium sed suorum aemulatores, indignam se prolem maioribus essent ostensuri, quorum gloriae monumenta insignia testarentur gentium omnium annales. Certatim vero tum exterorum regum, tum civitatum legatos, qui aderant in conventu frequentes, adibant, praesertim quae propiores periculo erant, multisque precibus orabant, ut in magno reipublicae discrimine, dignos animos susciperent maiorum gloria, qui non desidem vitam domi agendo, sed late circumferendo arma, non propulsandis sed ultro inferendis bellis tantum Germanorum nomen fecissent, quantum si posteri pergerent per maiorum vestigia incedentes, brevi esset futurum, ut gentis nomen ad orbis terrae ultimas oras maiore cum gloria propagarent. Enimvero usque adeo degenerasse Germanos a prisca virtute maiorum, ut qui certare consuevissent pro gloria imperii cum principe terrarum populo, et quidem saepius victores, quam victi; cogerentur cum hostibus in finibus statuentibus infesta signa pro salute dimicare. Quod quidem dedecus tanto maius esset habendum, quanto magis nunc Germania viris, copiis, urbium maximarum frequentia, cultu ingenuarum artium omnium, quam ulla unquam hominum memoria floreret. Cur repente eorum animi antea ad omnia invicti et dexterae torperent? Vigilare hostes barbaros exitium Germaniae et pestem molientes, languere . . . . . in molles et lascivos lusus dissolutos . . . . . choreas, vinum, pro patriae salute non animos, non sumere arma. Tot principes imperii . . . . . tot populos in Germania haberi, apud quos vigeret rei militaris decus, quantum umquam alia natio, abesset verbo arrogantia, maxime secundis suis rebus aluisset. Non

propterea maiores, quorum gloria nulla unquam
sterorum memoria esset interitura, res ex mini
tantas fecisse, ut illis fragum ubertas et re
affluentia, in vinum, voluptates, deliciasa, luxuria
sed ut patriae essent subsidio in ultimo rerum dis
mine versanti. Quod quidem nisi viderent, ne ea
dem, quae communi sensui paterent, videre convi
rentur. Laborare quidem Caesarem plurimum fr
Regis caussa, quem descrere, in medio belli incen
implorantem opem atque auxilium, non solum fl
tium esset, sed immane scelus. Verum non labo
minus patriae caussa, quae hianti hosti barbaro et
gilanti in omnium perniciem, Germanis communi
luti indormientibus, exposita ad praedam pateret.
quidem nisi aliquando experrecti statuerent sibi oc
rendum urgenti malo, ne ea ipsa quidem alta qui
quam verae gloriae praeferrent, essent diuturna f
turi: praesto enim fore saevum et crudelem host
qui e vaporariis, nequitiae atque inertiae latebris,
pula, vino, somno onustos in campum atque aciem e
caret; famem iuxta, frigus, aestum, atque alia vi
incommoda, vellent nollent, toleraturos. Facesse
vero a Germanorum pectoribus tantum flagitium,
quod sua sponte agere deceret viros fortes et cupi
verae laudis, ab armatis hostibus nolentes atque in
discerent, ita affecti animo, ut non prius quam cla
cum canentem hostem audirent, sibi persuaderi pa
rentur, ut arma sumerent, emollito robore animorum
tae urbanae deliciis, quibus obliti decoris milita
sese dedidissent. „Fortitudinis praeceptis formanda
ctora, non cum eam necessariam requireret rer
usus (non enim quod vis extorqueret et temporum
tio laudabile haberi), sed cum multo ante fortibus

ctis et virtutis exemplis singularibus editis, fides esset in dubiis reipublicae temporibus praesidio patriae fortia pectora futura. Turpe enim esse in ipsa gerenda re discere, quae bene gerendae rei ratio esset, et cum viro forti opus esset, tum fortitudinis elementa haurire. Non in iugula intendente hoste tela, non muros tormentis hostilibus quassantibus, sed cum tranquilla et secura omnia pax firma redderet, discenda, quibus belli tempore opus esset." Haec principum oratio, quam fama adventantis hostis crebris multorum litteris et nunciis confirmabat, omnes qui aderant, quemadmodum aequum erat, magnopere movit. Itaque ingenti assensu omnium ordinum fit decretum, ut, delectu cum cura habito, militem ex imperii formula a Carolo IV. Caesare praescripta, quam Bullam auream vocant, Carolo V. eo bello futuro copiarum imperatori et Ferdinando Regi subministrent, ea lege, ut pro stipendio, imperii quaestores et civitatum, militi soluant, quantum quemque tribuere ex eodem Caroli IV. decreto aequum sit. Atque haec quidem tum magna concordia administrata; nequid esset impedimento salutaria consilia explicantibus ad bellum, actione de religione in magis idoneum tempus reiecta, de qua disceptari perfecto bello placebat, priscorum patrum more concilio indicto. Ita peracto conventu, Carolus Caesar totus intentus in Turcicum bellum, missis per dispositos equos in Italiam nunciis, Alfonsum Avalum Insubrum praefectum, magni hominem animi et illustris nominis, copias cogere, tum equitum tum peditum delectu acerrimo iubet, inprimis qui ferreis fistulis crebro iactu plumbeas glandes emittentibus disiicerent hostium equitatum, in quo fere Turcae haberent positum exercitus robur. Ad haec imperat, ut Hispanos

milites. qui multa iam stipendia emeriti su bellis in urbium praesidiis agebant, prim tempore per Noricas Alpes in Austriam ad s quod militum genus magnum allaturum mon victoriam consequendam sperabat, magnis g bus per multorum annorum spatium militia tium. Iam e Belgarum finibus, et parte diversa dis hoc nomine partim Aedui partim Sequa pestate censentur) gravis armaturae equit num et ipsum militem et magni usus, ead tate ad se adduci iubet, XII peditum Ge millibus ex omni copia delectis, quos apu diae causa haberet, claris ducibus magn rum gestarum. Maximiliano Herbestenio, e praeesse iussis. quorum in se fidem eximiam maxime habebat spectatam. Dicuntur multi ex Italia. multi ex Hispania, et nobilitate usu insignes homines ad tanti belli fama convenisse. in omni posteritate praeclarum s tes. Carolo exercitus imperatori, multis victo triumphis claro, adversus Solimanum tantu nomina dedisse. Duo reges maximi, Francis rum, Anglorum Henricus, nec militem, nec in sacram militiam contulerunt. Nam Anglo Caesare conveniebat, iustas inimicitias, u cum eo ob remissum Catherinae Reginae persequente, e cuius sorore Ioanna Caesar et Franciscus Rex ita erat foedere affinitatis sare coniunctus, ut non minus ei tacitus quam certus affinis esset, satis gnarus, qui se formidoloso ad pristinam fortunam increm deret, nec sibi in posterum, nec cuiquam re dum futurum. Vnus Clemens Pontifex, incer

tis studio, an elevandae invidiae non ita pridem in illum ob occupatam patriae libertatem per multorum cladem atque exitium conflatae, quicquid illi auctoritatis pontificatus maiestas conciliaret, contulisse in eam expeditionem dicitur. Auctor quidem in hoc uno Iovius, locuples ad invidiam usque Medicum familiae assectator, decies centena coronatorum millia in belli sumptum suppeditasse affirmat, quo patriam, erepto civibus libertatis iure, in suorum servitutem vindicaret. Ita cum sacri belli splendidus titulus ad colligendam populorum auram ostentaretur, nemo erat tam averso animo a pietatis et religionis cultu, quin, pro tuenda communi salute, sibi cum domesticis fortunis sanguinem et vitam profundendam censeret. Vnum hoc movit populorum animos, in his eorum maxime, qui sacra ministeria obibant, Pontificem Maximum gerendo impio adversus patriam bello exhausisse sacrum reipublicae aerarium, ad sacrum bellum adeo Christianae reipublicae necessarium, quantum maiestas pontificia postularet, contribuere non potuisse, nisi coactus aerarii angustiis, ad tristem rationem tributi confugeret; sacerdotibus enim cuiuscunque ordinis essent, praeter cardinales, qui sacerdotiis peropulentis potirentur, quinas decumas ex divenditis agrorum fructibus imperavit, ingenti tum aliorum omnium, tum eorum maxime querela, quibus vix integra agrorum vectigalia, e tenui sacerdotio, quantum necessario victui sufficeret, subministrabant. Addit Iovius in exigendis decumis, quod accidere necesse erat, re non patiente moram, exactorum acerbitatem, quorum fuisse ait tam importuna ingenia, ut non sacrarum virginum collegiis parcerent, non sacerdotum, non alios ordines profitentium, qui religiones et sacra curarent, non postremo, qui praeessent sacris xenodochiis ad alendos mendicos in-

stitutis. Quo maiore cum Pontificis invidia, vulgo
cerdotes alii, et alibi, et Romae inprimis quereren
huius incommodi expertes unos cardinales haberi,
propter amplitudinem ordinis, ceteris esse exemplo
pietatis laudem capessendam deberent, quorum m
et delicatae vitae non sufficerent amplae fortunae, q
bus elati regum more incederent stipati magnis a
corum et clientium catervis. In omnes alios saevit
nullo hominum discrimine, nullo ordinum, multae
crae aedes, multa fana direpta, quo pervaderet av
praedatorum manus: sacra vasa, templorum ornam
ta, varii generis votiva donaria, ad usum et ornam
tum templorum oblata, quae quidem conflata in sac
pecuniae usum videbantur, invidiam elevante eod
plausibili nomine Vngarici belli Caroli V. ductu
que auspiciis adversus Turcam hostem gerendi. (
nia vero illa iactabantur, quae quasi ex praescri
condita carmina e veterum annalibus vulgo usur
bant, fortissimos milites laudantes, qui pro vindic
do terrarum orbe a tetra barbariae lue, sanctissi
religione propaganda, sacrosanctis templis, pat
fortunis, liberis et coniugibus ab hostili ferro de
dendis, nomina darent. Nullius vero ita erat religio
omnis expers animus, quin tantam hominum alacr
tem ad delendam e terris tam diram atque immar
belluam militiam profitentium, sin alia re minus v
et tacitis studiis prosequerentur. Hac cura Ponti
soluta perfungendum alia supererat, ut copiae co
rentur quam lectissimae, quae gerendo bello, impe
tore maximo et fortissimo rem militarem procura
idoneae maxime haberentur. His qui praeesset, le
nomine Hippolytus Medices delectus, quem natali
imparem e Iuliano Medice Leonis Pontificis fratre
tum Clemens in cardinalium collegium cooptave

aptiorem rei militari hominem, quam sacris procurandis, quibus eum Pontifex addixerat. Ita magnificentissimo apparatu, eum deducentibus claris hominibus rei militaris gloria, in Austriam ad Ferdinandum contendit, a quo quidem monitus per Vngariam vagari veteranos Vngaros, qui superioribus annis aut in Ferdinandi, aut in Ioannis castris meruerant, octo eorum millia conduxit. Praecerat his Valentinus Toeroekius et Paulus Bakithius, quorum supra non semel meminimus, mobilis illi quidem fidei homines, sed rei militaris cumprimis periti, quibus legatus luculentis sibi muneribus conciliatis, signa tradidit Christi imaginem in crucem sublati praeferentia, magno futura militi ad rem praeclare gerendam incitamento. Ferunt legatum a Toeroekio sumpto Vngarico ornatu, sive eo delectatum, sive quod crederet se nobilissimae genti per hanc rationem gratificaturum, dedisse suum Toeroekio gestandum. Ipse quidem Vngarico toto eo bello est visus propensior, ut diximus, ad rei militaris, quam ad pacis, atque otii studia, ut cardinalis et opimis auctus a cognato Pontifice sacerdotiis, maiorem militarium hominum numerum, quam sacerdotum et litteras sacras excolentium aleret, in quos supra omnem fidem liberalis et profusus fuisse fertur. Tanti apparatus fama perculit Solimani animum, Caroli sive fortunam et felicitatem, sive virtutem et animi magnitudinem horrentis, qua corroboratae sua sponte praevalidae vires, et delectorum militum numero, qui superioribus bellis magna essent cum gloria perfuncti, ad vim omnem atque impetum sustinendum perfringendumque haberentur pares. Eo vero magis haec audita moverunt, quo minus exspectata, et praeter spem magis acciderunt. Etsi enim magnificis verbis atque elatis in

barbaram arrogantiam, Carolum in certamen de or
imperio vocabat: distentum tamen publicis curis,
parem credebat ad explicanda belli consilia, nega
bus Germanis auxilia ad Vngaricum bellum, quor
discidium de religione in contraria studia princip
animos distrahebat. Nemo vero erat temere passu
quibus armis ipse ad subitos casus indigeret, ea s
per externi belli occasionem extorqueri, cum quid
in magno rerum motu nemini dubium esset, quin u
que factio satis firma suis viribus, propediem e
eruptura in apertum bellum. Quae cum Solimanus
plorata haberet: opportunam armorum occasion
nactus, dum Carolum componendis rebus intent
Germanorum lites et controversiae distinebant, spe
bat se Ferdinandum imparem viribus, ubi Germa
rum auxiliis destitueretur, nullo negotio oppressur
Iam praemissa Samandriam copiarum parte, acc
rare ferebatur, quantum liceret trahenti praeter
mensa armatorum agmina impedimentorumque v
generis magnam vim, quae properantem animo re
tere plurimum de celeritate cogebat. Tanta quid
ferebatur hominum multitudo, ut Thracia, Mace
nia, Graecia omnis excita suis sedibus ad Christi
men atque imperium delendum videretur. Inte
Ioannes Rex de Solimani adventu nuncio accepto,
cessantem in tanto belli motu offenderet, Paullo Ar
episcopo infensus Grittium (iam enim Byzantio re
rat) oppugnatum Strigonii arcem misit, opportuno l
ad Danubium sitam, ac vix bidui itinere Buda dist
tem. Erat in arce Germanorum validum praesidi
ut nisi admotis maioribus tormentis posse credere
vix expugnari. Ita cum Grittio omnia experto ir
cessissent, nec vi arcem capi posse, egregie eam G

manis pro muris defendentibus, nec consilio speraret, cuniculis nequidquam actis, qua spes erat ad interiora arcis perveniri: premere inclusos arcta obsidione constituit, cum illis neque ad diuturnam obsidionem tolerandam commeatuum facultas, neque ulla praeterea spes ostentaretur suppeditandi aliunde advectos, undique circumsessis, a flumine classe, a terra perpetuis hostium stationibus, per quas omnes erant aditus in arcem praeclusi. Quae cum Ferdinandi duces cognovissent, qui forte Posonii erant, sive ab obsessis e speculis editis signis, sive clam submissis nunciis, magna usi celeritate, ad Cacianerum Viennam mittunt, penes quem erat summa militaris imperii, qui eum docerent, quanto in periculo Germani versarentur, quibus, cum omnia deessent, quae tolerandae obsidioni (apta) haberentur, omnis esset spes externi auxilii deplorata. Ea re cognita, Cacianerus classis praefectum Corporanum, Germanum hominem, naves LX, quae ad Posonium erant, e statione subductas, milite tormentisque instructas ducere secundo flumine Strigonium iubet; mandatorum summa, ut ad Comarum in medio amni positam insulam appulsas naves in statione haberet, maiora navigia exspectaturus, quae pollicebatur gravioribus tormentis commeatibusque onusta se extemplo missurum. Erat vero illius consilium, pugna navali cum hoste confligere, cum aegre liceret terrestria auxilia mittere, nisi Viennam praesidio nudaret, quam petiturum hostem rebatur minime dubia coniectura avidum sarciendae ignominae, quam superiore expeditione, in eius urbis obsidione accepisset. Cum his mandatis acceptas naves classis praefectus, ita in omnem occasionem gerendae rei intentus, ut nihil esset temere ausurus, ad Comarum appulit. Interea

Grittius, cognito per exploratores hostium consi signo tuba dato milites naves conscendere, levioril tormentis, et omni missilium genere instructas, at adversum flumen subire, et contendere Comar iubet, ita suorum comparatis animis, ut si potestat pugnandi hostis faciat, conserat manum, ad impet hostilium navium excipiendum, quae secundo flum in adversas ferrentur, ita condensatis navibus, ut rapidi ac violenti fluminis impetum, et intenta stium tela eluderet. Non fefellit classis praefectum quod erat, prodita sua consilia hostibus, et se suis mis peti. Itaque quamquam suadentibus suis, ut m me certamini par, classem retro in tutam statio ab hostilis classis impressione reciperet, iusso mi arma ac tela expedire, navium praefectos omni m praecisa, dirigere proras in hostem iubet, sive ni sui fiducia fretus, sive metu ignominiae, si quando sus esset, adverso flumine, hoste subeunte pug discrimen, qui secundo cursu ferretur, concurrere t to aequiore conditione recusasse. Diu pugna ance mox victoria adiuvante virtutem, fortuna penes G tium fuit; cum enim subito ortam nebulam sol di cisset, tanta sagittarum vis a Turcis emissa, ut par pugnando habiles Germani, neque facultatem ferie hostem, neque sese defendendi adversus sagittar ingentem procellam ullam reliquam haberent. Ita gata et disiecta classis, multis interfectis, multis vi captis. Ex iis, qui in ea pugna ceciderunt, unum Iovius fuisse Pestanum civem (nomen non tradit), rei nauticae peritus ante initam pugnam auctor Cor rano fuerat, ut retroconversas naves reduceret, poll tus se in postremo agmine, insequentium hostium v quo tutior receptus classi ad salutem pateret, dum i

in postremo agmine pugnando hostium cursum moraretur, retardaturum. Neque tamen ob rem bene gestam Grittius inflatus, quidquam de pristina sententia mutavit; hoc enim sibi plane persuaserat, ubi in paucos dies obsidionem traheret, ultro Germanos deditionem facturos deficientibus vitae alimentis, non solum quae sunt homini usitata, sed quae etiam tolerabilia facit extrema fames. Per idem tempus Avalus, acceptis a Caesare literis, quicquid e vetere militia sive Italorum, sive Hispanorum, tot annorum continentia in Italia bella reliquum fecerant, summo usus studio collegit; ne plus aequo traheret grave impedimentis agmen, iussis militibus, praeter ea quae posceret belli necessarius usus, secum nihil afferre, atque agmine expedito signa sequi: quod ducis imperium ita contempserunt, et quidem quamquam sui iuris memoris, et auctoritatis insignibus meritis partae, ut lustratis copiis, cum XX millibus amplius censerentur, vix qui arma ferrent, VII veteranorum millia sint inventi, atque ii ipsi quidem ita inertia atque otio diffluentes, ut non scortis, non meritoriis pueris, non coquorum, non aliorum mancipiorum turba infami carere, non luxuriae ullo alio instrumento possent. Accedebat praeda ex direptis urbibus per tot annos eodem coacervata, quam quidem ut relinquerent, incerti de belli eventu, sibi persuaderi non patiebantur. Quorum flagitium cum dux Avalus ferret iniquo animo, qui statuisset unum sibi militare decus rebus omnibus praevertendum, et expedito itinere proficisci ad Caesarem acceleraret, edicto severo coercere tantam nequitiam et petulantiam conatus, praefectos militum, et qui honestiores militiae ordines ducerent, haud suis meliores adhortatur, ut quisque suos susciperet mo-

nendos castigandosque, ita in spem uberioris militiae proficiscentes, ut relictis in contuberniis, quae levior haberentur, locum relinquerent condendae futurae praedae, multo iis quae tum parta haberent, opulentiori. Expeditum militem ad bellum ire: onustum decere redire e bello. Longum iter suspicientibus, arduum, praeruptum, cum studio atque alacritate animi tum earum rerum desiderio, quibus facile carerent viri fortes, sibi planum et pervium reddendum. Audita haec, superbos ac feroces Hispanorum animos, contra atque aequum erat, commoverunt, vehementius negantium palam se verbo fore duci audientes, nisi in longam expeditionem cuntibus fungi libera militia liceret neque hoc visum satis: eadem contumacia et linguae procacitate, instigantibus praefectis militum, qui inviti sub Alphonsi signis merebant, poscere tumultuosis vocibus stipendium, urgere, denunciare, nisi extemplo numeraretur, a signis se nullo accepto commeatu dilapsuros. Ita victa imperii maiestas, ne coepta seditio, ubi vi ageret, ad maius excitandum incendium sumeret vires, militum ferociae succubuit, recte duce existimante, militum studia non esse in praesentia mora corrumpenda, quibus nisi secundis dux uteretur, raro umquam felicia incepta laetus esset finis consecutus. Stipendio menstruo persoluto, luculenta oratione delinitos in officio continuit, spe donativi iniecta, ubi in conspectum Caesaris, celeritate illius spem praecurrentes pervenissent. Inde inceptum iter persequitur, iussis Italis ducibus cum reliquis copiis sequi, atque hoc quidem veritus, ne si cum Hispanorum agmine a furore intacti miscerentur, morbi contagione contaminatis animis, minus in potestate essent futuri. Ad famam tanti belli excitati nobiles ado-

lescentes ad signa voluntarii confluebant, non se credentes pro Germanis arma sumere, quorum saevitiam superioribus annis incredibilem erant experti, sed pro Vngaris etiam fortissimis Christiani imperii propugnatoribus, atque adeo pro domestica gloria, quam defendenda sacrosancta religione adversus impios hostes immortalem sibi spondebant, pro multorum gentium et populorum salute in acie occumbentibus. Tantus vero erat eorum concursus qui nomina profitebantur, ut magna cum offensione multos dux dimittere cogeretur; pro eorum in rempublicam studio se iis honorem habere, non usurum se eorum opera praefatus, iam satis multis in sacram militiam auctoratis, quae non magis in militum exiguitate requireret numerum, quam in copia agnosceret modum. Magnas res olim a summis regibus gestas, quae affectantibus terrae orbis imperium, non multitudine et numero bellatorum, sed virtute et constantia subnixis aditum aperuerint, et Xerxis terra marique a Graecis deletas copias innumerabiles, et ab Alexandro Darii, et a Lucullo Pharnacis, et aliorum ab aliis, qui illustria monumenta bellicae virtutis posteris reliquerint aemulanda. Recenset Iovius eorum nomina, qui his copiis praefuerunt, Martii et Camilli Columniorum, Petri Mariae Rubaei, Philippi Torniellii, Ioannis Baptistae Castaldii, Fabricii Marcmaldi, quorum clara nomina re*bus* gest*is* tum per ora hominum ferebantur. Hi XIV millium numerum explebant, nuper quidem militiae adscripti, sed in quibus magna ad virtutem indoles, quam domestica disciplina adiuvabat, atque insignis magnitudo animi. Satis per se validis copiis, ut nihil praeterea accederet, delectorum equitum duo millia, virium incrementum non contemnendum addebant:

quibus Alphonsi Ferrariensium reguli ala, quem il
stria merita Caesari addixerant, censebatur. Hae
piae a Ferdinando Gonzaga ad Oenipontum adduct
secundo flumine Oeno in Danubium, atque inde
Austriam delatae. Eodem fere tempore Carolus C
sar, accepto a Belgis et Burgundis gravis armatu
equitatu, tum robore aetatis e delecta iuventute c
scripto, tum egregie instructo genere armorum, I
cium secundo flumine Ratisbona delatus pervenit. (
in loco dum animum intendit comparandis necessa
ad bellum rebus: Solimanus Belgrado motis cast
cum multis commeatibus Savum amnem copias tra
xisset, suspicatus id quod erat, regionem multis b
cladibus vexatam, quamvis feracissimam, tanto ex
citui alendo commeatum aegre suppeditaturam, p
gressus cum copiis omnibus ad regni fines in pr
mam Vngariae provinciam Styriam deflexit, ut
gari credunt a Diocletiani Imperatoris filia, Valeri
olim appellatam. Campestris tota regio, a laeto et
cundo solo, quod media inter duos amnes, qui
alluitur, est posita, Interamnensis Pannonia, alio
mine a re sumpto argumento, nuncupatur. Iam pr
missus cum copiarum parte Ebraimus Guintzium p
venerat, ignobile tum oppidum, atque obscuri no
nis, mox insigni unius virtute, per reiecti hostis
tentissimi gloriam celebre in omni memoria futur
Nam, quod caput est, neque oppidum situs opportu
tas adiuvabat, neque ad horum temporum ratior
moenia exstructa obiectis hinc adversus tormentor
propugnaculis, illinc ab interiore parte aggeribus
structis ad muros fulciendos. Nam forma situs q
dranguli, quam maxime eius artis periti damna
cetera eius generis, ut ea fortium virorum consta

muniretur, praesidio eadem inertibus non essent, et ab animi virtute destitutis. Quae quamquam hosti spem facerent brevi oppidi potiundi, cuius viribus Vienna urbs aegre superiore bello obstitisset, ut non succumberet tamen ingentibus viribus oppugnata, propugnatorum incredibilis virtus constantiaque perfecit. Praeerat oppido Nicolizza, nobilis vir, ut videtur genere Dalmata, qui apud Solimanum pridem nobili legatione erat functus, quocumque certe loco natus, dignus ob magnitudinem animi, qui in summo conspiceretur. Is de Ebraimi adventu certior factus, cum nihil in loci natura subsidii, nihil in aliena industria, posita omnia in domestica virtute haberet: neque suarum virium et hostium conscius demisit animum, et adversus immensas Turcarum copias, defendere oppidum constituit; omnibus, quantum exiguitas temporis patiebatur, cum cura comparatis, quae ad sustinendum hostium impetum opportuna viderentur. Atque in principio quidem Ebraimus, cuius erat apud Turcas, ut alibi diximus, proxima a Solimano auctoritas, sive tacito instinctu generis Dalmata inclinaret ad mitiora consilia, sive interiore consuetudine, legationis tempore delinitus, nihil non tentavit, quare damnata animi pertinacia, et oppidum, et se ipse dederet, frustra adversus tantarum virium apparatum se, nulla spe fultus auxilii, defensurus. Quae cum frustra agi Ebraimus animadverteret, nullis neque illecebris, neque minis se avelli a suscepta sententia Nicolizza patiente, omnibus aliis omissis consiliis ad vim animum convertit. Ita, iussis militibus oppidum corona circumdatum, viribus omnibus aggredi, eodem tempore Asapos cuniculos ad muros agere pluribus partibus, a sensu occulti mali, Turca intentos defendendis muris

avertente, et proruere moenia iubet. Sed omnia supe
bat oppidanorum virtus, incredibili animi robore, q
muri procíderent cuniculis labefactati, ad omnes h
insmodi casus praeparatis animis, reficientium. I
nequidquam semel oppugnatione tentata, vim ap
tam novo adiuvare consilio, et ancipiti malo obsess
distinere, quominus tuto consistere in murorum p
pugnatione auderent, constituit. Erant a septentr
nibus in oppidum obversi colles, in modicam altitu
nem ab infimis radicibus se attollentes, ut inde co
mode verberari moenia tormentis possent. Qua
Ebraimus animadversa, minora tormenta in colles p
teis subiectis, quo rotis per clivum facilius traher
tur, subducenda, ac simul ab ea parte, quae vergel
ad meridiem, instaurari oppugnationem iubet. Neq
secus, quam putarat, accidit. Nam oppidanis, simu
fronte erat vis hostium sustinenda, totis viribus in ei
diei oppugnationem incumbentium, simul declinandi
a tergo imminens malum, cum crebris tormentor
ictibus ab iis, qui in collibus erant, peterentur, quocu
que se converterent, aut ad tormentorum aut ad s
gittarum ictus, quarum infinita vis ab hostibus coniic
batur, terga nudantes. Neque ob eam caussam det
ritus praefectus animo deficit. Summa usus suor
alacritate, quidquid materiae in proximis aedib
erat, tum asserum, tignorum, tabulatorumque magn
vim comportari ad muros, ac perpetuum vallum d
in iustam altitudinem iubet, eo consilio, ut hostes t
menta in propugnatores ita tectos dirigentes, ictib
id quod accidere necesse erat, frustrarentur. Vn
incommodum vix poterat vitari: emissi e tormen
globi cum tabulata perfoderent, in haud procul dist
tia aedificia ita vi concepto igne intorquebantur,

magno cum eorum terrore, qui domestica ministeria obibant, qua temere matres cum parvis liberis et senum turba discurrebant, multos vulnerarent, plerosque interficerent. Eodem tempore ad Leopoldinum pagum ducenti equites Turcae, cum praedando et populando omnia, praeter Neostadium essent progressi, ab Vngaris subito coortis, qui eorum explorato adventu in insidiis consederant, nihil minus exspectantes caeduntur. Interfectorum capita alae equitum Vngarorum praefectus Viennam deportanda curavit, grato spectaculo civitati futura, quae vix vulneribus superiore bello acceptis cicatrices obduxisset. Ex captivis cognitum, adventare cum universis copiis Solimanum, quarum vix numerus iniri prae hominum multitudine posset, ut appareret, quo consilio sumpsisset arma, nullis subvectis tormentis ad murorum oppugnationem, quae elatum studio, ut ferebatur, cum Caesare confligendi, ab incepto retardarent. His consentanea legati Ferdinandi afferebant, a Solimano cum litteris ad illum remissi, cum liberaliter et prolixe habitos, vetere Otomanorum instituto muneribus etiam prosecutus esset, serica veste picta auro, atque argenteis poculis. Scriptae litterae barbarico ritu ad vanam ostentationem compositis verbis et inanibus titulis, divinam sibi potestatem sumeret, vindex eorum acerrimus, quae iniustae et scelerate in terris ab hominibus admitterentur. Maximum se Cesarem, et quem mundi universi facies nosset (ita loquuntur) omnium Caesarum summum Caesarem esse, Carolum V. in certamen de orbis terrae imperio vocare: ut decernatur armis, penes quem sit titulus, et sedes legitimae inter homines potestatis. Vnum esse in coelo omnium moderatorem et rectorem Deum: unum Caesarem in terris, qui orbem re-

gat, quem homines suspicere, venerari, prosequi se
dum deum immortalem, cuius iustitiae imagine
excelsa sede imperii repraesentet, divinis atque
manis honoribus debeant. Vt corpus unius capiti
perio, ita regna inter homines atque imperia
arbitrio et sapientia regendas: duo enim capita
pori unico superimposita monstrum et porte
efficere, quod ne accidat, se operam daturum, t
rum arbitrium tenentem, Carolo Austrio, qui fal
Caesarem, Augustum, Imperatorum omnium fer
summo fastigio honoris invicta sua dextra dei
Constituendum, quo in loco placeat de terrarum
perio dimicare: ubicumque statuant sibi rem g
dam in spem summi honoris animos tollentes,
marique iis praesto futurum. Nam, si minus co
rere audentes, pedem referant, se igni, ferro, om
belli cladibus cuncta urendo, exscindendo, quacu
vadenti portae non aperirentur, fugientes perse
rum. Interea Ebraimus frustra ad Guintzium al
diebus in oppugnatione consumptis, Solimani offe
nem veritus, ubi irrito incepto abscederet, qua op
nari oppidum erat coeptum, ab utraque parte eri
dum propugnaculum, materia e proximis silvis c
in ingentem altitudinem curavit, ut non muros so
sed turrim etiam, quae ad propinquam portam
urbi praesidio erat exstructa, superaret. Inde cr
missilium et sagittarum grandine, cum a superst
bus in subiectos emitterentur, neque in muris pro
natores consistere, neque exire domo oppidani a
bant. Ita Turcae, ab Asapis iam oppleta fossa,
subruta erat muri pars, in oppidum irrumpere co
tur. Quo in discrimine cum oppidani versare
praefectus globo facto, quicquid virium in oppido

aditum tentantibus obiecit, ut partae gloriae decus ne corrumperent, saepe victo hosti cedendo, et verbis simul et exemplo adhortatus. Interea exauditus hostibus puerorum et feminarum clamor, commune patriae fatum complorantium, temere creditus adhortantium esse, quod minime alienum a propugnatorum virtute videretur, paullisper Turcarum impetum sese invehentium, et iam inferentium pedem retardavit; contra auxit propugnatorum virtutem, ut in suorum extremo casu, simul virile pectoris robur et animorum ardorem excitarent. Itaque pertinaci nixu incumbentes, in confertos et contra obnitentes, cum oppidanis crevisse animos a probabili caussa, non ab ea, quae vere erat, Turcae existimarent, frustra ducibus ad obsistendum cedentes iam et referentes pedem excitantibus nec verbis et oratione modo, sed ferro etiam et vulneribus, finem pugnandi fecerunt. Addit Iovius rei praeclare gestae miraculum, cuius fidem vult apud Nicolizzam auctorem exstare, a quo ipse accepit. Martini praesidis gentis numen, cuius patria Sabaria non procul Guintzio distare fertur, sumpta persona humana specie augustiore, pro oppidanis stetisse, et pavore ac trepidatione pugnantium pectoribus immissa, superbum hostem quasi fanatico carmine consternatis animis canere receptui, et terga vertere coegisse. Atque hactenus quidem Ebraimus vim atque arma expertus, ad mitiora consilia convertit animum, sui generis magis quam temporis et fortunae memor. Illectum promissis cum data fide impune futurum polliceretur, in castra avocavit: simul illius virtute collaudata magnificis verbis, ostendit sese, quod vi esset expugnaturus, pro suo in illum studio, malle a volente impetrare: Satis iam suam fidem Ferdinando, satis suis, satis

patriae probasse, quod qui esset assecutus, prae
videretur viri fortis officio functus, quem nosse aeq
esset, et quid vires hominis ferrent, et quo liceret
tute subnixo, atque magnitudine animi pervenire.
ret tempori, quod ne virtus quidem negaret, ut
vires hominis pergeret sui periculum facere.
virtus ad eum diem apud Solimanum illi honori
futura, ut neminem alium magis virorum fortiu
miratorem, fore, ut pertinacia corrupta, in odium
teret. Licere incolumibus suis omnibus, nulla
suorum offensione, pro quorum libertate ad ulti
usque discrimen rerum humanarum pugnasset, in
cum Solimani gratia oppidum dedere, quod invit
extremum victori cedere certa cum omnium
atque exitio cogeretur. His verbis perpulit, ut
animi pertinacia diceret se in potestate futurum.
tamen ne crederet conscientia virium magis, q
vetere amicitia a se fieri, cuius apud se grata me
ria animo vigeret, se illum etiam atque etiam or
Hinc cum multa de se, plura de suis magnifice di
set, non consilium sibi, non animi constantiam,
vires ad externam vim omnem propulsandam defui
non defuturam; addidit illud tamen, victum se me
ria antiquae consuetudinis fecisse, ut eum nollet
tius, quam necesse esset, habere hostem, cuius
amicitia semper honestissima fuit. Quando liceret
columi sua fide et religione, privatim simul cum
colere amicitiae iura, simul pro Ferdinando Rege
ma gerere, cui semel se militari iureiurando obst
xisset, quod sanctissimum apud se esset, se illi o
dum et cum suis simul sese tradere in fidem, iis
ceptis conditionibus, quae et iis honestae essent
acciperent, et dignae Ebraimo duce Solimanoque

peratore adeo essent, a quo acciperentur. Polliceri quidem id quod a se peti primo loco sciret, in posterum se Solimani maiestatem comiter sancteque conservaturum, neque recusaturum in praesentia, quin eius signa in summo turris fastigio constituerentur, quae argumento essent, oppidum in victoris potestatem redactum. De accipiendo in oppidum Turcarum praesidio, se eadem quae ille vellet sentire: quo minus speraret, quod sentiret, se praestaturum, militum consensu prohiberi, quorum esse sciret obfirmatos in contrariam sententiam animos: non enim in ducis potestate semper milites esse, quibus saepe etiam in his, quae minus quae ille vellet viderentur ferenda, esset connivendum. Germanos qui essent in praesidio, a ceteris gentibus, legibus, institutis, moribus diversos, quae res maxime hominum animos dissociaret, praecipuo quodam odio in Vngaros ferri, ut minime dubitari oporteret, quin simulatque audissent se auctore de deditione transactum, eodem consensu se ad supplicium raperent, nequidquam ab immanissimis hominibus proditionis crimen deprecaturum. In his quidem, quae sui muneris potestatisque essent, daturum se operam, ne quid, quod minus vellet, de sua fide et constantia audiret. Nam in omnes qui in Solimani Imperatoris fide essent, omnibus humanitatis officiis cum his se certaturum, qui aut Turcae nati, aut Turcarum sacra ultro volentesque suscepissent: in ceteros quidem qui in proximis praesidiis agerent, non modo ab omni iniuria temperaturum se, verum etiam commercio illos et benigna communicatione rerum omnium impertiturum, ut vicinitatis atque amicitiae iura postularent, quae sancte et summa cum religione esset servaturus. Credita haec facile Ebraimo, tum quod minime abhor-

rere a vero viderentur, tum quod de hominis fide
eam opinionem imbibisset, ut nihil subesse fraudi
illius oratione, cui non expediret se falli, existim
Itaque non aegre persuasum provecto hominis e
tate, ut quibus conditionibus vellet, acciperetur in fi
Nam, quae de Germanis dixerat, quamquam com
titia, ab eo tamen commemorata, de cuius fide ba
rus semel non esse sibi dubitandum statuisset, fi
credita. Nihil vero exploratius erat, quam Germ
rum in Turcas, in Germanos Turcarum odium. Da
vero Ebraimo, cuius summam in se suosque faci
tem atque indulgentiam esset expertus, ut quasi
speciem praesidii, aliquot Ianizeri in oppidum acc
rentur, mox una cum duce ad bellum discessuri. Inde
limanus, cum reliquis copiis Ebraimum assecu
Guintzio motis castris, ad Carinthiae fines conten
Montana regio tota, Pannoniae olim Superioris p
inter septemtriones et orientem solem ad Carnos
quibus olim Iapidas creduntur veteres censuisse, i
occasum et meridiem ad Alpes Noricas, et Forum I
pertinet, fertilis illa quidem, et frugum omnis ge
ris ferax, sed non ita culta, ut opulentioris praedae
cultas inde esset exspectanda, et tanto belli appar
digna, praesertim qui multo ea potiora Vngaric
regnum et Viennam Austriae regiam peteret, ex q
rum direptione exercitum numerosissimum dita
Quae cum ita se haberent, non temere tamen cuiqu
veniebat in mentem, quam rationem consilii Solima
secutus, relicto a dextra hoste, in quem unum ia
verat tantis viribus instructum exercitum adornari,
teret extremos Pannoniae fines et Iulias Alpes, qu
arma Italiae illaturus. Nam, si hoc modo spectal
ut vastatis populatisque Austriae ditionis agris, re

ceret in Thraciam exercitum praeda onustum, id quod postea egit, agi hoc aliquanto facilius potuit per levis armaturae equitatum, quiescente eo, cuius dignitatis non erat, tantae Regis maiestatis, praedatorum in morem, observato hostis tempore, excursiones in agros hostiles facere, hostis congressu, qui ultro petendus, caput belli esset, declinato. Verisimile quidem, quod iam monuimus, Solimanum, cui minime persuasum esset, intentum Caesarem componendis Germaniae rebus, bello vacaturum, expeditionem suscepisse, cuius exitum tristem Ferdinando, quem unum vere peteret, frustrato Germanorum auxiliis speraret. Quae cum temere credita meliore consilio sibi emendanda statuisset: subire certaminis aleam minime ausum; cuius si minus ex sententia accideret, eventus, certum portenderet maximi inter homines imperii occasum. Haud operae pretium duximus, pluribus commemorare, quae nonnulli tradunt de seditione militari Viennae inter Hispanos et Germanos orta; in unius enim gratiam scripta, quamvis illius quidem summi viri, et numquam satis laudandi, parum digna tamen quae posteri cognoscerent existimavimus. Seditio Avali virtute simul orta et compressa, restinctaque est, cuius erat summa secundum Caesarem in exercitu auctoritas. Enimvero fuit nostra aetate hic unus cum paucis vir, de cuius virtute propterea sit paucis agendum, quod ipse rerum gestarum magnitudine perfecit, ne pluribus ad eam ipsam virtutem illustrandam opus esset, non prius aliorum testimonio, quam merito suo clarus. Cum dignitate formae, qua inter aequales omnes excelluit, vis animi acerrima atque ingenii coniuncta, quod sua sponte propensum ad gloriam excoluerat politioribus literis; in quibus ita profecerat, ut rei militaris lau-

dem literarum ornamento, militiae gloria auger literarum decus. Ad cetera bona, quae a natura haust arte et studio meliora reddiderat, accedebat eloquenti laus, atque adeo, ut sive inter togatos in senatu ager sive in castris et in acie armatus, nemine non illi h gloria concedente sibi sumeret principem locum. I beralitas tanta, quantam fortuna non caperet, etiam ea indulgentissima erat usus. In re militari virtus e cellens, cum clari duces quotidie multi existerent, It lia belli flamma ardente ita sua sponte tantum orn vit, ut aemulandus ipse multis, unius ipse sui, ca sibi aemulandus. Sed, ut unde digressa est orati revertatur: quicumque is fuerit, a quo seditio orta si haud dubium est, quin si milite tam seditioso et co tumaci res gesta cum hoste esset, belli initium fu consentiens, tristis et funestus esset consecutur „Quanti autem intersit gerendis rebus, imperare ducu militi, imperii, et disciplinae potenti: militem duci ve bo audientem parere, qui norit suos in officio cont nere recte imperando, neminem fugit.“ Quae tamet ratio vincat vera esse, nequidquam tamen bene inte militem ducemque conveniat, nisi idem voluntatu studiorumque consensus vinciat animos liberali edu catione, et rei militaris disciplina ad virtutis decus gloriam excultos. Inde Turcarum vires tantae non num ro et copia magis, quae a principio contemnendae, a tantam magnitudinem perventurae vix credebantu quam disciplina militaris imperii in eos, quibus pr lege, imperantis nutus esset. Interea Solimanus pe montana et saltuosa loca exercitum ductando, ita suc a pugnae discrimine prohibebat, ut inquies animus contumeliae insolens, horreret hinc infamiam haere tem salutari consilio, hinc imminens ultimi certamin

discrimen speciosa salutaribus praeferenti; ita anxius curis, ut cum horum alterum intelligeret sibi subeundum, ratio frendentem frementemque eo traheret, unde gloriae avidum inconsulta temeritas praecipitem ad exitium rapuisset. Quae cum diu animum torsissent flagrantem curarum aestu: vincente tandem ratione inanis gloriae studium, per hostium caedem atque internecionem, qua tuto circumferri arma possent, moeroris solatium ab immanitate ingenii petere constituit. Mox Cassono imperat, uni ex equitum praefectis, qui superiore expeditione Austriam vastaverat, ut assumptis equitum XV millibus, quidquid spatii Lincium usque intercederet (centum quinquaginta millia passuum culti soli fuisse Iovius tradit), populabundus excurreret distributo in tres turmas equitatu, ut eodem tempore, per partes diversas belli flamma pervagante, regio universa eodem incendio conflagraret. Neque animus, neque voluntas defuit exsequenti crudele imperium, illecto spe praedae, cuius aviditate non minus, quam gratificandi studio imperanti Solimano tenebatur. Late effusa populatio Lincium usque tenuit, immani hoste, quocumque pervaderet, feritatis suae insignia vestigia relinquente. Visebantur passim foeda spectacula et horribilis facies rerum, agrorum, villarumque longe lateque fumantium incendia, exusti pagi, solo aequatae arces, sacrae aedes eversae, direpta fana, tum senum, tum mulierum et puerorum imbellis turba, qui miserandum in modum vincti catenis, sequi pedites infirmo gradu celeres insidentes equis, omnia fletu et comploratione implentes cogebantur. In oppidis quidem, cum e turribus, atque e tectis domorum flammam quaquaversum saevientem circumspicerent, moenibus diffisi confugiebant in pro-

pinqua loca. quae sibi imminerent mala praesag
animis. qua capesserent. aut quo intenderent i
ignari. Ita saepe miseri. qua terror et trepidatio
tos agebat. in eam. quam fugiebant pestem. a s
aversi quam frustra ab irato numine implorabant.
bantur: cum nulla spes vitae natu grandiores.
redemptionis vigentes aetatis robore maneret. qu
futura mancipia. et barbaris vilia capita. aut co
tes salutis per abiuratam religionem sanctissin
quam profiterentur. in foedam servitutem rapiebat
Iam. tanta belli clades. quocumque intenderet ho
ferrum. Cassono formidinem et pavorem prae
agente. ad Annassum amnem pervaserat. quem no
nunc Plavim credunt. perlongum terrarum tractum
Venetorum aestuaria se effundentem: cuius adve
territus Ferdinandus. qui tum Lincii erat. cum op
dum nullum militum praesidium tueretur; pedit
cohortem. qui transitu hostem prohiberent, a Pontifi
legato acceptam. qui Cremsio ad illum nuncium
hostium adventu praemiserat. manere apud pontem
statione. et obsistere vim facientibus iubet. Huic
litum cohorti qui praeerant. ut licuit oppressis an
stiis temporis. materia comportata e vicinis locis
gerem subiectis doliis humo oppletis exstruunt. sin
signo edito. Hispanos revocant. qui ad famam adv
tantis hostis Danubium transierant. veriti ne Solin
nus de improviso incautos oppressurus cum univer
copiis adesset. Haud dissimilis error Cassonum Lin
avertit. non ausum transitum tentare, cum minime ve
simile existimaret. oppidum peropportune ad hostem
cendum inter Viennam et hostem situm relictum
cuum praesidio. Aliam affert Iovius discessus ca
sam, cum ponte oppidum adiri, arborum procerita

prospectum adimente, ignoraret, alio, desperato consilii eventu iter flexisse. Quae nobis quidem ridicula caussa videtur, quibus magis verisimile fit, frondosas arbores, ut ipse ait, medias interiectas, speculae usum, unde omnia circa despicerentur, volenti, ut par erat regionem explorare, praebere potuisse. Tametsi ne hoc quidem credendum, Cassonum, in cuius potestate multi periti eius regionis essent, ignorasse an oppidum ponte iungeretur, praesertim quod per nundinarum celebritatem, ab omnibus fere gentibus frequentari semel atque iterum quotannis soleret. Quid quod superiore bello a Solimano praemissus, magna cum populorum clade cum expedito equitatu pervagatus per ea ipsa loca excursiones fecerat. Illa verior caussa, qui et sui muneris, et mandatorum meminisset, non censuisse sibi oppidum tentandum, contra atque illi ab imperatore praescriptum esset, non idoneo militum genere urbibus oppugnandis, non tormentorum apparatu instructo, praesertim quo propediem cum selectissimis copiis magni nominis ducibus, exercitu florentissimo ferretur Carolus Caesar venturus. Ergo Cassonus, quaecumque consilii caussa esset, longe latcque regionem depopulatus, refertos praeda equites et captivorum turba, retro reducere ad Solimanum constituit. Multum fortuna in rebus aliis omnibus, plurimum in bellicis rebus potest. Falsus coniectura itineris dux, cum Solimanum non longe a Guintzio processisse existimaret, innumerabiles copias trahentem audivit in Stiriam progressum, Gratium ducere, quae urbs est regionis caput, qui illi error exitio fuit. Nam et tam effusae populationis fama, et plorantium ac quiritantium clamoribus, inprimis pagorum atque arcium incendiis, exciti Germani, cum suspicati essent, id

quod erat, Turcas adesse: quisque privato consilio
ma capiunt, hostium simili fugae receptu, quoni
duces de rei ratione gerendae consultarent, spati
adimente. Eo autem erat magis barbaris acceler
dum, quo impediti praeda, defessis equis longo itine
labore, opportunos se magis, ubi minus celeritati s
derent, insequentibus Germanis reddebant. Acce
bat domesticus dolor, quo Germani elati tum ad pr
dam recuperandam, tum ad redimendos suos inci
bantur, qui in tetram servitutem abducerentur,
nec satis in equis pernicitatis esse ad persequend
quererentur, et inter se inertiae et segnitiae damnare
Avalus quidem Italorum dux, ad Cremsium milit
Danubium transmissum, alio itinere, per saltus et
vas, qua speraret se hostem accelerantem vestig
adepturum, ducit. Itinere diverso Fridericus Pal
nus, qui Germanorum copiis praeerat, sive ipse
sponte ductus coniectura, sive ab exploratoribus c
tior factus, Viennam contendit, inde ex ratione te
poris et hostium receptu consilia capturus. Eod
tempore Austrii duces, quorum animos foeda
cendiis patria, liberi in servitutem abducti, ce
ris incendebant vehementius, tum Lodronius Con
unus Italorum militum dux, Boemi, Moravi, equi
Vngari maxime inveterato in barbaros odio, ob
illatas patriae clades, variis singuli regionibus l
stium adventum intenti observabant. Varia pro cui
que ingenio consilia, unus finis consiliorum erat,
insidentes opportunis locis tegendis consiliis, inc
tos hostes exciperent, quibus properantibus ad Sc
manum haud satis explorato, atque ex rei milita
usu iter facere liceret. Avalus cum incertus cons
per devia loca, dubia praesertim hostium fama, duc

militem non auderet, tertio a profectione die, cum in subitam expeditionem educto militi vix quantum cibariorum satis per tridui spatium crederetur, exportare licuisset, Cremsium rediit, atque inde Viennam militem duxit. Erat ita Cassono iter ad Solimanum intendendum, ut inter utrumque interpositos montes superari necesse esset, quibus Austria a superiore Pannonia dirimitur, quae veteribus creditur prima consularis fuisse: Montes a flumine Danubio, non magno relicto spatio, qua aegre singulis curribus liceat commeare, leni acclivitate in modicam altitudinem attolluntur. Tractus omnis regionis cum oppidorum frequentia, tum situs opportunitate, inprimis clementia coeli, et soli ubertate feracissimus. Iidem qua sensim se in subiectos campos demittunt fauces aperiunt, utrimque proceribus arboribus convalles tegentibus, quae aptae maxime struendis insidiis habentur. In his convallibus, cum alii aliis in locis, tum Neustadienses, cognito ab exploratoribus, Cassonum in proxima convalle aquandi caussa substitisse, ad V armatorum millia, qui intenti hostium adventum opperiebantur, sese e locis editioribus, qua leviter declivis mons descensum molliorem praebebat, demittunt, atque impetum in pabulatores faciunt, et si quos alios aquatum lignatumque egressos, praecipiti cursu se invehentibus obtulit casus, atque multos ex iis interficiunt. Interea equites Turcae, qui ad clamorem militum e clivo decurrentium excitati arma induerant, iam comparatis ad dimicandum animis, suis auxilio accurrunt, atque equis confertis densata fronte, coeco furore in se irruentes et currendo ac pugnando fessos integri viribus, et numero superiores excipiunt. Neque diu nostri equitum vim sustinuerunt. Magna pars

caesi, capti alii, nonnulli cum se in propinquam dem immersissent, aqua umbilico tenus exst noctem quae secuta est traduxerunt, atque ind lucem cursu effuso aegre se Neustadium recep facile barbaris patientibus, quibus quidem pro n victoria fuisset, persequentium se hostium imp magna cum caede repressisse. Praeter alios, qui pugna ceciderunt, numerat Iovius nobiles al Hispanos adolescentes, et qui honestos ordines tiae duxerant. Nam, qui his praeerat, Ludovicum veium, cum pernicissimo equo uteretur, supra casa sticanae septum, quo area clauditur, saltu elatum columem ad Germanos se recepisse ait. Qui qui quamquam de loco superiore, et unde dispici comm omnia possent, quae infra gererentur, quantoque discrimine sui versarentur non ignorarent, otiosos modo spectatores, adversus omnium adhortationes firmati praebuerunt; qua quidem in re narranda, ut cile patiar Iovium aliis suam fidem probare, non d simulabo Iovii in Germanos odium non obscurum cuius impotens, nullam occasionem omittit, stilum nobilissimam gentem perstringendi, mihi illius fide reddere suspectam. Inde Cassonus veritus, ni ite acceleraret, ne limoso ac palustri loco sibi esset cur hostium expedito peditatu pugnandum, unde equ aegre moliri pedes altis haerentes vestigiis ac se ex pedire ad pugnam possent; multa nocte discessit tetro immanitatis spectaculo in omnem posteritatem futuro, quatuor captivorum millibus, quo expeditior agmine eunti explicatior fuga esset, interfectis. Cuius consilii exitus, ut appareret vigere in terris dei im mortalis numen, cuius providentia res hominum re gantur, illi tristis et exitiosus fuit. Ex uno equitum

agmine duobus instructis, alterum, cui Ferisus praerat, vir industrius et magni animi, alia properare via ad Solimanum iussit; alia ipse non aeque laetis auspiciis alterum duxit. Ferisus enim cum ad meridiem converso itinere, silvas quae densae intercedebant, dolabris, securibusque caedendas exactor operis acerrimus curasset, suorum eximia opera usus incolumis ad Solimanum pervenit. Alia Cassonum fortuna excepit; cum per vallem, qua est situm oppidum Storambergum iter haberet, in Fridericum Palatinum militum Germanorum ducem incurrit, cum augustae principem dignitatis, tum qui animi fortitudine nobilitatem et splendorem generis aequaret. Is in omnem occasionem intentus, non procul Leopoldio ignobili vico castra habebat, ut non sine spe rem bene gerendi, observato hostis tempore, ita egregiis copiis tormentisque instructus: XII enim peditum millia, duo equitum cataphractorum in armis habebat, tum minora tormenta XX quae campestria vulgo milites vocant. Quae vires, ut cetera abessent, satis firmae ad hostes terrendos, ut etiam maiores aliquanto quam essent crederentur, palustribus locis exorta subito nebula perfecit, quae offusis circa tenebris, visum fallebat (quod in metu accidere solet) maiora vero, quae semel sibi cavenda statuissent, cum adessent credentium. Mox calescente sole discussa nebula dux paucis suos adhortatus in Turcas hostes contra infestis hastis venientes dirigere tormenta, et simul gravis armaturae equites propellere gradum inferentes iubet. Ita repente emissis e tormentis globis Turcae equites, aut foeda strage sternebantur, aut declinantes a via, id quod erat crebro agendum, vitantibus tormentorum ictus, in viae adiacentem paludem equos flectere co-

nabantur, ubi alto limo hausti miserandum in modum interibant, ut in tantis malis tamen, cum nonnulli strenue ex equis desilientes eniteudo eluctandoque e palude emergerent, pertinaci virtute sibi viam ad suos aperientes, praeter nostrorum agmina, suos servantes ordines progrediebantur, tantam eorum audaciam ita Germanis admirantibus, ut stupore defixis i praetereuntes oculis, quasi spectaculi et pompae, non belli et pugnae esset tempus, loco immobiles haerebant. Qua suorum cunctatione Palatinus animadversa: Enimvero, inquit, cito vobis effluxit, milites, ferocia illa animorum, illae minae, spiritus illi exciderunt, quibus tumentes, bellum, arma, classicum, evertendum vobis Turcarum imperium poscebatis. Itane vero? hoc potestis ferre, ut spectatores ipsi hostium virtutis, vestrae nequitiae hostes spectatores reddatis? Hic animorum ardor? haec vis? haec alacritas? Tantam ignominiam Germani, invicta olim bello gens, Martia vera et Germana progenies, poterunt sustinere, ut otiosi spectent praeter instructam suorum aciem in hostico impune barbaros hostes tamquam in pacato suis servatis ordinibus progredientes. Non passi Germani ulterius progredi dicendo, clamore sublato, cum eodem tempore dux tuba signum dari, et signa concinere iussisset hinc gravis armaturae equites in latera incurrentes hinc pedites, qua densata acies erat inpenetrabilis hastatorum phalanges in hostes irruunt, tanto quidem impetu, ut quamquam veteranus miles, et pari animorum et corporum robore, aut hastis confossi, aut protriti equorum pedibus, pecorum in modum interficerentur. Supra tertiam equitatus partem ait Iovius desideratam, in his, quae maior iactura fuit, Cassonum ducem, cum in postremo agmine fortissime dimicans

incumbentium in se Germanorum impetum, quo latius fugae spatium suis, qui antecesserant, ad salutem relinqueretur, sustineret: iam enim Lodronius, qui non longius a palatino VII mill. passuum aberat, sive missis ab illo nunciis, sive factus certior fama, cum ea, cui praeerat, militum manu, ei ire auxilio properabat. Iovius in principio monitum tormentorum strepitu, mox in itinere per contractos montium flexus et vallium sinus, armorum sonitu exaudito, qui variis in locis reciprocando, veri conflictus imaginem referebat, movisse ait. Quaecumque eius rei caussa fuerit, ubi ulterius progresso occurrentes palati hostes rei gestae fidem fecerunt, veritus dux, ne si dirigeret in adversos tormenta, cum fugientibus immixti persequentes nostri peterentur, suos distringere gladios, et rem gerere cominus, ut eorum virtus postulabat, cum hoste iubet. Interea trecenti e fugientium Turcarum agmine, cum alios cursu praevertissent, futurae caedis solatium ex hostium exitio quaerentes, quae ante oculos obversabatur, eo impetu nostros sunt adorti, ut in vulnera et caedem ruentes, furentium *) et bacchantium similes, unam ultro appetere mortem vindicem infelicis vitae acti vesana rabie viderentur. Sed breve iis solatium fuit. Ad unum omnes, victa ferocia animi, interfecti. Inde Lodronius suis cum Ioachimi Brandenburgensis copiis iunctis, ex suis unam peditum aciem efficit, ita ab uno ad alterum cornu in latitudinem porrectam, ut sensim introrsus recedens, medium efficeret sinum. Ea visa idonea forma ad hostes excipiendos, effusa fuga dissipatos, quos quidem spes erat, mox longius productis cornibus, medios posse circum-

*) Itt végkép megszakad a Bécsi Codex.

T. F.

veniri. Neque a Lodronii consilio Brandenburgen
discessit, duobus millibus equitum ita collocatis,
aeque sinuosa acie territos barbaros superiore clad
et in fuga disiectos, circumductis alis, clauderet. Q
bus hostes animadversis, pavore et trepidatione,
quod saepe in deplorata spe salutis accidit, in tem
rariam audaciam et ferociam conversa, ultro ipsi in
runt pedem, nequidquam arma, tela, tormenta nost
obiicientibus, cum ut viros fortes deceret, id unum c
rarent, quando cadendum esset, ne inulti morerentu
Multi tamen, cum conferti nostrorum vim impetumq
elusissent, equorum pernicitate et robore perrumpe
tes Germanorum ordines incolumes se in propinqua
planiciem e media caede subduxerunt. Quamqua
vero macilentis, et strigosis equis uterentur, cum e
contumax labor, aut persequentes victos, aut fugie
tes victores confecisset: assueti tamen exiguo pabu
victum tolerare, et suopte ingenio celeres atque exp
diti, facile statarios Germanorum et graves tum su
tum armatorum pondere, longo spatio praevertente
post se retro reliquerunt. Ita Turcae elusis urgent
bus in vestigiis hostibus, qua concitatos fuga casu
temeritas, et itineris ratio agebat, in late subiecte
campos perveniunt, qui soli natura fertiles, et maxim
humano victui et pecori alendo opportuni, ad oppidu
Novecclesiam pertinent, quod Neukirchen Germa
appellant. Oppidum ipsum ob situs opportunitatem i
colarumque frequentia, placido amni e leni alveo te
ram irrigante, qui idem moenia praeterlabitur, et e
terorum commercio celebre habetur: ut defessis lon
itineris labore, nihil accidere commodius aut opport
nius posset. Felicissimus quidem terrarum tractus, coe
aspiratione salubri, et copia frugum omnis generi

quam ager feracissimus, tum late herbescentia prata et laeta pascuis hominibus iumentisque administrant. Ita dum Turcae, tamquam diei periculo perfuncto, solutioribus animis corpora curant, novo atque inexpectato malo, quo gravius esset, subito opprimuntur. Cacianerus Germanorum militum dux, tot clades et funera perpessis ultima pestis atque exitium fuit. Signo e tectis domorum et speculis accepto, Turcas non procul vagari, cum eadem fama consentiens ferret, ea cum militum manu, quam habebat (Iovius tria equitum millia fuisse tradit), ad illos contendit. De improviso Turcas oppressos, neque animi praesentia, neque vires deficiunt, quamquam tot iactatos ac vexatos malis, ex iis paucis, dum equos atque arma expediunt, interfectis. Alii constantia adnixi et animi magnitudine, ancipitem nostris pugnam fecerunt, atque adeo etiamsi numero inferiores, a pluribus circumventi, nunc in adversos pugnare, nunc aversi ipsi ab iis, qui in fronte proeliabantur, in eos qui a tergo adoriebantur, ferrum distringere cogerentur. Quo in rerum discrimine dum Turcae versantur, magni nominis Vngarorum duces, Toeroekius, Bakithius, Baldassar Bamfius, magna cum equitum manu superveniunt, atque animis et viribus integris pugnam instaurant. Nullum militum genus aeque Turcae atque Vngaros horrent. In aliis multis rei militaris disciplina par, atque armorum genus, sive pedibus sive equo mereantur, concurrendi pugnandique eadem ratio, neque varius militaris ornatus: Vngarorum praesentiores animi, ut pugnantes prius mori in vestigiis, quam cedere loco malint. Ita cum sublato clamore adesse Vngaros, et de integro pugnam cieri animadverterent, spe omni salutis abiecta, praecipites terga vertunt, iam fugae, equis invalidis, in quibus

ne quid perfugii recentibus etiam atque integris
bore esset, urgentes in vestigiis Vngari rece
equis efficiebant. quos, ut alibi diximus, impens
dio undique conquisitos e vicina Thracia, m
aptos ad celeritatem alunt. Fugientes Turcas,
tum diei spatium superfuit. Vngari persecuti in c
magna hominum caede facta redierunt, cum insi
fortitudinis laudem omnium consensu eo die re
sent. Ex octo millibus equitum, cum eodem die t
proeliis male ab his pugnatum esset, perpauci in
mes ad Solimanum, testes acceptae cladis, perve
Interea Carolus Caesar, Lincii nunciis acceptis, S
manum in Stiriam cum universo exercitu progress
de ratione belli gerendi consultabat, incertus cons
utrum persecutus hostem cum omnibus copiis cog
acie decernere (invitum enim eo descensurum arbit
batur, an peteret Viennam, illic e Stiria redeunt
exspectaturus. Etsi autem magna pars opem ferend
censebat vexatae provinciae omni belli clade, idq
inprimis pertinere ad Caesaris maiestatem existim
bant, in cuius ditione Stiria, atque illi adiunctae pr
vinciae essent: multos tamen terrebant per praeruptu
atque arduum iter impedimenta magni exercitus
tormenta trahenda, quorum difficilis subvectio per ca
pestria etiam et demissa loca ducentibus haberet
Accedebat aliud incommodum, in populata atque ev
sa provincia, in qua desertis pagis, incensis urbib
omnia barbaris praedae cessissent, nihil relictu
quod exercitui alendo esset, cum quidem avarus mil
qui nihil sibi reliqui ad summam avaritiam feciss
ne oneri essent, multa corrupisset. Nam quod esse
qui crederent aequiore conditione pugnaturos, adept
hostem angustis locis (nullius enim usus tum equi

tum futurum, quo uno maxime nitebatur), omnino nihil esse. Dei immortalis beneficio Carolum V. Caesarem, nequid esset ab hostium multitudine timendum, et virtute, et disciplina, et numero adeo militum, qui vere milites haberentur, hoste barbaro superiorem. Maiorem barbari exercitus partem imbellem turbam, vix ut credendum esset, decimum quemque aptiorem pugnando cum hoste armato, quam materiae caedendae, aut fodiendo agro. Ita quicquid commodi sperandum esset in angustiis pugnantibus, quod ipsum tamen asperi ac praerupti itineris incommoda, quae essent necessario adeunda, minime compensaret, aequatum iri maiore commeatuum copia: Viennam enim petentibus, e feraci agro, et urbanis horreis, magnam frumenti, magnam pabuli vim suppeditatum iri. Accedere fluminis opportunitatem, ut quae soli natura non subministraret, tum alia necessaria, quibus exercitus indigeret, tum peregrinas omnis generis et transmarinas merces liceret secundo flumine importare. Vt haec sententia vinceret, quae et tutior et speciosior erat, plurimum attulit momenti reversus Apontius Hispanus, vir rei militaris scientia atque usu clarus, quem Caesar praemiserat regionem et tractum omnem, qua esset iter in Stiriam habendum, exploratum. Nam his fere consentientia attulerat, quae acta in consilio erant, iis, qui Viennam et Vngariam spectabant, multo, ut credebat, meliore consilio assensus. Quae quamquam ita essent, non defuerunt tamen, qui honestatis potius quam incommodi memores, quod manebat omnibus persequentes hostem viribus, a tergo urgendum a pugnae discrimine refugientem omissis omnibus aliis consiliis censerent. Ac video quidem esse nonnullos ex eorum numero, qui haec litteris mandarunt (multi vero

eodem tempore fuerunt), qui huic adversam
tiam tueantur, quos facile patior ingenio ind
assuetos homines studio militum et gratiae da
minime servire scribentem decet; sed nullius e
apud me auctoritas, ut non pluris ratio sit. Et
illatum bellum nostri defendebant, inferebant T
belli apparatus tamen, et ea ipsa ratio propu
belli, fidem faciebat, quo consilio itum esset ad
Nam si hoc unum modo Caesari spectandum er
bellum propulsaret a Turca illatum, ut minus et
Germania moveret, licebat, urbibus praesidiis mu
quod superiore Solimani expeditione actum erat, s
animo belli curis vacare discidiis Germanorum to
dis, quae imminenti Christianae reipublicae ingen
malorum moli aditum aperiebant. Equidem credo
inferenti arma et propulsanti pariter unum proposi
finem: vicit hostis exitium. „Non enim iisdem legi
magni reges de publicis rebus bello decernunt, q
bus in foro privati de communibus controversiis,
cum iudex pronunciarit, pariter, et qui victus dis
dit, et qui vicit, stare rebus iudicatis cogatur, spe a
scissa ulterius progrediendi." Nullus est belli geren
modus, quamdiu is qui intulit bellum est in armis:
quo quidem nemo credit satis se inposterum tutum
nisi ipse efficiat ultro bello hostem persequendo, n
sibi illius arma timenda sint; cuius rei exemplis illu
stribus sunt referti gentium omnium annales. Caesa
rem Viennam secundo flumine delatum, exercitus du
ces clari bellica virtute homines, militum multitudin
prosequente urbanae immixta, laetis acclamationibu
faustisque ominibus accipiunt, felicem illius adventun
et salutarem, non Vngaris et Germanis solum, se
universo etiam Christiano orbi ominantes. Inde varii

spectaculis et ludicris certaminibus dati aliquot dies, quibus simul relaxarentur curis animi, simul exercerentur vires, paullo post in verum hostem a falsa imagine rerum traducendae. Ac multus quidem est Iovius his explicandis; quem quidem sequi auctorem quamdiu meminit quod scribentis munus sit, et volumus, et prae nobis adeo ferimus, ne muneris suscepti immemorem sequamur, nostra nos fides monet, quae ad maiora properantes rapit, et quae propria huius muneris habentur; facile patientes illi luxuriare ingenium tum Caesaris tum aliorum ducum ornatu describendo, quo genere armorum instructi essent, qua chlamyde, qua induti trabea, quo picta opere, auro an holoserico vellere intertexta, tum de galeae cono, et de cristis, purpureis plumis, an discoloribus comantes aura ventilaret, quae omnia forte in matronarum nobilium coetu grata accidant, et aliorum in meliore sexu muliebre ingenium referentium, viris et robustis sordent, quae se digna sint a scriptore rerum poscentibus. Erant quidem Caesaris florentissimae copiae, e nobilissimis Europae populis certatim viris fortissimis sacram militiam profitentibus, quos gloriae spes excierat ad bellum. Quicquid roboris in veterano milite aut Germania habebat, aut per longum annorum spatium iactata Italia perpetuis bellis, quicquid Helvetii, Hispani, eodem contractu, quasi universo orbis spectaculo futurum visebatur, nobiles iuvenes et generosae indolis, tum quos natos obscuro loco, spes illustrandi nominis, ad capessendum militare decus excitaverat; omnium maxime ex Vngarica nobilitate vigentes iuventae robore, qui non solum militiae honorem, sed voluptatem ulciscendi domesticum dolorem, per immanium hostium excidium petebant, sibi princi-

pem pugnae locum in acie sumentes. Addit Iovius, quod verisimile est, multos e Polonis generis spl dore illustres bello interfuisse, verae gloriae aemul connivente Sigismundo, qui ne publice auxilia mit ret foedere impediebatur, quod olim cum Selimo ict cum Solimano non semel erat instauratum. Inde c copiae lustratae essent, peditum XC millia, equit triginta, inventa praeter servitia, validam iuven manum, qui etiamsi non essent militiae adscripti, nobiles homines erant, secuti ad bellum, ut incit spe melioris fortunae, et iis necessaria ministeria (ire, et navare egregiam operam in acie armati posse Fuisse quidem in Caesaris castris bellatorum CCI millia atque eo amplius, non Iovius solum, sed a etiam tradunt. Habeo equidem gravem auctorem, e dem nobilem hominem, qui huic bello interfuit, Fra ciscum Turrium, cuius supra mentionem fecimus, l buisse Ferdinandum in armis missos a Germanis imperii formula militum XL millia, qui ad eam p tem sublicii pontis erant collocati, quam vulgo G mani Velf appellant, his XII millibus Hispanorum a iunctis, ferreis fistulis instructis. Eiusdem militiae l lorum delectorum X millibus stationem extra urb decretam. Praeter hunc numerum fuisse veteranor Vngarorum copias, in quibus aliquot Huzaronum n lia censerentur, tum ex Austria, Stiria, Carinth multos qui equo merebant, cum Rhetorum equita quorum omnium numerum ad C hominum milli summam pervenisse ait. Idem auctor est intentissi cura comparatam classem tum milite, tum telis om generis, et tormentis instructissimam, quae variis I nubii regionibus in statione posita spem hosti prae deret, quidquam ab ea parte moliendi, cui classi

colaus Rauberus, vir fortis atque industrius, praeesse erat iussus. Affirmant vero grandes natu homines, et periti rerum, numerosos exercitus multos, et sua et maiorum memoria, alte repetita e priscorum temporum annalibus, in Germania, Gallia, Italia conscriptos, quorum nullum contendebant cum hoc uno conferendum. Nam Italus ipse vere possum affirmare, eius temporis aequalis, tantum animorum studium atque alacritatem in omnibus extitisse, ut videretur excita suis sedibus Italia, quidquid haberet virium et roboris, in hanc unam expeditionem profundere. Non, euntibus ad bellum sufficiebant armorum officinae, non aerariae tormentis conflandis, non Italiae, Thraciae, Hispaniae armenta equis suppeditandis. Vnum erat, per hominum conventus, et fora ac compita omnia in omnium ore: Carolus Caesar, Solimanus hostis, Vngaria, Austria, Germania, Christianus orbis, dira Turcarum barbarie ultore ac vindice Carolo V. liberandus; quae brevi, tanto maiore cum nostro dedecore exoleverunt, quanto maiore cum plausu celebritateque ferebantur. Vngaris quidem in speciem modo ostentatum auxilium, mox exitio fuit, qui non armorum pompa, sed animorum robore, et ad debellandum praepotentem hostem viribus certis indigebant. Magnum vero hominum concursum, sacrae expeditionis nomen, virtuti desponsa ingentia praemia pro orbis terrae liberatione sumentibus arma, faciebant; omnium maxime Caroli V. Caesaris felicitas illustribus victoriis multis sancita, quem maxime vellent, hominibus spondebat belli finem. Nemo quidem erat, quin ita statueret, quicumque militiae locus iis contigisset, qui tanto imperatore mererent, honestissimum esse, ut infimus etiam haberetur. Itaque multi, quos insignia militiae decora ad honestos

ordines provexissent, multi qui equitum praefecti, centuriones, signiferi superioribus bellis fuissent, inter manipulares conspiciebantur, ut honestare locum, quae est solida laus viris magnis expetenda, non loco honestari viderentur. Erat quidem Caesaris consilium ita exercitum instructum habere, ut cum se equitatu esse inferiorem intelligeret, non committeret, longius ab urbe recedendo, ut ab hoste barbaro, late effuso equitatu, quo maxime valebat, a flumine excluderetur, id quod non poterat accidere sine insigni exercitus detrimento. Nam (impedita) ab hoste commeatuum et necessariarum rerum subvectione, brevi erat futurum, ut tantus exercitus re frumentaria laboraret. Ita vero universam instrui aciem placebat, ut tria hastatorum agmina contra hostem constituerentur, non conferta illa quidem, sed aequis intervallis inter se distantia, ut in his esset spatium ad equitatum accipiendum, quem quidem ab utroque latere septum hastatorum phalange spes esset in concursu validiorem in hostem impressionem facturum. Dextro cornu Carolum, sinistro Ferdinandum fratrem, circumdatum peditum corona praeesse placebat, qui e ferreis fistulis glandibus emissis ab hostium incursu latera tuerentur. Horum acies viginti hominum millia in orbem accepta hastatorum agmina, perpetuo ambitu inclusa claudebant, quibus si quid durius accideret, non ita magno spatio inter utramque aciem relicto, receptus ad hastatos pateret. Tormenta ante levem armaturam collocata, ut simul atque pilas emisissent, pro munimento obiecta impedimento hosti irrumpenti essent. Vngari equites, quibus Toeroekius et Bakithius praeerant, liberam militiam sibi poposcerunt, ita parati animo, ut, quo usus posceret, explicatis alis laboran-

tibus subsidio irent. Hic tantus apparatus belli, qui consignatus monumentis omnium gentium, in omni memoria vigebit, quid possint Christiani reges docuit, ubi singuli in medium explicatis viribus, adversus communem hostem concordibus animis coirent, et ut deceret eo loco positos, qui in Christiana republica summus haberetur. Docuit quidem Solimanus, penes quos crediderit victoriam futuram, siquando tentaret fortunam proelii, a qua se tam foede subtraxisset: apparuit certe affuisse vires, quas sibi deesse querebantur; abfuisse alacritatem et studium, quo in mutuam perniciem flagrantes in procuratione reipublicae languerent, quo iis minus liceat deprecari perpetuam haerentem nomini infamiam, cuius immemores, prae odiis privatis terrarum orbem immanibus hostibus tantae pestis contagione evertendum prodiderunt. Neque tum Carolo Caesari affuit vetus hostis Gallus, novus hostis Anglus Rex, non Polonus, non Venetorum civitas potentissima, non alii Italiae reguli, quorum vires quantae erant accessioni futurae gerentibus in Turcam bellum? Equidem haud scio satiusne fuerit, ignorari quantae nostrae vires essent, an ita in apertum proferri, ut per eam occasionem nudatis animis male cum viribus consentientibus, maiore cum culpa peccare, et dedecore videremur. Atque haec quidem expeditio, quae celebrata omnium gentium scriptis, praedicatione, fama: inanis pompae simile habuit initium, similem eventum. Sedulitate principum, et studio incredibili comparatam ita est posteritas acceptura, ut intelligant, potuisse tantis copiis cum Turca debellari; quaerant, cur debellatum, cum licuerit, cum Turca non sit. Vere illa gloriosa expeditio, quae nostra aetate a Philippo Rege, et civitate

Venetorum in Turcam suscepta, memorabili victo
in omni posteritate ad Echinadas insulas parta, l
lum clausit. Interea Solimanus, qui longe alio con
lio susceperat bellum, quam sibi gerendum intelli
bat, cum de iis quae gesta in Austria essent cer
nuncios accepisset, quamdiu per anni tempus licer
signa referre, et redire Byzantium constituit, in mag
idoneum tempus instauraturus bellum, et cum a frat
tuendo adversus hostilia arma volentem esse auxil
alii averterent casus. Ita retro converso itinere, int
duos amnes Savum et Dravum, multis affectum exe
citum incommodis et detrimentis, Belgradum reduxi
Nam praeter equitum caedem, quos, Cassono duc
miserat Austriam populatum, multos in postremo ag
mine, agrestes, manu facta interfecerant, fama rerum
gestarum in Austria ad illos perlata. Neque alia Ca
roli Caesaris sententia fuit. Satis se officio functu
arbitratus, qui territum suo adventu hostem, domesti
cis viribus hostium contemptione superbum multis ac
ceptis cladibus ex Vngariae finibus expulisset; redir
constituit, appetente iam hieme, anni tempore minim
ad rem gerendam opportuno. Itaque quidquid Ferdi
nandus multis precibus fratrem obtestatus retinere co
natus esset, erectus in spem, ubi pateretur se exora
adversarium (post) Solimani discessum ex Vngaria pe
lendi, non potuit animum inducere, ut maneret, ver
tus hiemis incommoda, quae aegre vitari poterant, ul
diutius fratris spe bellum duceret. Etsi vero nemo fe
erat, qui dubitaret, quin Ioannes Rex, de cuius viribu
plurimum erat per tam foedum belli eventum detractum
incumbentem in suum exitium Caesarem minime esse
exspectaturus, ad neminem tamen magis quam ad Cae
sarem pertinebat, dare operam ,ne quid temere age

do; opinio quae magna esset de illius virtute et magnitudine animi suscepta, homines falleret, in magnam expectationem de belli eventu erectos: urbs enim munita Vngarorum et Turcarum validis praesidiis non ita facilis expugnatu, et ad longam tolerandam obsidionem, omni genere commeatuum erat instructissima; ut verisimile esset iam frumentis in horrea subvectis obsidentes citius quam obsessos a re frumentaria laboraturos. Nam, tertio ante anno idem ipse Solimanus docuerat, adductis Viennam CC amplius hominum millibus, non facile urbem, propugnatorum virtute et robore, tantarum virium impetum ac vim sustinente, quantumvis maximis copiis circumsessam redigi temere in potestatem posse. Cur vero expeditionem tentaret, quae suscepta adverso anni tempore, aut pertinaciae damnaret diu nequidquam in obsidione manentem, nulla aut perexigua cum potiundi spe, aut confessionem exprimeret a soluente obsidionem, parum sua virtute et constantia fidentis. Nemo vero erat qui crederet adversarium, qui minime ignoraret, non Solimanum prius, quam se bello peti, oppressum iri et suis et Turcarum auxiliis imparatum, hoc uno nomine apud illum Gritto relicto, ut esset, cuius auctoritate atque imperio Turcae in officio continerentur. Accedebat ad ceteras caussas orta in castris pestilentiae lues; quae primo vulgata per ignobilia capita, mox latius indies serpendo, illustres viros omnium ordinum corripuerat, maximo Caesaris terrore, ne invictum exercitum a barbarorum armis, divina vis sterneret pestilentia grassante, quam nullis hominum consiliis, nulla ope tolli spes esset, nisi Dei immortalis ira castis precibus et piis votis hominum placata. Auxit terrorem visa per eosdem dies crinita stella,

credita semper, ubi appareat, pestem, hominum cae des, maximorum regum interitum, ac rerumpublica rum et regnorum conversiones portendere. Ne paru tamen moveri fratris precibus videretur, hoc ipsu enixe precantis, qui adesset bello persequenti adve sarium, Fabricium Maremaldum se relicturum dixi spectatae hominem fortitudinis, et rei militaris cum primis peritum, cum Italorum cohortibus, quibus ea praefuturus. Sed ne promissis staret, impedivit co tumax seditio militum, qui negabant se longe a su ablegatos, saevissimo anni tempore, in magno ac alieno, rerum omnium indigentes, non persolutis st pendiis, quae foeneratorum saevitia voraret, non vest non pellibus tectos ad hiemis incommoda toleran ulterius mansuros. Nihil facilius esse quam Carolu Caesarem, Ferdinandum Regem, et secundum illo viros dignitate principes, qui copiis praeessent, ea gere militiae munera a manipularibus, cum quide non commodis solum omnibus, sed deliciis in castri et inter arma diffluerent. Quid vero magis praepost rum, quam Italis in Vngaria pro Germanis bellum g rentibus, et quidem non cum hoste Turca prius, qua cum fame, frigore, atque iis, quae ultima homini si *verenda*, Germanos in Italia sub tectis agere curis s lutos, partim a se partis bonis, partim a parentib suis relictis fruentes? Eo scilicet speciosas illas a hortationes recidisse, cum non militem ad bellu duci, sed ad victoriam, ad praedam opimam, ad triu phum Avalus, Leva, duces alii contenderent, a qu bus scelerate proditi essent, apud Caesarem, per su rum exitium, gratiae locum quaerentibus; eo Car Caesaris, Ferdinandi fratris magnificas pollicitione agros victoribus, uberes fundos, extraordinarios hon

res, luculenta praemia iactantium, ut in eorum tabulis dedita sibi nomina pro multorum mensium stipendio, scilicet merenda, morte, vulneribus, sanguine, aut tristis vitae occasus, aut devota vita barbarorum hostium servitio induceret, quibus addicti patria extorres, divulsi a coniugum et liberorum complexu, miserrimi omnium mortalium vitam amitterent crudelissime ereptam suis. Neque vanae modo quiritantium voces aut inanes questus fuere. Non suorum ullis adhortationibus a furore atque amentia revocantium, non precibus deliniri, non deterreri minis a tam audaci incepto ulla ratione potuerunt. Ad octo hominum millia gliscente seditione, cum e gregariis militibus turbulentissimum quemque delegissent, et qui disertior ceteris haberetur communi militum calamitate deploranda, signis sublatis, infesto agmine abierunt. Fama quidem obtinuit, e rebus omnibus, quae Carolus V. Caesar nostra memoria gessit, hanc unam, quae ceteris fastigium imponeret, consensu omnium fuisse, eandem poetarum nostri temporis inclytis carminibus, atque oratorum panegyricis orationibus apud gentes et nationes omnes decantatam. De qua quidem si quis est, qui cognoscere plura malit, a quibus orta seditio, qui duces amentiae fuerint, quot clades urbibus oppidisque illatae, habet alios quos consulat, quibus haec scribere operae fuit. Nostrum quidem consilium est, a suscepto scribendi argumento longius non evagari.

Reversus Byzantium Solimanus, quando tristem belli exitum sortito vis aperta atque arma minus processerant, occultis consiliis rem agere constituit, remisso in Vngariam Grittio cum fortissimorum militum praesidio, qua manu, captata discidii occasione, Ioannem, ut postea creditum est, pellere regno; quem haud

prorsus vani rumores ferebant, clam res novas moliri, et cum Ferdinando agere de concordia, ne ipse quidem iam fesso tot belli cladibus a mitioribus consiliis adhorrente. Ergo Grittius, ut Solimanus credi volebat, Ioanni regnum stabiliendi caussa arcanis acceptis a Turca mandatis, quorum quae summa esset perpauci norant, Constantinopoli proficiscitur, secum duobus millibus equitum, peditum mille e Ianizerorum militia delectis, praeterea tribus Vngarorum ducibus Iano Docio, Vrbano Batthiano, et Caspare Perussithio quorum opportuna opera ad ea perficienda, quae animo destinaverat, ut sese occasio daret, uteretur. Quorum consilia inimicorum hominum cum Ioannes non ignoraret, iam per sui studiosos e Solimani regia certior factus sibi a Grittio insidias strui, ita se animo comparaverat, ut tutus ab occultis insidiis, ad vim apertam propulsandam, de improviso oppressus vires non desideraret. Falsum a suis non fuisse, mox ea, quae sunt Grittii adventum consecuta, docuerunt. Interea per Moesos et Triballos, quam Bulgariam vocant, Grittio in Transilvaniam ingresso, cum illi honoris caussa Emericus Cibakus, qui tum Ioannis nomine provinciam administrabat, obviam processisset (nullius enim erat sibi culpae conscius, quare quidquam sibi timendum censeret), omnis curae expers in proximum oppidum Alvincium divertit, tum illius, mox Georgii Cardinalis caede apud posteros clarum. Qua re Grittius cognita, ad eum opprimendum Vrbanum Batthianium cum equitum ala Alvincium mittit, haud dubia spe, eo de medio sublato, Transilvanos ultro in Solimani ditionem concessuros. Quae longe illum opinio fefellit. Neque enim Cibaki caedem quae sperabat sunt consecuta, et, quod illi non venerat in men-

tem vereri, ex alterius exitio sibi pestem et ruinam comparavit. Nihil illi vero facilius, quam opprimere, quem fiducia recte conscii animi muniebat, praesertim qui meminisset, unum illum praecipuum auctorem Solimano fuisse Ioannis restituendi; qui nihil admisisset, quare sibi statueret ab eo timendum: illud fuit difficilimum, quod in suscipiendis consiliis de magnis rebus debet esse primum, qui finis esset male incepta secuturus considerare, sive agendi praepostera festinatio vim consilii non admisit, quae matura consultatione praeficitur, sive tum cognosceret, qui finis temere incipientem maneret; elatum nimia cupiditate animum minus habuit in potestate, coacta clientium manu ad Grittium contendunt, atque undique circumsessum, ulterius progrediendi regrediendique facultate intercludunt. At ille, ut in subita re satis intrepidus, capto ex tempore consilio, cum eum Transilvani equites, circumductis in orbem alis, ne qua elabi posset, claussissent, suis, citatis equis se sequi iussis, per confertos et obversas tenentes in Turcas hastas, facto cuneo, Meggesium perrupit. Quo in oppido non procul sito, et ut in illis locis satis opulento, se tenere constituit, quae tolerandae non longae obsidioni essent, ut licuit oppresso temporis angustiis, cum cura comparatis, quidquid perferendum esset haud magnae morae incommodum futurum arbitratus; non enim dubitabat quin Ioannes, audita re, maturaret e suis obsesso mittere auxilium, qui regio imperio, et si id minus prodesset, armis tumultum compescerent, Transilvanis soluere obsidionem iussis. Interea ab oppugnatione et aperta vi securus, qui sciret subito collectum militem ex tumultuario delectu in eam expeditionem raptum, facile se elusurum Vngarorum impetum et minas spe-

rabat. Quae omnia illius spem magnopere fefellerunt. Aderat Transilvanis Petrus Moldavus regulus, et Transalpinus, quorum uterque a Solimano erat iussus Grittium et copiis et commeatibus iuvare. Neque illi neglectum Solimani imperium. Et omni alio genere liberalitatis advenientem prosecuti sunt, et itineris comites in Transilvaniam, ubique tuto et pacato itinere deduxerunt. Quae quamquam ita essent, post Cibakum interfectum, sive offensi rei indignitate sua sponte in Cibaki caussam propensi, sive, id quod erat, suspicati res novas moliri, quae ubi ex sententia succederent, esset verendum, ne altius efferret animos quam suis rationibus expediret (nihil enim verisimilius videbatur, quam a scelere exorsum, scelere sibi ad vasta atque immania consilia, quae animo agitaret, aditum patefacturum), ab eo repente alienatis animis, se cum Cibaki propinquis coniunxerunt. Interea Transilvani, admotis ad oppidum castris, per crebras stationes custodias disponunt, ne qua inclusis fugae facultas daretur, in unam curam intenti, ut cum suis vivo Grittio potirentur, illius caede et sanguine Cibaki manibus parentaturi. Cum diutius omnium spe Grittius obsidionem tolerasset, Bathianius et Perusithius, mobilis fidei homines, cum popularibus communicato consilio, de Grittio Transilvanis dedendo agunt, unum modo, ne sibi Cibaki caedes fraudi esset postulantes. In eo se errasse, quod passi essent sibi persuaderi, ut in Grittii comitatu essent; semel addictis illius imperio, quod tamen nomine Grittii, re Solimani imperium esset, a quo in Vngariam legaretur, quin imperanti etiam quae minus vellent parerent, non fuisse sibi recusandum. Cum facile iis necessitatibus excusationem probassent, aventibus, quod unum maxime

erat in optatis, per eos Grittium redigere in potestatem, facile venia impetrata illis portas aperuerunt. Ita ingressi Transilvani Turcis, quicumque erant, ad unum interfectis, vivum Grittium captum cum duobus liberis, a quorum caede propter aetatem temperatum est, et Ioanne Docio Cibaki inimico acerrimo, calentibus e recenti Cibaki caede iracundia animis, obtruncant virum, in omni posteritate memorabilem, ni illi fortuna plus aequo in principio visa favere, ultra moderato homini praescriptos fines illius spes extulisset. Andreas Grittius pater, quem alibi diximus Venetae reipublicae principatum amplissimis in patriam meritis adeptum, eum susceperat, quoniam ex impari natus esset, legibus et moribus civitatis ita honorum et magistratuum petitione exclusum, ut tamen in medio civium ordine, innixus paternis opibus, esset honestissimo apud suos loco futurus. Inde blandientem inceptis fortunam, cum mercaturae deditus rem Byzantii proventu multo maiore, sua spe auxisset, quantum fert humanarum rerum ratio beatus futurus, si se magis ex aliorum, quam ex suo iudicio aestimaret; praeter ea quam sibi animo destinaverat, praesentem fortunam aspernatus, nec qui esse voluit fuit, ad maiora erecto animo, quam quae ferret privati hominis captus, et qui esse potuit noluit, sive domi, sive foris ageret, haud dubie futurus sui ordinis princeps. Haec ita gesta, ut Vngari tradunt, cum fide retulimus, minime tamen ignari longe ab his diversa Iovium prodidisse. Exorsus a Grittio, multa de illius moribus atque institutis, multa de ingenio, deque iis artibus tradit, quibus per Ebraimi gratiam ad summum potentiae locum pervenit; in iis quae praesentis narrationis sunt, plane diversa ab aliis contraria tradit.

Non illi de loco. non de tempore. non de ratione g rendae rei cum Vngaris convenit. a quorum vestigi discedere non est visum. Ferunt Solimanum, cogniti quae gesta in Transilvania essent, litteras minarum denunciationum plenas ad Ioannem Regem dedis iussum suis imperare. ut soluta obsidione Grittis missum facerent, cum summa potestate a se missu in Vngariam legatum, ut pari cum illo auctoritate re bus praeesset. Si beneficii sui memor, si iniuriaru Ferdinandi esset, a quo universi Christiani orbis vi res in se essent concitatae; ita in persoluendo grat hominis officio, ut in ope imploranda suis afflictis e perditis rebus, alacrem animum sibi debere praestare His litteris ad hunc modum dicitur Ioannes respon disse: Et se vero quantum Solimano deberet recte meminisse, qui vitam illi, atque ea, sine quibus vita iucunda esse haud posset, dignitatem, nobilitatis de cus, coronam, sceptrum, orbem, alia domesticae vir tutis prius quam regni insignia accepta referret, et non commissurum, ut quando nulla alia gratiae re latio memorem sui officii sequeretur, scelere et flagitio tanto de se optime meritum principem terrarum orbis Solimanum a suis rationibus alienaret. Voluntatem quidem esse praeclaram, sed non eandem semper se qui pares vires. Quod quando se probaturum aequis atque iniquis omnibus speraret, non dubitare se, quin imperator iustissimus, pro sua clementia statueret in iis quae acta essent suum sibi animum spectandum, non facultatem agendi, cuius magnam partem sibi for tuna et casus quasi suo iure vindicaret. Quae accidis sent, ne evenirent, non potuisse sua auctoritate, ut maxime vellet prohibere, interfecto Cibako, in quem adeo effusa essent Transilvanorum studia, ut propter-

ea non esset ausus eorum conatibus obviam ire, ne cum periculo minuendae regiae maiestatis, augendi suorum sceleris ubi minus essent in potestate, nequidquam eos armis deterrere ab incepto conaretur. His Solimanus delinitus, aut quod vero propius est, deliniri visus, in opportuniorem commodioremque occasionem distulit male in principio rem tentatam. Ioanni quidem multi credunt persuasum fuisse, in his Iovius, consiliorum auctorem Grittio Laskium fuisse; eius rei caussa in carcerem coniectum parum abfuisse quin supplicio afficeretur: penes nos quidem exstat litterarum exemplum, tum Laskii ad amicos, tum Ioannis, Sigismundi regum ad alios, quibus longe abfuisse a proditionis culpa declaratur. Ita vero ille in Poloniam scripserat ad amicos e Budensi arce: Minime dubitare se, quin durus et acerbus illis nuncius de sua captivitate accidisset viris optimis et sibi amicissimis. Quae res effecisset, ut et suum dolorem simul et amicorum doleret, quorum tam egregiam in se fidem et voluntatem esse animadverteret. Nam, et illud vereri, quo vehementius animo angeretur, ne quis eorum existimaret praesenti huic suae calamitati se occasionem praebuisse; et sua enim et suorum caussa, semper statuisse sibi vitae rationes ita comparendas, ut neque sui se umquam, neque illos institutae secum coniunctionis et necessitudinis poeniteret. Inprimis quidem veritum se, ne, id quod audisset ad illos manasse (cuiusmodi id esset non addit, tamquam illis esset exploratum), male eos haberet, quod quidem si vere a se admissum esset, et sibi et amicis pariter esset dedecori futurum. Vt vero statim ab initio arduam duramque provinciam suscepisset, eiecti Regis, ut credidisset, per summam iniuriam, adversus ingen-

tes adversarii opes sublevandi, atque id quidem quaestus et compendii, sed virtutis atque honest caussa: ita dedisse operam, ut recte et cum laude choatum opus, nulla umquam interruptum cupidit aut pravitate animi, ad finem usque cum laude pe ceretur: cuius rei conscientia non sustentaretur solum, sed speraret etiam amicos, quos de se opt sentire semper credidisset, sustentatum iri. Re quidem ab eo tempore, quo se tradi custodiae n dasset, tres ex sanctiore consilio viros prudente graves ad se misisse, qui aegrum animi consola tur: Invitum se fecisse, ut in eum tam severe a adverteret, cuius quod vitam, quod patriam, quod num inter suos recuperasset, meritum esset, et qui nulla iniuria temporis oblivioni tradendum. Ta immanitatis culpam tempori tribui non sibi deb cuius ingenium ita semper a saevitia et crudelitat omnes abfuisset, ut ab ingrati animi crimine in o me de se meritos abhorruisset. Regni rationes in u caede periclitantis ita potuisse flectere animum ab sita ingenio clementia, ut certa spes solaretur, b eius sarciendi incommodi, voluntati, quae mirifica set, facultatem parem affuturam, magno cum illius fortunarum et dignitatis incremento. Quibus audi cum percunctatus esset, quae caussa Regi tam gra fuisset, in se per insignem sui nominis iacturam s viendi; respondisse illos quidem se ignorare, Reg de eo numquam interrogare ausos, sed suspicari tam quod ea fama in ore omnium esset, Grittio Laski auctorem interficiendi Cibaki fuisse, atque id ad Rege participe consiliorum, ad delendam nomini im sitam maculam, et Transilvanos in fide continend apud quos Cibaki sancta memoria esset, ad id con

lii invitum descendere coactum, veritum simul ne Transilvania deficeret populis tumultuantibus, ob indignam praefecti caedem, cuius desiderio laborarent, nisi, quasi per missum invidiae sanguinem, levi incommodo Laskii defunctus, omnibus suam integritatem atque innocentiam probaret. Atque haec quidem prior litterarum pars, in iis quae sequuntur, ad amicos conversus, mirari se ait, hanc de se suspicionem ortam, cum uno e principibus excepto Petro Perinnio, Cibakus arctissima secum amicitia et consuetudine esset iunctus, id quod nemini obscurum esset. Atque cum illius caedes secuta esset, nihil sibi prius fuisse, quam Budam profectum, Regem de iis quae acta essent coram doceret; atque hoc quidem duabus potissimum de caussis, quarum altera esset, ut in magno rerum motu Transilvania nutante, quam aptam maxime rationem esse crederet, ad exortum in provincia tumultum compescendum, explicaret; altera, ut impetrata venia liceret in Poloniam, privatis suis rationibus id postulantibus, proficisci. Nam ad magnifica illa verba, quibus Rex esset pollicitus sibi honori praesentem calamitatem futuram, ita se respondisse ait, ut e Laskia gente natum hominem deceret; seque non invitum adeo, quam orationem habuisset, persecuturum scribendo, si se eam posse consequi scribendo speraret. Quartana enim laboranti ex iniusta sui oppressione, iusta indignatione animi, et moerore contracta, et nutare caput, et labare manum, quominus sufficeret scribendi labori. Vnum se silentio non praeteriturum, quod minime a se arroganter dictum existimari vellet: ne in media quidem Polonia, et inter suos potuisse magis in respondendo esse suae gravitatis et constantiae memorem, magis immemorem temporis, et

quidem quamquam non dubitaret, quin id sibi ap illum fraudi foret, in cuius potestate positam vitam l beret. Atque has quidem Laskii litteras Ioannis I gis aliae confirmant, quarum exemplum apud nos stat: commemoratis enim verbis magnificentissi illius in se meritis, quae plurima atque amplissi aliis se litteris testatum ait. Non sumptuum magni dine deterritum inquit, non periculis ullis quib agenti suam caussam gravissimis esset perfungendu quin animi studium atque observantiam in se sing larem, nullo a se beneficio provocatus, una virtute gloriae studio incensus declararet. Cuius illius in voluntatis, cum non prius posset, quam sui oblivis in magno periculo versanti, ob exortos in regno t multus, non secus, atque ad sese illius periculum pe tineret, ut aequum esset, prospicere voluisse. Ind suis litteris ad se accersitum, per eam rationem fu renti multitudini subtraxisse, ne sua aliorum caed aucta, qui amplissimi ordinis et senatus principe oppressi interiissent, insigniorem respublica accip ret cladem, id quod intelligeret sibi omni ratione v tandum. Tantisper vero eum custodia iussisse asse vari, quae liberalis tamen et minime gravis custodi esset utique, in qua nihil praeter libertatem amittere atque id quidem, quoad sedato tumultu, salutari fa lacia, et per illum regno et per regnum illi non it multorum dierum iactura consuleretur. Quod quidem ut hoc consilio a se factum appareret, nullam ob susp cionem vel tenuissimam de illius fide, quae perpetu tenore, et dubiis suis pariter, et melioribus tempor bus in se constans semper inviolataque esset pe specta, voluisse apud praesentes homines, et qui e sent postea futuri, testes suas litteras exstare. Nequ

hoc satis Laskio fuit. Ne fictae litterae, atque assimulatae artificio ad Ioannis ingenium viderentur, a Sigismundo Rege alias impetravit, quibus fidem faciebat et Rex idem et summae virtutis adeo ac constantiae Rex, se hoc ipso argumento litteras scriptas Ioannis Regis legisse: ut mirari satis nequeam, quod nonnulli tradunt, multis Ioannis Tarnovii precibus, quem Matthaeum falso appellant, cuius erat hospitio in Polonia usus exsilii tempore, ut e custodia emissum liberaret, aegre passum se exorari. Equidem credo Laskii propinquos, quibus minus esset perspecta Ioannis Regis sententia, humanitatis officium peropportunum tuendae illius existimationi etiamsi minus necessarium haud illud requirenti praestitisse, sermonum rumorumque auctores, quibus de Ioanne aliena ab eius fide et constantia, parum rerum Vngaricarum peritis crederentur. Namque et illud addunt, ne temere haec tradere videantur, Tarnovium a Rege veteris hospitii memore, clypeo et clava Grittii donatum, digno viro principe munere, quod aestimatum quadraginta nummum Vngaricorum aureorum millibus affirmant; Terlam nobilem Polonum, Tarnovii comitem, praeter aureum torquem, generoso equo ephippiis aureis et argenteo freno instructo. Neque illud omittendum est, iam pridem Laskium honoris et benevolentiae ergo a Francisco Rege in equitum torquatorum ordinem cooptatum, procurantibus ut videtur illius necessariis, litteras ad Ioannem Regem impetrasse, quas his addi placuit, ne uno quidem commutato verbo, ut appareat maioris operis quam nonnulli tradunt, requirentibus Ioannis rebus (ut) Solimani imperio magis, quam suo ingenio morigeraretur, Laskii liberationem indiguisse; litterae quidem Francisci Regis exstant in hunc ma-

xime modum scriptae: „Cum Hieronymus Laskius, maxime ac potentissime Rex, non solum sua singula virtute, verum etiam ob magna et memorabilia in universam Vngariam, atque adeo in te ipsum, et bello et variis iisque maximis obeundis legationibus merita imprimis mihi esset notissimus, ad eaque accederet praepensum quoddam illius in meas res, imo potius erga salutem et tranquillitatem totius reipublicae Christianae studium et voluntas; facere non potui, quin tam benevolum illius animum mihi plane gratum esse testarer. Itaque eum in numerum meorum recepi; meorum dico, quos auctos et honoribus amplificatos semper volui. Ad haec, ut hominem etiam semper ad meliora inflammarem, equitum torquatorum ordini ascripsi: qui dignitatis gradus honorificentissimus, non nisi iis, quos facio plurimi, patere solet. Audio tamen quorundam delatione factum, ut apud te non modo male audiat, sed in carcerem quoque coniectus versetur in magno salutis discrimine. Quod sane vix etiam mihi persuadere potui. Posteaquam vero eiusce rei certior sum factus, volui ad te has litteras dare, quibus et te rogarem, ut istius in eum animadversionis mihi caussas aperires, et obtestarer pro nostra coniunctione, ut interea dum litteras tuas exspecto, ne quid ille adversariorum suorum insimulatione aut illius necessarii detrimenti accipiant. Cum enim eo sit ille loco, ut dictum est, et sint ea ordinis nostri sanctioris instituta, ut ne quid me ignaro contra eum decerni debeat, ratio ipsa flagitare videtur, ut ego de iis certior fiam, quae aut ad salutem, aut ad damnationem illius attinent. Quippe molestissime ferrem eum calumniatorum obtrectatione damnari; sed multo magis si sua culpa damnaretur. Sic enim de illius fide

et integritate mihi persuasi, ut suspicari non possim, hominem tot virtutibus praeditum tam cito a se ipso descivisse. Quapropter maximopere a te contendo, maxime ac potentissime Rex, ut haec omnia accuratissime perpendas, existimesque me ex animo illius negotium suscipere, remque gratissimam et te dignam facturus, si ad me diligenter de iis omnibus rescripseris: quod ut facias, te etiam atque etiam vehementer rogo. Postremo de mea erga te voluntate, sic certum habeas velim, si quando lubeat nostrae amicitiae periculum facere, intellecturum te, ac re ipsa adeo experturum nihil diminutam esse, ubi aut res tua, aut amplitudo postulabit, quemadmodum te non solum ex litteris ad te meis, quas nuper Andreae Cursino et Wrancio secretariis tuis reddendas credidi, sed etiam ex iis ipsis planissime intellexisse non dubito." Ergo rex, cum iam de Transilvanorum rerum motu, quae vellet audisset, Laskium missum fecit, sive ipse sua sponte hoc sibi agendum statuisset, sive dedisset regum et amicorum precibus, in quibus Tarnovius excellebat, atque adeo prosecutus litteris honorificentissimis, quibus, ne qua labes nomini aspergeretur, illi cautum volebat. Nam quod Iovius tormentis subiectum ait, tum ex iis ipsis litteris, de quibus iam egimus, tum ex aliis falsum esse apparet. Parum in eo Ioannem suis rationibus prospexisse, quae postea sunt secuta tempora prodiderunt. Sapientum quidem hoc praeceptum est, excellenti ingenio et virtute homines, aut non irritandos iniuria, aut, ubi cura potior securitatis quam honestatis sit, irritatos de medio tollendos. Non enim beneficio deleri iniuriae memoriam, sed refricari: cum quidem credatur per hanc rationem non affici inimicum beneficio, sed periculum redimi, quod ab iniu-

riae vindice in iniuriam inferenti impendet. Ind
ad hostem Ferdinandum transitio, Solimani iratu
mus, alia secuta incommoda, quae tolli facile sub
tia Laskii commoditate potuerunt. Vir callidus a
mo ingenio, magno rerum usu omni ratione era
cus retinendus, cavendus dubiae fidei, et benefic
liniendus potius, quam alienandus iniuria, quae
beneficio sarcienda. „Nocentia plurimum arma, si
detur facultas, ex inimici manibus extorquenda;
in nostra potestate, danda opera ne extorquea
Iam Ferdinandus sumpta fiducia e re non semel
a Solimano gesta, cum non aegre videretur
vinci, qui subire pugnae discrimen non auderet,
constituerat illi arma inferre, non minus tamen i
sario quam specioso consilio: per ea enim te
Turcae Mahemete duce, qui Belgradi praefectu
tremos provinciae fines a nostrorum incursionib
tabatur, Ezeekum positum oppidum in Pose
comitatu ceperant, atque exstructa arce praesidi
maverant, sua sponte propter loci naturam pra
dam. Ita ipsi tuti a tergo, si quando in nostrorum
excurrerent, magnis provinciam detrimentis affici
(nihil enim hostile iis erat inter Ezeekum et Be
dum timendum, quod minus biduo itinere Ezeek
stabat), qua pervaderent ferro omnia ignique va
tes. Accedebat ad alia incommoda ferox ingenium
magni hominis consilii, et ob spectatam in bello fo
dinem, ab infimis ordinibus ad Belgradi praefect
evecti. Cuius ferociae coërcendae *(nagy hézag)* omi
mero delectos praemiserat, cum Ianizerorum col
qui ferreis fistulis utebantur, ut insidiis tecti sul
novissimo agmine euntes adorirentur. Hoc totum
morum atque Italorum peditatu constabat, qu

eximia esse virtus et rei militaris usus ferebatur. Itaque magno animo hostes subito coortos ex insidiis excipientes substiterunt, atque adeo quamquam iam fuga Boemis dilapsis. Inde cum laborantibus proximi Carinthii equites subsidio venissent, invehentium impetu represso, mox in fugam cedentes coniecerunt, paucis e suis desideratis. Castra inde saltu per otium superato a nostris loco idoneo posita, ac iussi milites corpora curare, postridie ubi hostis pugnandi potestatem faciat, proelio certaturi. Hoc consilium ut duces probarent, tum pervulgata illa ratio suadebat, militum ardore, quamdiu flagrarent animi, pugnae studio utendum, tum commeatuum inopia, qua premebantur eo progressi, ut unam spem exercitum sublevandi in victo et debellato hoste positam haberent. Quod cum Mahemetes haud ignoraret, brevi temerarii consilii poenas daturos nostros sperabat, speciosissimum sibi futurum ad hominum existimationem arbitratus, si hoc percrebresceret, incolumibus suis ad unum omnibus, se incruenta victoria de florentissimis Ferdinandi copiis potitum, milite non ferro in acie, sed famis et inediae languore in contuberniis confecto. Quod Germanis unum erat reliquum consilium, cum instructa acie ad dimicandum paratis nulla daretur ab hoste pugnandi facultas, se ad oppugnationis consilia convertunt, et contra hostis propugnaculum, unde multis tormentorum ictibus petebantur, in editum locum opportune propugnaculo obiectum muralia tormenta maiora duo subvehenda curant, quibus subrutis oppidi muris, fore sperabant, ut hostis necessario consilio rem pugnae permitteret, a qua ille cum sua sponte abhorrebat, tum imperatoris Solimani imperio, quem ferebant ultimi supplicii poenam interminatum, si per ullam pug-

nandi occasionem passus se oppido elici iniquo l induceret animum pugnare. Ita cum se oppido tene etiamsi e duobus tormentis emissae a nostris pilae gentis magnitudinis, et muros et interiorem agger laceraverant, obfirmato tamen ad omnia animo, ex dere loco nisi per vim pulsus, non muris prius, qu militum robore, munitus nolebat, id quod minime fu rum credebat. Cum iam eventus Germanos quae m lior sententia fuisset doceret, neque regressus facili et ulterius progredientibus omnia hostilia apparere et spes omnis exciderat animis, quae male posita animorum ferocia salutaria consilia despexerat, et f me iam tabescentia corpora, non praesenti incommod solum, sed multo vehementius imminenti conflictaba tur, cum certa esset mali vis quae urgeret, nihil sub sidii ad mali vim pellendam, quae longe aberat, osten debatur. Nam, ad cetera pudor accedebat male init consilii, cuius tum auctores poenitebat, cum inutili poenitentia tristi moerore conficeret animos, iam no negantium eorum esse iustas querelas, qui et priva tam suam, et reipublicae perniciem, pravi consilii auctoribus acceptam referebant. Quibus in rerum an gustiis cum pergerent tamen duces de bello consul tare, non deerant dicaces homines, qui e luctus acer bitate risus materiam captantes, mirari se dicerent, praeposteram eorum rationem, qui de bello statuerent prius consultandum, quam de fame pellenda, a qua gravius periculum, quam ab hostilium gladiis tor mentisque immineret. „Vitae interitum, qui naturae lege inexorabili omnes maneret, fieri genere mortis tolerabiliorem, ut si honesta contingeret, ea viri fortes alacri ac fidenti animo ultro volentesque adeo defun gerentur; vere enim itam omnem actam vitae

exitu, ut fabulam extremo actu, honestari." Interire fame in contuberniis languentes, quorum vita posset patriae, suis, multis mortalibus saluti atque ornamento esse, ita haberi indignum, ut satius esset homines non nasci, quam turpiter claudere vitae finem. Non longe abesse Hermandum oppidum cibariorum omnis generis copia refertum, id quod omnino esset credendum, cum Turcae in eo inclusas coniuges et liberos, cum rebus suis carioribus, haberent. Modico vero praesidio, veluti in pacata regione defendi, ut non esset difficile, ubi prius quam expugnata praesentirent hostes, qua rerum inopia laborarent, castra eo traducerentur. Addebant eius consilii auctores, Turcas oppidum et loci natura et opere parum munitum, ne primo quidem exspectato oppugnantium impetu tradituros. Ergo collaudatis Vngaris, in his Baldasare Bamfio eius consilii auctore, eum ipsum cum suis praemitti placuit occupatum adiunctum oppido pagum, in quo magnam pecoris, magnam pabuli vim, et rei frumentariae asservari Turcis ferebatur. Quae, ut fere semper accidit, fama uberiora, quam re ipsa sunt inventa, frumenti non ita magnus numerus, vini aliquanto copia maior inventa, ut esset quo militum languentium vires fame exhaustae, atque itineris labore foverentur. Castra inde mota, non militari more servatis ordinibus, non silentio copiis eductis, non tessera signo dato, ut quisque sperabat, se ceteris fretum pedum pernicitate anteire, nullo discrimine, suane an alia signa sequeretur, praeibat. Ne dux barbarus agmen abeuntium persequeretur, tum noctis tempus effecit, tum memoriae fixum haerens Solimani severum et triste imperium, apud quem offendere ne levissima quidem in re volebat, non ignarus, haud ve-

hementer minus, quam interminatus esset, ab imperii sui immemore poenas exacturum. Interea regii duces cum haud procul a pago abessent, ne qui agmen antecedebant priores nacti praedandi facultatem commeatus diriperent, eorum qui erant in postremo agmine nulla habita ratione, praemiserunt, qui imperio militum licentiam coërcerent, quidquid esset tritici aut vini, partiri inter omnes aequis portionibus iussos. Inde castellum pago imminens oppugnare adorti, cum tormentis muros deruissent, propugnatoribus confectis vulneribus et iam pugnando fessis, qui quam paucissimi erant, ceperunt, quinquaginta e suis desideratis, minime ferenda iactura pro commeatuum copia, quae perquam exigua est inventa, vix enim tantam fuisse aiunt, quantum satis esset exercitui per bidui spatium alendo. Qua sua spe quamquam duces frustrati angerentur animis, quantum licuit tamen conceptum animo pavorem dissimulantes, milites consolantur spe facta propinquum flumen transgressis et uberioris annonae, et, quod crebro ostentassent, vilioris, non meliore, quam antea eventu. Eo loco triduum pontis reficiendi caussa morati, quem Turcae, ne usui nostris esset, interciderant, copias eo perfecto traduxerunt; maior suscipiendus labor transvehendis tormentis fuit, quorum postremum multo maioris quam cetera ponderis, pons minus firmo opere tantae sustinendae moli ex obvia materia raptim factus, asseribus oneri cedentibus, non sustinuit, vix ut satis spatii relinqueretur ad tormentum corrumpendum, veritis ne eo hostes potiti in sui exitium uterentur. Inde iam exercitu cum impedimentis traducto, ponteque interciso, de reliqui belli gerendi ratione dux in consilio singulorum sententias disquirit. Neque vero ipse satis compos consi-

lii erat tantis rerum difficultatibus circumventus, et quidquid consilii afferretur in medium, erat huiusmodi, ut eundem exitum tristem foedumque haberet: non enim quae honestior ratio bellum administrandi, sed quae tutior ratio esset effugiendi imminentem vim fati, quaerebant, quod turpius consultantibus, quo temerario consilio magis a bellum inferentibus erat administratum. Namque eo ventum erat, ut maiora tormenta, quae certa victoriae instrumenta per tantum terrarum spatium immani sumptu avexissent, corrumpere cogerentur, ne receptum ad salutem quaerentibus oneri essent, quod maiori dedecori apud hostes an detrimento esset futurum haud satis constabat. Neque in tot malis, quod trepidantibus solet accidere, metu ultimi discriminis mentem iudiciumque, ne liceret, quod magis expediret, perspicere, perturbante, una erat omnium sententia: quod incommodum eo oberat magis de summa rerum consultantibus, quo minus disquirere licebat, quae ex his potior veriorque esset. Aliis diverso quam venerant itinere Valponium redire, per Posegam aliis placebat, fore sperantibus, ut dum hostes superanda palude laborantes morarentur, interea aliquo expugnato oppido, unde commeatus copia suppeditaret, militem reficerent. Non longe abesse Hermando Wankam oppidum peropulentum (Iuvankam Iovius vocat), quo si ire properarent, non esset dubium, quin nullo negotio de improviso oppressum redigerent in potestatem. Etsi vero nonnihil morae cum impedimenta alia, tum tormenta afferrent iter accelerantibus, minime tamen censebant tantum flagitium admittendum, ut retro impedimenta relinquerent, hostibus futura praedae. Neque magis eos audiendos, qui auctores essent aut diffringendi tormenta, aut clavis

corrumpendi. in quibus Iovius ait Catianerum polli
tum. distributa fragmina per impedimentorum cur
suo sumptu conflanda in commodiorem formam cu
turum. Nullum esse adeo magnum vitae incommodi
quod militares homines, et ad decus atque ad glori
nati, non constantia ac virtute adnixi superarent. Fo
hominis haberi. et aeque foedum rerum exitum p
tendentis, militem abiicere arma, quod dictum in p
verbium abiisset, aut caussae aut viribus suis diffid
tium, praesertim ea arma, in quibus esset totius ex
citus robur, certe ob unam caussam damnandum.
suis pro argumento esset, duces amissa spe salu
de fuga cogitare, quae probabilis suspicio sua spo
perculsos frangeret militum animos. In hanc sent
tiam cum alii e ducibus et maxime Catianerus incli
ret, militi edicitur, ut se ad profectionem paret, et q
dem quam expeditissimo agmine iturus praeter t
menta, quae aegre trahi sicco etiam et pacato solo
cedentibus possent, autumni imbribus ubique itin
corrupto. ut difficilis profectio expeditis etiam ess
Ita longior mora necessario nostris iniecta spati
hostibus dedit, quamvis multo longiore ambitu ei
dem locum petentibus. Wankam eodem tempore p
veniendi: simulatque enim est ab iis animadversu
quo iter flecterent, haud aberrantes coniectura
eorum consilio, prolixiore quidem itinere sed agm
expeditiore, facile cunctantes nostros consequi
tuere, id quod praeterea facile licebat per ditio
suae oppida iter facientibus, unde exercitui neces
ria in diem subministrabantur. Nam Germani c
grave agmen aegre traherent, iis de caussis quae si
iam commemoratae, saepe consistere properantes
ficili atque impedito itinere cogebantur, cum aut c

rus depressus in orbitam rotis, aut tormenta alto coeno haerentia essent amolienda, qui erat labor eo maior subeundus et longioris morae, quo minus cunctari in hostico ducentibus expediebat. ubi infesta omnia. nihil amicum aut pacatum ostendebatur. Tantis iactatis incommodis, cum aegre totum diem tria millia passuum confecissent, non licuit ita hostem antevertere, ut non eodem fere tempore, adhibita celeritate, altera parte ad oppidum pervenisset. Nostri priores tamen accepti in oppidum, quod nullum Turcarum praesidium tuebatur, sua sponte oppidanis, eiusdem religionis hominibus Germanis faventibus adversus hostem barbarum, cuius imperio inviti parebant; sed neque tam propensum oppidanorum studium itineris labore, inedia, fame enectos cohibere praeda, aut continere a maleficio potuit. Cum alia vero cibariorum copia, tum vini generosi inventa magna vis, cuius est tota illa regio feracissima. Neque in eo iniuria constitit. Vbi ad satietatem se vino expleverunt, perfossis doliis, quae se relinquere ad praedam hosti arbitrabantur, vinum effundebant, frustra eos ducibus imperio a tam foedo incepto deterrentibus. Ita miseri ab amicis hostilia passi, ab veris hostibus nocte insequenti, quae ultima illos pestis manebat, concrematum oppidum conflagrare ad solum usque, suae cladis spectatores, foedo spectaculo etiam iis ipsis hostibus viderunt. Nostri, cognito barbarorum adventu, cum nondum diluxisset, suis rebus veriti, subito a ducibus pugnandi signo dato, capiunt arma, atque contra hostem eunt. Maius quam pro pugnantium numero proelium commissum, ita acriter Turcarum equitatu nostros urgente, ut neque adnitentibus facilis victoria, neque tutus receptus referentib[illegible]edem esset; quo in rerum discrimi-

ne cum laborarent: Rascius. Boemorum equitum p
fectus. quem populares Marsalcum appellant, suos
principes inierant pugnam, ad capessendum militare
eus adhortatus, instaurare proelium praesentibus ani
et pedem inferre in hostem iubet. Inde qua erat i
sior, hostium cuneos invectus, primo impetum repre
acrius signa inferentium, mox pertinaci robore adni
in fugam vertit. Interea Turcae, cum fugientes pri
accepissent, pugnam profligatam, integri fessis su
dentes, restituunt. Ac primo nostri inter se adhor
in se incumbentium impetum magnis animis sustir
runt, mox cum inter confertos pugnantem praefect
et cientem proelium hostes interfecissent, cum ani
rum ardore confectis viribus in fugam pelluntur, n
tis e suis, qui pertinacius subsistere essent ausi, d
deratis. Iam cum eo res perducta esset, ut neque t
manere deplorata commeatuum spe, neque iter fac
liceret, infesto hoste euntes a novissimo agmine lac
sente: quod mitius malum ratio temporis efficieb
persequi iter inceptum constituunt, ne proficiscen
temere hostis aut ab extremo agmine lacessere.
in latera incurrens perturbare ordines posset, ut
accisis rebus non malo consilio, totum agmen carr
quorum erat magnus numerus, circumdari iubent. Q
tamquam vallo obiecto hosti sperabant fore, ut n
quam intermisso itinere, tuto, quo visum esset prog
derentur. Sed eorum spem facile elusit dux callid
et regionis peritus; praemissis qui viarum angusti
qua nostris transeundum erat occuparent, per pla
quidem loca iter facientibus, sed quae crebris tumu
interiectis nonnumquam impeditis saltibus, pros
ctum adimerent, ut explorato etiam euntes morar
tur. Facile qui ab hoste praemissi erant, per notos c

les ubi impeditum iter siluae efficiebant, non magno labore caesis arboribus cum transitum suis facilem expediebant, tum in nostros per viarum angustias incedentes ingentem caedem edebant, quominus iis qui praecesserant auxilio insequentes essent, iisdem viarum angustiis prohibentibus, qua explicare ordines, et quo usus poscebat occurrere, haud facile paterentur. Nam hostes praeter alia genera telorum, minora tormenta, quae vulgo milites Falcones vocant, in subeuntes, de loco superiore directa habebant, ut raro ictu frustrarentur. Ita et alii multi, et cuius fuit iactura pluris facienda, Paullus Bakithius, rei militaris gloria clarus dux, ictu tormenti traiectus concidit, magno suorum moerore, qui omnem victoriae spem, ubi iusta acie confligendum esset, in eius unius virtute positam haberent. Mox dolore in rabiem verso ulciscendi ducis studio subito collectam, tanto se impetu in barbaros intulerunt, ut cum loci iniquitate premerentur, multis e suis amissis, tormenta relinquere, et fuga saluti consulere cogerentur. Quo spolio nostris potiri virium imbecillitate et lassitudine confectis non licuit. Nam alii e Ianizerorum cohorte, qui in interiore silua delitescebant, magna glandium vi e ferreis fistulis emissa, nostros, et a persequendis suis, et a tormentis abducendis deterruerunt: quibus recuperatis ad pristinam consuetudinem redierunt, ita nostros per viarum compendia antevertendi, ut interiore malo e cibariorum inopia contracto et vulneribus insuper conficerentur; quae incommoda desperatio augebat effugiendi vim fati imminentis, et haud dubia fama auxiliorum, quae propediem affutura Mahemeti e longinquioribus locis nunciabantur. Cuius rei fama quo gravior accideret, accedebat aliud manans a suis incommodum. Nam, ne-

que duces habebant quibus verbis aegros animis c solarentur, saepe vanis pollicitationibus frustratos, quos mercede conduxerant, barbari ex Illirii monta quamquam durati homines longo militiae usu, ad c nes belli labores perferendos, nullo accepto comm tu dilabebantur, cum ducis imperium vile suis red disset saepe suis data et desiderata fides, quomi discedentes revocare, et continere in officio poss Tot malis vexatos cum deficeret consilium, cuius pediendi nulla ratio esset, viribus simul atque anin deficientibus. tetra facies malorum, quae praesen bus graviora imminebant, multo perturbabat veheme tius. Nam, quod ultimum rerum mortalium est, cu certa urgeret pestis, atque exitium: sublata omn spes erat in salutis et vitae discrimine laborantibu in virtute et magnitudine animi, quae nulla superer perfugium inveniendi. His conflictati malis ad Gara urbem pervenerant, unde late patet in Posegiens campos despectus. Praeter eam urbem parvus amn non adeo longo decurso spatio in Savum influit, a Ra cia Posegiensem comitatum dirimens. Hic rursus co sultari coeptum de reliqua ratione itineris, cum nih non durum, aut triste in consilio, quod iam nullu erat sententiam dicentibus occurreret. Alia erat vi quae per interiectas siluas ad Valponium duceret br viore quidem itinere (non enim amplius X passuu millibus Gara distabat), sed quam barbari impedita infestamque reddiderant; succisas enim passim a r dicibus arbores, qua nostris iter erat faciendum, co tinenti fere strue facta, obiiciebant transversas, aegre quidem singulari militi atque expedito iter p teret, traduci currus et tormenta nulla ratione licere quorum iactura praeter ducis infamiam, qui temer

atque inconsulte suos ducendo, ut ea necessaria essent effecisset, miserabilem cuique privatum sortem ostendebat, qui ita cogerentur saluti prospicere, ut quae maxime idonea procurandae saluti haberentur, aut sibi relinquenda, aut corrumpenda adeo intelligerent, ne iis hostes potiti, contra se uterentur. Nam vulgo militibus vix ulla ratione poterat persuaderi, ut necessariis rebus, et quae carissima secum quisque adduxissent, aequo animo carerent, cum impedimentis praedae hostibus relictis. Alia erat via tutior, ut credebant, quod minime idonea Turcis persequentibus, propter asperitatem itinerum, et crebro incurrentes viarum anfractus, habebatur. Sed vicit tamen eorum sententia, qui cum exigua spe commeatuum, certum exitii periculum coniunctum habebant, tamen animo parati, ut caedi hostium ferro, quam fame interire mallent: audierant enim a regiis Valponium missam ingentem commeatuum vim ad exercitum sublevandum, et pecuniam militi in stipendium, cuius cupiditate incensi milites omnia tolerabiliora, quam moram, quae in longiorem diem spem proferret, ducebant. Tum coepta tormenta corrumpi faedo miseris spectaculo, sive reipublicae incommodo sive domestico dedecore moverentur. Alterutro vero erat carendum, aut vitae et salutis spe, aut tormentis, quae ducentibus per insessa ab hostibus loca, et perpetuis silvis impedita, erat futurum, ut necessariam iniicerent moram. Aegre quidem permittebatur clitellariorum iumentorum usus, ut essent quae sufficerent vectandis necessariis rebus: Vita incolumi strenuis multas occasiones dari sarciendi ea quae amisissent; impedimenta retinentes, etiamsi thesauros omnes convectos in castra haberent, quos terra suis visceribus et maria abderent, vitam cuius semel iactu-

ram faciant, non recuperaturos. Quae carissima
benda essent, nato homini ad res magnas geren
non iumentis, non vehiculis, non baiulis gestari, sed
ctore insigni virtute munito, cuius qui semel comp
essent, minime eorum iactura moverentur, quae
pius cum improbitate et nequitia quam cum hones
et rectis studiis fortuna coniungeret. Proficiscent
fallendi hostes caussa placuit tessera signum
plenis speculatorum castris, qui nihil eorum,
agerentur, Mahemetem fugere patiebantur. Nec de
runt tamen, qui censerent, praesentia animi difficu
tibus omnibus superatis, Garam oppidum expugn
dum, ita quidem ab hostibus circumsessum, ut si co
gi oporteret, non esset de victoria dubitandum.
scientia virium hostes, quibus se minime futuros
manis pares nossent, cum melioribus congressos,
per a pugnando abhorruisse. Adniterentur modo
versis ad decus et honestatem animis: brevi fore
quae inertibus pavorem et trepidationem iniicer
inedia, fames, assiduus itinerum labor, vires et
mos vere Germanis adderent ad eum hostem de
landum, qui non in suorum virtute, sed in hostium
sidia et languore spem victoriae positam haberet.
rebus adversis, iis qui sua virtute non temeri
fortunae inniterentur, domestica mala esse usui
suevisse, et quem animum alii admitterent deplo
do, feminarum in morem, quae adversa paterentur,
ipsi erigerent, cogitando quibus a se modis, quae
rent adversa, constantia, et virili robore fortunae
viam eundo tolerabilia redderent, ita persuasi, in
bus tanta virtus esset, numquam illis aut consilium
vires defuturas, quas numquam viri fortes magnis
rendis rebus desiderassent. In aliarum rerum del

ratione raro accidere, ut quod expediret, cum honestate non pugnaret, in hac una ita esse decus cum eo quod conduceret coniunctum, ut neque saluti consuli possit, nisi honestatis ratio haberetur, neque honestati, nisi haberetur salutis. Nullum vero turpius consilium posse excogitari, quam fugam, et occultam profectionem posse. Nam quorum essent mentes ad gloriam erectae, tanti flagitii tristem memoriam, acerbam vitam, cum perpetuo infamiae morsu haerentem animis reddituram, et qui primam haberent salutis curam, famae et nominis iactura, per turpem fugam quaesitae, haud eos tamen assequi quod vellent: quem enim ignorare, hanc esse insitam a natura vim humanis ingeniis, ut in virium contentione timor non dissimulatus, et qui timerent imbecilliores, et qui timerentur alacriores redderet ad rem gerendam? Simulatque hostes ab iis timoris et trepidationis edito documento, de sua profectione cognovissent, id pro certo victoriae praeiudicio sumpturos. Namque et illud addebant tam praeclari consilii auctores, aut incredibili cum molestia, per difficile atque impervium iter, sauciorum agmen trahendum, aliorumque, qui permulti castris variis morbis laborarent; aut maiore cum infamia proditae fidei ac violati officii relinquendos immani hosti devotas victimas futuras ad manes interfectorum placandos, ut mitius cum miserrimis hominibus ageretur, tristi servitio immanissimorum hostium emancipandos, quorum superbum iugum ferre omni caede et morte intolerabilius esset. In tanta sententiarum varietate, cum suum quisque haberet ab aliis separatum consilium, quod sequeretur, nemini cum alio conveniret; quem ut se rectius sentire existimaret, praeoccupatum iudicium fallaci opinione sui, pro-

hibebat: duces mitiore profectionis nomine turpis fugae infamiam elevantes, milites secunda vigilia se ad iter adornare iubent; quod iis facile erat, quorum auctoritas ut gravis suis esset, nulla iam unius auctoritas, ad quem summa imperii respiceret, efficiebat. Iam ad haec omnia incommoda, quae quo magis praesentia urgebant, eo angebant vehementius, accedebat intestinum malum, quod in exercitu conflato ex variis nationibus et gentibus aegre vitari poterat, ingens barbarorum perfidia venalis hominum fidei, per quos nihil agi a regiis licebat, quin continuo hosti enunciatum viam aperiret ad contraria consilia; quibus fiebat, ut nihil eorum quae constituerunt procederet proditis a suis. Itaque barbarus cognito regiorum consilio, cum speraret iter facientes facile excipi incautos posse opportuna loca suos insidere iubet, tantum spatii emensus, ut in sinum ingentem quasi laxatis cassibus evadere nisi magna cum caede iniquo loco circumventis liceret. Quae dum apud hostem geruntur, regii, iam, magna noctis parte exacta, signum profectionis, ut convenerat, exspectabant, tanto pavore et trepidatione, ut non vulgo milites solum, sed duces etiam, et qui magnum usum in re militari habebant, discedendum omnino, et finem tandem imponendum praesentibus malis clamarent. Quibus dux deesset, cuius auctoritate atque imperio regerentur, eo sibi ipsos oportere duces esse. Non nomine modo duces habendos, non quos ornarent speciosi militiae tituli, non quibus subnixis regum gratia potentium homiuum suffragatione militare imperium mandaretur, non quibus ipsis duce opus esset, quominus a recta via in muneris functione aberrarent, sed quibus prudentia perspicientibus eventura mala, praesto esse

aut ad evitanda consilio, aut ad propellenda armis par animi virtus. Ergo cum in castris omnia plena tumultus, nihil recte atque ordine, et ex rei militaris disciplina administraretur: non exspectato ducis imperio, ad omnia trepidi, cum nulla essent certa signa, quae sequerentur, temere et ut casus ferebat se incertis ordinibus applicantes fugientium in modum, magis quam iter habentium progrediebantur. Tam foedae fugae initium iam prius ab Huzaronibus factum, quos homines barbaros, et regionis peritos, cum nulla esset religio, quae eos in officio contineret, mobilis fides atque ingenii levitas, quae ad nequitiam et perfidiam sua sponte proclivius incitaret, e castris amentium et furentium similes ruentes intempesta nocte iter arripuerant, non solum suis domestico scelere, sed exemplo etiam sceleris obfuturi, exspectantibus aliis, qui in admittendo flagitio videri modestiores velint, certum quem sequerentur turpis rei auctorem. Ex Vngaris Ladislaus More ab ingenio non discedens, ignominiae nota graviore, communis salutis et patriae desertor, adversus preces atque exhortationes omnes obduratus, in ditionis suae arcem propinquiorem, paratum fugienti receptum, iter intendit. Neque constantia maior aut Stiriorum equitum fuit, aut Hunganoti equitum praefecti; unam salutis curam aliis omnibus praevertentes, ut fidei et officii, ita nominis atque existimationis immemores, se praecipiti fugae mandant. Defendit quidem Iovius Zagrabiensem religionis et sacrorum excusatione, sed non sine acerbitatis aculeo, et mordaci ironiae sale: Sacrum hominem prohibitum pontificio iure et veterum patrum sanctionibus induere arma, fugam quam necessariam efficeret desperata vitae salus, quamdiu sperasset cum nullius iniu-

ria eripi posse imminenti malo, sibi honestam d
xisse. Namque et illud addit, e tristi et flebili arg
mento risum captans, eundem quo esset illustrior f
ga, neu per noctem in tenebris alucinatus a recta v
aberraret, fugae comites, qui laternam ingentem i
censam eunti praeferrent, habuisse. Fuit vero h
semper Vngaris in more, ut non crederent alienum
sacrosancto homine ita belli tempore in acie adver
hostem armatum pugnare, ut pacis pro populo o
rando obire sacra, numquam non exigente a suis
tria hoc pietatis munus, quae non solum pacis artib
instructos cives sed belli etiam ad omnes casus
quirit. Accedit, quo id sibi statuant agendum fidu
maiore, hostis genus, quicum bella gerunt, Ch
stiano nomini infestissimi, quo tollendo non minor
se credunt pietatis cultum deo immortali offerre, qu
ad aras faciendo rem divinam, aut populum religio
mysteria docendo: nullum enim patriam agnoscere
dinum discrimen, ubi cuiuscumque ordinis sit, n
civi datur occasio de illa bene merendi. Sero, et c
iam magna copiarum pars castris exisset, fugae fa
ad Catianerum pervenit, ad quem unum pertinel
profectionis signum dare, sive curis et vigiliis f
sum ex desperatione rerum omnium, arctior, ut
somnus oppressisset, sive quid aliud accidisset, qu
minus strepitum exaudiret militum se adornantium
fugam, qui iam ad hostium aures pervenisset. Ita
a se minus, quam a suis desertus, cum praeter un
salutis alias omnes curas abiecisset: tabernac
egressus opima praeda referto, copioso argento, mu
veste, phaleris equorum, et omni militaris rei ap
ratu discedit, quo fuga explicatior esset, inermis,
idem Iovius affirmat. Vnus e ducibus in castris

lictus, Lodronius, ultro citroque discursantium clamore, tumultu, et trepidatione excitatus, cum percunctatus, quae tumultus caussa esset, de militum et ducis fuga quae minus vellet cognovisset: quamquam quo essent res loco non ignoraret, confirmatis militum animis, qui integri a tam turpi flagitii labe supererant, reliquum noctis tempus in suis quemque manere stationibus, atque agere vigilias cura et studio intentiore iubet, ubi diluxisset, ut militares vires deceret, et dignitatis suae memores, sublatis signis et servatis ordinibus profecturos. Nihil sibi certius esse, quam callidum hostem suo ingenio, et rei militaris peritia, cuius multa atque insignia ediderat documenta, ante lucem quidquam moturum, insidias nostrorum veritum per simulatam nocturnam fugam, quam minime necessariam crederet multis quidem incommodis ac detrimentis iactatis, sed quibus integrae adhuc fere vires superessent. Quem vero passurum sibi persuaderi, Vngaros, Germanos, Boemos, bellicosissimas gentes, lectissimum militem ex iuventutis robore, peritissimos rei militaris duces, magna enim eius exercitus fama longe lateque erat pervagata, posse tantum flagitium concipere animis, ut ab eo hoste sibi statuerent fugiendum, quem nullis artibus, nullis consiliis, non aperta vi, non armis, non tormentis lacessitos ad pugnam elicere potuissent. Neque secus atque Lodronius cogitaverat, Mahemetes sibi statuit agendum. Minime ausus exercitus salutem per noctis tempus dubiae fortunae committere, intentos instructosque quasi cum hoste armato esset mox concurrendum, iussit lucem exspectare, quae inertibus ignaviae, fortibus atque industriis virtutis testes clarissimos obiectura, vim ad rem gerendam, atque animorum ardorem iniiceret ani-

mis, diversis studiis hinc cupiditate gloriae, hinc i famiae metu, a volentibus pariter atque ab invitis vi tutem expressuris. Interim Lodronius, exigui temp ris quiete militum recreatis viribus, experrectus su git, et iam luce reddente oculis virorum fortium i que inertium discrimen, qui manserunt tristis fug invidiam animis exsecrati, brevi oratione alloquitu Quam laudem melioribus concessissent turpi fuga suis dilapsi, quibus potior fuisset infamis vita pude do flagitio redempta, quam partum immortale dec brevis vitae iactura: debere tanto acriore studio a peti a fortissimo milite, quanto maior laus et solidi esset, concessa paucioribus, quam voluptas ex conse vata vita, multis quae esset prae immortali futura pe exigua. Quam vitam honesto fine virtus clauderet, brevissima etiam esset, multo ea haberi beatiore quam in longum seculum, quasi iustam flagitii pe nam, vindex nequitiae numen produxisset. Vires n do atque animos expedirent: aut vi atque armis si viam ad salutem explicaturos, id quod rara virtus c pidis verae gloriae hominibus sponderet; aut aet num sibi monumentum laudis apud posteros per cel rem vitae occasum, quem ortus exciperet vitae nu quam interiturae, homini unum propositum finem be tissimum consecraturos. Carinthiis, Austriis, Boem et qui novissimi advenerant, Saxonibus equitibus, ha constantiae et fortitudinis laudem Iovius impertit (q maior videri debeat) parum Germanis aequus: Q quidem Lodronii oratione confirmati, Enimvero, u voce inquiunt, se quem unum rectorem, ducem, imp ratorem agnoscerent, quem honorem, ut aequum ess ex hominum meritis prius, quam ex regum iudicio si spectandum censerent, quocumque duceret, praese

tibus animis, vultu, pectore impavidos imperterritosque secuturos, nec dubitaturos, quin cuius virilis sententia, et rectissima esset, tum sententiae oratio consentiens, eius etiam virtus gerenda re esset sui aemulatione et exemplo suos ad militare decus capessendum excitatura. Quorum alacritate cognita, cum iis, ut par erat, de tam honorifico de se iudicio gratias egisset, unum honoris titulum deprecatus, inanem ubi virtus desideraretur digna summo honore, quem agnoscere cum cuiusquam iniuria nollet: illud se recipere ait, ut ita sua sponte animatis dux ad rem gerendam in hostem praeiret, non prius oratione, ut dixissent, quam exemplo suos ad virtutem incitaturus. Daturum quidem se operam, ut quod sibi eum honorem habuissent, non se falsos sua opinione intelligerent. Honores hominum meritis praeiri, non merita honoribus debere, alterum enim virtutis semper, raro non alterum fortunae esse. Cum inde provectus oratione in fugae auctores inveheretur vehementius, ait Iovius, quod minime nobis silentio praetereundum censuimus, ex iis qui astabant Germanis, veteranum ita ausum dicentem interpellare, serio an ioco, quasi ex contrariis verbis laudis sensum elici vellet. Dissentire, Lodroni, inquit dux, tua sententia ab oratione videtur. Non facile nobis persuadeas te vere abhorrere a fuga, quam nobis quidem indignam, sed te multo magis, qui nos ad decus atque ad virtutem adhortaris, circumspectare ex tam generoso equo te ostendis. Quaecumque huius sententia esset, evellendum hunc suis animo aculeum Lodronius arbitratus, desiliens, equo poplites procidit: nemini post hac, inquiens, Lodronii exemplo inerti esse licebit; mox eadem magnitudine animi, productos alios e propinquo stabulo notis militibus,

qui ad iter capessendum parum validi aut saucii a aliis affecti morbis in contuberniis decumbebant, p cuiusque merito est dilargitus. In eo numero e n bili familia in Insubribus* Picenardum Iovius rec set, cohortis peditum Cremonensium praefectum, q tametsi febris horroribus toto corpore contremiscer quam concitatissimo cursu fugam arripuerat salu cura, quae urgebat, ab imbecillo vires et robur exp mente. Iam coepta erant signa efferri e castrorum p tis non secus peditatu, equitatuque instructo, ac mox esset cum hoste confligendum. Quae ducis pro dentia, in tam perditis rebus magni animi index, a versus urgentis fati vim nulli usui fuit. Subito impe egredientes primos Turca adortus; cum temporis ex guitas pugnare volentes suo loco, atque explicare o dines ex usu et rei militaris disciplina haud pater tur, variis partibus, ut casus ferebat, proeliabatur, i Germanis equitum impressionem excipientibus, q maxime urgebant, ut quamvis iniqua pugna pauci cum multis esset, appareret tamen virtutem suum r bur in minime territis retinere. Nam et saepe redint grata pugna, hostes summoverunt acrius contra obn xos impellentes, et, ubi pertinacius inferrent gradu pauci multorum impetum fortissime sustinuere, no animis, non viribus, non virtute, multitudine mod inferiores, ut facile divinari posset, qui eventus fuer futurus, si integris viribus, quarum magnam parte foeda fuga suorum abstulisset, pugnatum esset. I primo fere congressu cecidit Ioannes Maier, equitu Carinthiorum praefectus, cum proelium instauranten armorum ornatus, qui erat privato amplior, prodidisse Existimantes barbari imperatorem esse, facto cune adorti interfecerunt, et cum eo, quae non minor iactu

ra fuit, ex illustribus familiis florentes aetate adolescentes ad XXIV, e quibus primae dignitatis fuisse Iovius ait Andream Reskium, Christophorum Hernaum, et Georgium Heimelbergum. Iam et alia ex parte accerrime eodem tempore pugnatum, voluntariis multis praecipuae nobilitatis e Misnia, Thuringia, et vicina Franconia, inter Saxonum equites hosti infestam pugnam facientibus, quorum XXXVI clari omnes nominis desiderati, insigniorem sua caede tam miserabilem cladem fecerunt. Tetrior interfectorum fortuna fuit vivi Chuenrici nobilis Saxonum equitum praefecti, quem in potestatem redactum tetri carceris squalore confectum apud Turcas interiisse aiunt. Alios praeterea nominat Iovius, quos aut insignior nobilitas aut honestior militiae ordo commendabat, qui non videntur debita laude fraudandi. Ita enim victi hostibus cesserunt, ut multo sui clariore victoria per vitae contemptum et immortalitatis spem dignos se ostenderint, quorum memoria in omni posteritate perpetua vigeret. Non fuga suorum, proditos per summam iniuriam, non manentium exiguus numerus, non tanto maior hostium multitudo deterrere potuit, quominus auderent, attritis viribus, penuria necessariarum rerum, cum hoste conferre signa milite instructissimo, et recentibus viribus, quae ex magna rerum omnium affluentia integrae ad proelii fortunam afferebantur, unius modo nominis et famae memores, quam vitae superstitem integram essent a flagitii infamia relicturi. E Saxonibus Sebastianus Metescus, et Iacobus Schullembergus, ex inferiore Austria, Fattaius et Hofchirchius, tum his generis nobilitate proximi Hoenfelderus et Hanspurgerus, atque orti duo e Naidega familia clara multis nobilitatis insignibus. Luxit quoque su-

perior Austria suorum fata, quae provincia nobili
oppidis atque urbibus frequens est Rhaetiae fini
Guilielmi Folgehenstorfi, Leonardi Lambergi,
nardi Scherfenbergi, Gasparis Bercheimi, et Sche
bergi. E Boemis magnae cladis superstes unus A
tus Slichius equitum dux a Iovio perstringitur,
maturius, quam suis expediret, in extremo discri
versantibus. se e media pugna proripuisset. E
vero maiorem ait editam stragem, quod in latus
tum Ianizeri incurrentes, magna glandium vi fe
fistulis emissa, cum iam circumventi equitatu c
rentur, nec opinato malo territos straverunt. E
peditum, quae equitum fortuna; cum e saltu, qua
sim se attollens subiectam paludem despectat, tum
pi, tum Ianizeri, vario genere telorum infra pc
peterent, Amurathes cum Illirico equitatu parte
invectus densatis turmis, maiore cum impetu pr
batos disiectosque evertit. Neque foede profli
plus subsidii in Ladronii virtute fuit. Non minu
tis gerenda re, quam oratione disertus, monendi
que exhortandis suis, cum abreptus a suis cedent
atque in proximum locum, qui totus palustris
uliginosus erat, delatus esset, summae virtutis
mentis atque illustribus editis, in hostium potesta
cum tribus quibus praeerat cohortibus, vivus perv
Hic exitus susceptae expeditionis Germanis infesto
mine. Multi quidem religione tactis animis, tam tri
eventum rerum secutum, in eius sceleris expiatio
quo esset foederis religio violata, crediderunt. D
certe res summa admiratione, initum bellum ing
rerum apparatu, florentissimis copiis, milite maior
parte delecto e Germanorum nobilitate, quos a
scentes in magnam spem gloriae et propria virt

maiorum aemulatio rapuisset ad bellum, eo exercitus duce, quo rem bellicam administrante reiectus a Viennae moenibus hostis Solimanus esset, Ioannes Rex pulsus Vngariae regno, militum praefectis, quibus plura fixa trophaea de victis hostibus, quam exacta stipendia commemorarentur, adeo male gestum, ut si cui petenda sint militiae praecepta, ei nullo certior disciplina tradi possit, quam ut omnia contra agat, atque in bello acta administrataque animadvertat. Non in duce acrior mens, non vis ulla consilii, auctoritas nulla, miles tum insita ferocia animis, tum ducis prava indulgentia contumax, non in tempore comparata res frumentaria, non commeatus, credita maximarum rerum procuratio barbaris hominibus, in quibus ingenii levitas cum pari perfidia contenderet, nihil recte atque ex peritia rei militaris, omnia temere administrata; quae quidem satis ostendunt, deum immortalem a divini iuris atque humani violatoribus, per alienatam mentem a sanioribus consiliis poenas expetiisse. Tanto vero haec funestior clades, quam quae fracto foedere, avorum memoria est accepta ad Varnam, quanto haec clariore victoria hosti parta. Amurathes enim, a quo victore est Ladislaus cum exercitu caesus, et inter pugnandum, desperata victoria, cogitavit de morte sibi consciscenda desperato pugnae eventu, et adeptus victoriam, deum immortalem dicitur orasse, ne sibi daretur inposterum ita vincere. Cruenta certe victoria hosti ut raro antea veterum memoria fuisse fertur. Inde Mahemetes, iussis militibus hostium signa et ceteram praedam in castra afferre, pro cuiusque merito singulis collaudatis magnificis verbis, praedam cum cura est partitus. Nobiles captivi, quos erat consilium ad Solimanum mittere rei gestae futuros testes,

quam fallax ratio sit humani ingenii, aestimandis hominum meritis ad laudem. Nam quo illa maiora, eo citius eorum memoria fluit, de ea semper aliquid tristi invidiae morsu arrodente: quae sunt insignia ad dedecus atque infamiam, non pro natura rerum, sed pro cuiusque aut studio, aut odio aestimantur, quod raro non iniustum est, prava nostri indulgentia, dum credimus per alienas laudes nostras minui, augeri nostra dedecora, dum aliorum minuuntur, in nobis facile vincente. Neque tamen erat futurum, ubi utrumvis licuisset, ut sua sponte ipse se sisteret Ferdinando reum. Verum ille iam multis ab inimicis laceratus probris, quorum illi, ut fit, magnum numerum auxerat res infeliciter adversus hostem gesta, edito scripto se defenderat, quo ita obiecta diluere conabatur, ut sese ultro iturum Viennam ad dicendam caussam polliceretur: cuius rei fama cum ad multos manasset, ad senatum praesertim, ad quem etiam recenti flamma invidiae flagrans litteras dederat, vix poterat recusare, quin ad diem iudicium obiret, non mala coniectura suspicatus, nisi ipse ultro praeveniret, quod caussae suae praefidentis esset, fore, ut inimici eum maiestatis postularent, maiore cum caussae praeiudicio, e quorum criminationibus vix conscius sui sperabat se evasurum. Ita liberali custodia asservari iussus, cum iudicii dies plus aequo differretur, et magis indies caussae diffideret, quam iugulatum iri multorum testimonio sciebat, de fuga consilium cepit, quae illi haud difficilis fuit. Ad breve spatium custodibus per morbi simulationem ablegatis, cum perfosso pavimento, strato lateritio opere, quo id commodius fieret, se in subiectum fornicem, atque inde e fenestra, fasciis, quae essent funium loco, e linteis factis demisisset, ad summam ce-

Id credere utrique ad officii commendationem speciosius apud Solimanum fore. Hac simulatione amicitiae delinitum, cum se vino et crapula onustus quieti tradidisset, immisso percussore Zrinius interficiendum curavit. Inde gratum inimicis futurum spectaculo interfecti caput ad Regem misit, cuius clementiam transitionis fama Viennam perlata iam vicerat. Nemo quidem dubitabat, quamquam tam gravis offensio alte in animum descendisset, atque hominis scelus omnem spem veniae sustulisset, quin Rege connivente esset fuga elapsus. Nam praeter cetera, producta dies causae dicendae, cum nemo non videret maiestatis reum moribus regni capitis poenam sequi oportere, tacitam clementiae significationem in Ferdinandi mitissimo ingenio ostendit. Tota enim caussa multorum testium conscientia nitebatur, quibus ut aequissimis uteretur, non licebat volentibus etiam de iis, quae palam atque in omnium oculis acta essent, secus quam eorum religio postulabat, interrogatis respondere; ut non esset dubitandum, quin caussam dicenti haud liceret effugere iudicum severitatem, et in Ferdinandi clementia, ubi simul vellet suae gravitatis et constantiae habere rationem, parum perfugii esset, qua uti in tam convictum et iugulatum reum vix sine ingenti invidia, et nota dissoluti animi haud poterat.

FINIS LIBRI OCTAVI ET TOMI SECVNDI.